BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
D
42
NAPOLI

LVI
D.
42..

BEATI RHENANI

Seleſtadienſis

RERUM GERMANICARVM

LIBRI TRES.

Quibus

præmiſſa eſt IPSIVS Vita

Auctore

JOANNE STVRMIO.



ARGENTORATI

Apud SIMONEM PAULLI Bibliop.

M DC. LXX.

Hiſce Tribus Libris BEATI RHENANI de Rebus Germanicis *acceſſere ob ſimilem Materiam.*

I.

EIUSDEM Caſtigationes in Libellum TACITI *de Situ, Moribus & Populis Germaniæ. pag.* 375.

II.

JODOCI WILLICHII Commentaria *in* CORN. TACITI *Germaniam. pag.* 405.

III.

BILIBALDI PIRCKHEIMERI Deſcriptio tam Superioris quam Inferioris Germaniæ. *pag.* 658.

IV.

GERARDI NOVIOMAGI Hiſtoria Inferioris Germaniæ. *pag.* 720.

V.

CONRADI CELTIS Additiones de Situ & Moribus Germaniæ ac Herciniæ Sylvæ Magnitudine, deque ejus in Europa definitione & Populis accolis. *pag.* 729.

Omnia cum INDICE *Rerum Memorabilium copioſiſſimo.*

INVICTISSIMO CÆSARI

FERDINANDO,

BOHEMIÆ VNGARIÆQVÆ REGI, &c.

Beatus Rhenanus. S. D.

HOMERVS *ille parens omnis eruditionis, invictiſsime Cæſar, non fruſtra conſultricem adhortatricemq́ Telemacho Minervam attribuit, innuens quantum expediat priuſquam negotium aggrediamur, ſapientiorem in conſilium adhibuiſſe. Proinde quod vulgo fieri videmus ab hominibus prudentibus atq́ cordatis, ut quoties in longinquas regiones profecturi ſunt, ac iter ignotum ingreſſuri, vel ſibi ducem aliquem aſciſcant, ut ſaltem viam à gnaris locorum exquirant, nimirnm ut citius perveniant quo volunt, & iter ſuum commodius explicent, id utinam ſemper imitentur qui ſe ſtudiis literarum addicunt. Etenim ubiq́ recta inſtitutio præmonitioq́ magnum momentum habet, in literis longe maximum. Neq́ enim ſtatim adeſt diſcenti judicium, quod uſu*

longo multoq́; labore vix tandem contingit, non quidem omnibus paſſim, ſed felicioribus tantum ingeniis ut non eſt, juxta proverbium, cujusvis adire Corinthum. Nam quoſdam videre licet in ſtudijs tumultuantes nullum non movere lapidem, quo propoſitam diſciplinam aliquam conſequantur, & tamen exactam, ſive mediocrem etiam, cognitionem quotuſquiſque eſt qui nanciſcatur. Idq́; ſi uſpiam alibi, præſertim in hiſtoriarum lectione ſolet vſu venire pleriſque. Nam quis non è trivio populorum regionumq́; nomina crepat, Germanos, Alemannos, Francos, Saxones, Sueves, Helvetios, Germaniam ſuperiorem & inferiorem, Germaniam magnam, Franciam, Alemanniam, Sueviam, Baioariam? Quod ſi roget quiſpiam, vnde & quando natæ ſint hæ gentium & provinciarum appellationes, hic verò paucos reperias, qui poſſint hiſce de rebus exactè diſſerere. Et tamen, ut ingenuè quod veriſſimum eſt fateamur, niſi hæc quis teneat, neſcio quo cum fructu legendis hiſtorijs ſit vacaturus. Hoc verò mirum, quod in Romana antiquitate cognoſcenda diligentiſſimi ſumus, in media aut etiam vetuſtiori, quæ ad nos maximè pertinet, negligenter ceſſamus. In cauſa fortaſſis eſt, quod

ex lu-

ex luculentiſſimis ſcriptoribus illa facilè cognoſcantur, qui nuſquam non extant, hæc autem propter autorum inopiam judicio magis colligere ſit neceſſe, quàm alio quovis præſidio. Quam ob rem bene mereri de ſtudioſis putandi ſunt, qui rem minimè obviam non ſine ingenti labore perquiſitam in medium candidè proferunt. Haud deſunt fortaſſis qui veterem adhuc rerum ſtatum ſomnient, qui JULIUM CÆSAREM, *qui* PTOLEMÆUM *mordicus teneant, nec aliter perſuaderi poſſint, quàm ab illis traditum eſt: ſed tamen propter iſtos, ſi qui tales erunt, non ſunt deſtituendi cæteri ſtudioſi, quo minus bonis ac candidis ingeniis ſuccurratur. Quæ me res movit, Maxime Princeps, ut poſt meum nuper ex Auguſta reditum, rogatu quorundam amicorum, de provinciis Romanis quas à ſiniſtra Rheni fluminis, à dextra Danubii ripa contra veterem Germaniam victores orbis poſſederunt, & illarum ſtatu quo videlicet gubernatæ ſint modo, præſertim ſub poſterioribus Imperatoribus, qui videlicet* CONSTANTINUM *illum* MAGNUM *inſecut ſunti, aliquid annotarem adjutus libro vetuſto qui Præfecturas Romanas ejus ſeculi recenſet: tum ut ſtilo proſequerer quemadmodum illa ſint collabente jam Imperio Occi-*

dentali non à Francis modò, ſed & ab Alemannis ſive Suevis, Marcomannis, Nariſcis, ac Quadis occupatæ. Proinde populorum iſtorum emigrationes, & mutatas in ipſa ante Germania veteri ſedes (quas nos demigrationes vocamus) quantum nobis poſsibile fuit, explicuimus. Nec ullos eſſe ſuſpicor, quibus hic labor meus non futurus ſit utiliſsimus. nam doctiſsimos etiam viros quoties de Provinciis incidit ſermo, video cæcutire. adeo nullum faciunt diſcrimen inter veterem illam Germaniam, & eam quæ poſterius eſt occupata. Hinc Hermolaus apud Plinium *de veteri Germania loquentem pro Mæno Aenum legi poſſe putat, non hoc facturus ſi animadvertiſſet Germaniæ fluvium Aenum eſſe non poſſe, qui Norirum provinciam à Rhetia deſtinguat. Itaq; quantum momenti ſit allatura hæc mea lacubratio ſtudioſiis hiſtoriarum, non eſt facile dictu. Plurimum enim erret neceſſe eſt, qui Provincias à veteri Germania diſcernere neſciat. Equidem hinc ille veterum error manavit putantium* Varum Quintilium *cum legionibus Rom. apud Auguſtam eſſe cæſum, qui in Teutoburgienſi ſaltu trans Rhenum in Veteri Germania, vicente* Arminio *occubuit. Quod ſi ſciſſent Rhætiam*

pri-

primam, in cuius fine ſita eſt Auguſta, Romanorum fuiſſe provinciam, nemo hoc dicturus fuerat. Siquidem conſtat VARUM *in Germania trucidatum. at Rhetia ad Germaniam id temporis minimè pertinebat, Romanis obœdiens. Iam litem illam* ἄσπονδον *quæ olim inter civem meum* Jacobum Wimphelingium & Murnarum *me puero viguit, de Galliæ Germaniæq́ terminis, promptum ſit hinc reſcindere. Fateor verò non poſſe emigrationes iſtas Germanicarum gentium tradi, ſic, ut curioſis per omnia ſatisfiat, puta qua parte anni, quot navigijs tranſierint, quanto numero. ſed tamen ingenia candida non requirunt iſtiusmodi minutias, quibus abundè ſufficiet, iſta facta eſſe monſtraſſe. Porrò quia de veteribus Francis, Alemannis, Saxonibus, & cæteris quibuſdam parum admodum in literis extat, quod non ſit fabuloſum, de ijs populis paulò prolixius ago, nihil tamen afferrens quod non ex autoribus ſit ſumptum, ſed quos multi non attingant propter depravatam lectionem. Sed & ea perſecutus ſum quæ poſtquam illi Romanorum invaſere provincias, accidiſſe comperi, tum de cultu ſpecieq́ earum gentium pauca. Quarum rerum cognitionem tuæ majeſtati gratiſsimam arbitror futuram, quæ nuper ad faſces regni Germanici,*

quod hodie Romanum Imperium appellatur, communibus principum electorum calculis eſt evecta, approbante hoc fratre tuo CAROLO *Auguſto. Siquidem eius imperij primordia cognoſcere jucundum erit, quod nunc ſuperis faventibus ipſe feliciter es adminiſtraturus. Huc accedit quod maiores tuæ celſitudinis, à Germanis qui Rhenum olim tranſgreſsi ſunt (Francos & Alemannos intelligo) ſuam ducunt originem. Nam Habinſpurgios comites nihil aliud fuiſſe video quàm veteris Vindoniſſæ dominos, quam vulgus Gallorum Vindonem olim vocabat & Vendonem: unde Vendonenſem eccleſiam appellatam reperio, & Avendum fortaſſe caſtrum citra aſpirationem, quod Germani, V in B verſo, Habinſpurgum, id eſt altam Vindoniſſæ ſive Vindonis arcem dicebant. Quæ res majorum tuorum antiquiſsimam nobilitatem arguit, ut quia ante apud ſuos clariſſimi, poſt illam primam Francorum & Alemannorum tranſmigrationem merito celeberrimæ civitatis & tractus Helvetiorum imperium adepti ſint. Sed de Vindoniſſa abunde meminimus lib. III. Cæterum vel hac de cauſa tuæ Majeſtati inſcribi debuit hoc opuſculum, quod nullus hodie Germaniæ principum eſt, qui plures provincias poſsideat propriæ ſuæ ditioni ſubiectas, in qas olim*

tranſcen-

tranſcenderint Germani. Nam & Pannoniam ſecundam proximis annis acquiſiviſti, iuſtiſſimo titulo Rex illius, poſt affinis tui LUDOVICI *mortem, factus. Ergo,* FERDINANDE *Cæſar inclyte, lucubrationem iſtam tot nominibus tuæ Maieſtati debitam animo benevolo lubens accipito, velut gratulatorium munus, quando nunc ab omnibus Cæſareo nuper auctus faſtigio, paſſim ſalutaris, adiris, donis etiam conceptam animo læticiam teſtantibus frequentaris. Quumq́ à maximarum rerum cum curis, & bellis contra graſſabundos Chriſtianæ religionis hoſtes Turcas ſuſceptis, pauliſper fueris feriatus, librum hunc in manus ſumito, cuius te lectio multas magnasq́ rerum mutationes docebit. Deus Opt. Max. felicitatem rebus tuis, & orbi Chriſtiano pacem largiatur. Bene valeat Maieſtas tua, cui me commendo. Seleſtadii Calendis Martiis. Anno M. D. XXXI.*

ILLV-

ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

Dn. CHRISTOPHORO DVCI WIRTEMBERGENSI ET DECK. COMITI MOMBELLIGARDI,

Jon. Sturmius S. P. D.

PRæclarè de mortalium merentur rebus, qui Imperatorum & Regum Principumq́ue virorum res fortiter & cum gloria geſtas, ingenii & literarum monumentis, memoriæ poſteritatis conſecrare conantur. Cum enim omnis ſemper excellens in ſocietate humana virtus memorabilis extitit: tum bellica præcipuè, quæ abſque animi altitudine non poteſt elucere. Sed ingenii etiam & doctrinæ & ſapientiæ honores, ſuam quoq́ue habent meritorum erga mortale genus illuſtrem famam: neque enim excogitare & conſulere, & docere ſapienter alios minus quàm fortiter pugnare & belligerare glorioſum eſt. Quamobrem etiam illi

illi in humanæ commendationis poſſeſſione ſunt, qui poetarum & oratorum, & philoſophorum & ſapientium virorum vitas conſcripſerunt: neque enim nulla videri debet laus apud *Xenophontem* in Commentariis dictorum & factorum *Socratis*: & illuſtris laus in altera, utraque ejusdem autoris, de Perſarum rege Cyro hiſtoria. Utrunque enim, ſcilicet fortiſſimorum facta & ſapientiſſimorum hominum conſilia congerere atque conſcribere, veritatem incorruptam, diligentiam ſummam, doctrinam peculiarem, judicium acutum atque perfectum requirit. Nam ut de bello ſuperiore proximo Germanico dicam, quod à Carolo Cæſare recente memoria omnium geſtum eſt: quàm multa continet quæ ignorantur? Fui ego in adverſariis caſtris: multa vidi, multa audivi: verſatus ſum (ut verecundè loquar) cum multis. ſentio tamen quot res, & quales mihi deſint ad hiſtoricam veritatem, & ad operis confectionem, ut etiam iis deeſſe ſentio, qui de hoc bello vel ſcribunt, vel loquuntur, vel judicant. Et tamen in iſtis caſtris facilius fuit Ducum conſilia animaduertere, propter ſocietatem & multitudinem: quàm in alteris, ubi Cæſaris voluntate & ſapientia nutuque omnia gerebantur: cujus non ſolum cogitationes ſemper occultæ ſunt, ſed etiam conſilia recondita, & rationes inexplicabiles: qua in re inde à principio Imperii admirabili uſque huc & prope divina fuit præditus prudentia. Et tamen iſtud bellum neque temporibus longum, neque rebus gerendis numeroſum fuit.

Quid

Quid ſi quis de rebus Germanicis univerſis, aut de Gallicis, aliisque ſcribere aliquid inſtituat, quod dignum eſſet ſempiterna hominum memoria, quàm operoſe, quàm diligenter, quanta cura elaborandum eſſet? Fatendum ergo eſt mihi profectò magnum & arduum eſſe Regum populorumque hiſtorias conficere, ſed eædem etiam virtutes in vitis requiruntur cæterorum virorum qui aliquibus laudibus enituerunt, conſcribendis quæ in hiſtoriarum contextu ſunt neceſſariæ. Nam ut ad exempla veniam, ſi quis inde ab ætate *Laurentii Vallæ*, uſque ad noſtra tempora memoriam antiquitates repetat, inveniet in hoc parvo ſeculo permultos perclaros doctrina viros extitiſſe: quorum velit vitas explicare, ſentiet longè plus in rerum conquiſitione, quam earum comemoratione laboris eſſe ſuſcipiendum. Primum enim multorum annorū vita eſt, & quæ dicuntur, quævè faciunt homines, ea in locis variis, temporibuſque diverſis, & apud homines inter ſe remotos agitant. Deinde multa vel propter pericula celantur, vel propter verecundiam & oſtentationis pudorem prodi non poſſunt: eoque ſimul cum morte omnia auferuntur. Omnia iſta quiſque animo ſuo ſecum reputans, vera eſſe comperit, vel in hac tua præclariſſima dignitate, vitæque agitatione, Illuſtriſſime Princeps: quam multa ſunt vel cogitata ſapienter, vel diſſimulata prudenter etiam conſiliariis incognita: quæ poſt te nullum habitura ſunt neque enunciatorem neque ſcriptorem. Sed plerisque in rebus conſimilis Dei hominumq́, imago

imago eſt: multo maxima pars divinæ bonitatis latet inviſa, inaudita, nulloque ſenſu cognita. multa fieri divinitus vident mortales: quibus verò de cauſis fiant, ne ſapientum quidem quisque poteſt animadvertere. Ita etiam celſi animi fit hominibus: ut propter reliquorum aut ſtultitiam aut malitiam, multa animis occultata moliantur, multa ſuſcipiant atque perficiant: quibus verò id rationibus conſequantur, non indicent. unde fit ut ſæpe humanum genus absque rationibus & laudet & admiretur, contra vituperet etiam atque deſpiciat, nullo judicio. Idem mihi in magnæ noſtri ſeculi famæ viro hac ſecunda Februarii menſis hebdomade accidit. nam cum rogatu amicorum *Beati Rhenani* vitam propoſitum mihi eſſet literis complecti: prius obſervantia, & reverentia, & admiratione viri occupabar, quam adjuvarer argumentis, aut rerum materia niterer; In viri enim tanta nominis celebritate, & in tali doctrina, & tam amabili gravitatis & modeſtiæ, vitæque & doctrinæ contemperatione: & in præſenti adhuc omnium doctorum hominum recordatione, nihil mihi defuturum putavi, aut ad veritatem rerum aut gravitatem ſententiarum, aut orationis copiam. Sed vix opus in manus aſſumpſi, cum inter ſtilum materia & incudulam evaneſceret. & cum hominem me in manibus verſare putarem, ſenſi ex iiſdem quaſi Dei umbram effugiſſe ſubito. Ejus incommodi cauſæ ſunt: primum privatim exacta viri vita: deinde ingens quidem doctrina, ſed modeſtia verecundiaque magis occultata, quàm faſtu

aliquo

aliquo aut oſtenratione venundata. Itaque tantum annotavi quantum à me per triduum cognoſci à familiaribus potuit. Placuit tamen idipſum cujusque modi ſit, Illuſtriſſimo tui nominis patrocinio commendare: non tamen absque comitatu eorum librorum quos de rebus Germanicis ille vir ſcripſit, ut quod mihi decedet fidei, propter rerum ignorationem & ingenii imbecillitatem, id cumulatius horum librorum bonitate queat ſuperare. Quanquam non eo iſtud ſcripſi, quo exemplum ſit formæ alicujus bonæ, ſed ut incitamentum, quo poſſit quivis aliquid dare præſtantius: in eoque nominis tui autoritaem appellare: qua excitentur aut exteri, aut etiam tui, præſertim Tubingenſes, quorum nullus eſt, in iis quos ego novi, qui major non ſit, quàm ipſe ſim, artifex: ut *Joannes Sichardus*, qui cum juris ſcientia doctiſſimos noſtri ſeculi Jureconſultos poſſit æquiparare: & *Leonardus Fuchſius*, qui cum præſtantiſſimis medicis non cedere debeat: tamen uterque hiſtoricus non ſolum doctrina eſt, verum etiam oratione eſſe popoteſt & ſtilo. Deinde *Jacobus Scheggius*, non ſolum philoſophus, verùm etiam philoſophus diſertus & copioſus. Præterieram, *Melchiorem Volmarum*, hominem quam plurimis annis inſignitè doctrinis linguisque eruditum, & benignum hoſpitem meum cum Tubingæ eſſem: magnum virum naturæ bonitate, & eruditione eximium. Hos ego & in hiſtoriis & cæteris artibus atque diſciplinis ingenii gloria excellere ſcio: dignos ſanè qui in Regum Principumque gymnaſiis conſpiciantur. Quos ego in hoc

in hoc illuſtriſſimo auſpicio tuæ Reipublicæ, fidei tuæ commendo: ipſumque gymnaſium, quod ab EBERHARDO patrueli proavo conſtitutum, & ab ULRICO patre renovatum & amplificatum, tua nititur prudentia, autoritate, bonitate, liberalitate, in hiſce miſerabilibus ingeniorum & literarum temporibus. Sed ut ad *Beatum* revertar, ejus etiam memoriam commendo, & hoſce tres de Germania libros, oratione pura, ſtilo acuto, judicio ſubtili, doctrina ampla variaque compoſitos: vitam etiam ejus innocentem, temperatam, verecundam, pacificam, & in perpetuo ocio ſemper laborioſam: & in laboribus tranquillam, & in tranquillitate ſollicitam de libertate paceque publica, contra Turcarum vim, contra omnem temporum injuriam: quam à te depellat Optimus Maximus JESUS CHRISTUS.

MONU-

MONUMENTUM
BEATI RHENANI,
Auctore
Ioanne Sapido

RHENANUS LOQUITUR.

Quod nunc illuſtrata ſuis Germania rebus
Noſcitur, eſt noſtri non leve Martis opus.
Quod veterum purè autorum monumenta leguntur,
Acceptum mihi, qui legerit illa, ferat.
Quod variis inſcripta notis & picta figuris
Patria culta mea eſt, autor & ipſe fui.
Inde caduca mei pars ſic licet obruta terra,
Parsque mei, cœlum, non peritura, colat,
Non humana tamen totus commercia linquo:
Nam partem partes hæ peperere duæ.
Illa viros doctos linquet, linquetur & ipſis
Quum ſol occiduo tollet ab orbe caput.
Muſa mei Sapidime, conſuetudinis ergo
Antiquæ, fecit poſt mea fata loqui:
Juſſit & incidi ſaxo mea verba perenni,
Ut ſint officii pignus & arrha ſui.

CASPARIS URSINI VELII

O mihi poſt magnum venerabile ſidus Eraſmum!
Nunc quoque vix illo, culte Beate, *minor.*
Tota nihil vobis Germania doctius ingens,
Forſan & haud aliquid doctius orbis habet.

GEORG. FABRIC.

Quicquid habet noſtro Germania tempore lucis,
Debetur ſtudio, docte Beate, *tuo.*

BEATI RHE-
NANI VITA, PER JOAN-
NEM STURMIUM.

BEATO RHENANO oppidum Rhenacum, unde pater Seleſtadium advenerat, cognomentum dedit. Id oppidum ſupra Argentoratum ad quatuor milliaria heno alluitur: ab eodemque ex parte maiore uvionibus aut diminutum lenibus, aut ſubi- abſumptum eſt: quæ cauſa nonnullis inde igrandi fuit. ex hoc loco quoniam pater adve- Seleſtadij erat, *Antonius Rhenanus* eſt cogno- inatus. Aliquoties ex Beato filio auditum , ſæpe ſe pœnituiſſe, quod adventicium no- en retinuerit, avitum non uſurparit. Nam ajores ejus Bildij antiquitùs appellabantur. it Antonius pater diligens ſuarũ rerum pater- miliâs, qui cum artem lanioniam præcipue ctitaret, ex parva pecunia quam Rhenaco portaverat, parſimonia & aſſiduitate medio- citer magnã confecit: ratione bona, ut in Se- atum paucis annis fuerit delectus, & conſula- um geſſerit, & functus ſit omnibus eius urbis uneribus. Hoc parente generatus fuit Bea- s Rhenanus Anno M. CCCC. LXXXV. Fri- richo III. Imperatore Auguſto, Pontifice nocentio Octavo, Rege Galliæ Ludovico decimo. Eodem quo natus fuit anno, ma-

trem amiſit Barbaram Kegeliam: cujus virtutem mariti Antonij vita vidua comprobavit. nam eadem quæ prima, etiam poſtrema uxor fuit: cum unus ſolùm filius eſſet Beatus, patris hæres, idque ante ætatis flexum. Audio enim ex familiaribus Rhenani, poſt filium natum & uxorem mortuam, ultra trigeſimumquintum filij annum perveniſſe: neque ſuæ vitæ attigiſſe annum octuageſimum. Ergo in ſpe pater non concepta, ſed confirmata, de filij probitate mortuus eſt: & filius ſeculo literarum non infœlici fuit natus. Angelus enim Politianus uſque ad vigeſimumquartum annum Beati Rhenani vixit (intra quod tempus etiam Hermolaus Barbarus, qui ante Politianum natus fuit, & Joannes Picus Mirandula, & Theodorus Gaza, & Georgius Trapezuntius, & Marſilius Ficinus & Jovianus Pontanus literarum laudibus floruerunt. Quanquam in Germania eo tempore infantia adhuc ſtudiorum & literarum erat. Nam præter Rudolphum Agricolam Alexandri Hegij magiſtrum, & Eraſmum Roterodamum Hegij diſcipulum, Germania nihil magnum atque præclarum in literis viderat. ſed tamen horum ſcriptis probabile eſt, & ex eius ævi hominibus intelligitur, iſtis exemplis tum excitata fuiſſe adoleſcentum & juvenum ingenia, ad majorem non modo doctrinarum, ſed etiam ſermonis atque linguarum puritatem. Adoleſcebant eadẽ tempeſtate ſtudia Philippi Melanchthonis, qui duodecim annis, ut opi-

nor

or, minor erat. Apparet etiam ex hiſtorijs, ontifices & Imperatores & Reges & Reſpu-icas delegiſſe ad ſua conſilia homines erudi-s: quibus Maximilianus cum primis fuit de-ſtatus. Hiſce hominum temporibus ho-o mediocriter locuples, unius filij pater, ortua uxore, filium literis deditum eſſe vo-t, & literarum cauſa ad alias gentes profi-ci. Credo enim non ſolùm naturæ boni-e patrem eò impulſum eſſe: verùm etiam toritate Rerumpublicarum atque Principũ, exemplo doctorum, & hortatu amicorum: hæredem unum literarum doctrina vellet à ero erudiri. Nam cùm primùm idonea æ-eſſe cœpit, Cratoni Udenhemio datus ad tituendum eſt, qui tum Seleſtadij literas do-t: magno & morum gravitate, & doctrinæ nione, pro ut illa erant Germaniæ tempò-viro: quo mortuo, Hieronymo Gebuile-traditus, ſpe ſtatim de principio apud utrun-e bona, eos fecit progreſſus, ut cæteris con-cipulis inferiorum ordinum præficeretur & igentiæ & profectus cauſa: quemadmodum Sapido intellectum eſt: qui ſe unum ex ijs ſſe dicit, quibus fuit præfectus, & quos non ùm docuit, verùm etiam caſtigavit. Poſt ic diſciplinam miſſus Lutetiam eſt: quò et-Sapidus tertio poſt anno ſubſecutus, Bea-domi Ariſtotelis Oeconomica explicantem livit. Florere ea ætate cœperunt magis quam ea in Gallia & Germania literæ. Græcas enim

tum Lutetiæ Georgius Hermonymus Spartanus docuit, quem diu multumque audivit: & Dialectica Phyſicaq; Jacobus Faber, eiusque diſcipulus Jodocus Clitoveus expicabant: quorum utriq; fuit familiaris. Fuit circa id etiã tempus Lutetiæ Eraſmus Roterodamus: qui primũ Adagiorũ divulgatione cœpit magis quã antea inclareſcere. Fauſtus etiam Andrelinus ibi magna auditorum frequentia poetas docuit, & epiſtolas ſuas adagiales conſcripſit: uter ab altero provocatus, à Fauſtóne Eraſmus, qui Adagia prope latinæ græcæque linguæ omnia & collegit & digeſſit: an ab Eraſmo Fauſtus, qui quam plurima paucis rerum argumentis contexuit, mihi incognitum eſt. Bona tunc temporis literarũ conditio fuit, quæ diuturna & inveterata barbarie ſuppreſſæ, poſteaquam in lucem revocari cœperunt, magnũ ſui deſideriũ excitarunt: tum natura ſui, quæ eſt ſuaviſſima: tum etiam præmiijs, laudibus, honoribus: quæ omnia noſtris moribus ſublata, inopiam brevi prænunciant non ſolũ doctorum hominum, verumetiã ſtudioſorum. Is huius temporis ſtatus magno adiumẽto Beato Rhenano fuit: nam primi præceptores Crato & Hieronym. Gebuilerus, tametſi pro doctis & bonis habebantur, tamen bonitas in ijs maior quàm doctrina fuit. Occupabant enim tum adhuc literarum gymnaſia Alexander Grammaticus, & Petrus Hiſpanus Dialecticus, & Tartaretus cõmentator: & in Theologia plus poterant authoritate Scotus & Lyra, quàm

quàm ij ipſi ſcriptores quos ſunt interpre-
. Id etiam quod ex Ariſtotele, & cæteris
ptoribus Græcæ philoſophiæ tradebatur,
i ſolùm verbis impurum, verùm etiam ſen-
tijs aut obſcurum erat, aut depravatum, aut
um. Sed velut in plantis & herbis fit, in
bus quæ probæ naturæ ſunt, eæ meliores
cos è ſolo ad coaleſcendum exſugunt: ita
enijs etiam hominum accidit, ut qui melio-
ndole præditi ſunt, illi meliora ſtudia ſe-
ntur, & elegantiam barbariæ anteponant.
quod Beatus ſive ſua ſponte, ſive hortatu
iiliarium, ſive exemplo aliorum fecit; &
audire maluit, qui aut utranque linguam,
æcam & Latinam tenebant: aut qui ſermo-
n Latinum ad elegantiam artiũ potius quàm
earum fœdationem tradebant. Sed inter
adiſcipulos Lutetiæ cum ætate parem, tum
luſtria & doctrina æqualem habuit Michae-
n Humelbergium? quo plurimum in com-
entationibus ſtudiorum, & eorum quæ au-
rant uſus eſt: nam Sapidus utroque annis
opar erat. contrà etiam Wimphilingius ma-
e erat in obſervantia propter ætatem & æ-
nationem, quàm in amicitia eſſet propter
dia iuventutis. His initijs & artium & lin-
arum inſtructus, & in Germaniam reverſus,
ud diu in patria hæſit: & primum Argento-
i aliquot annis conſtitit: poſtea Baſileam pro-
ſtus eſt, ut magis excoleret ea quæ didicerat:
ut qui curſus conficiendus eſſet in philoſo-

phorum literarumque gymnaſijs, eum non deſereret anteaquam ad metam perveniſſe videretur. Commodum tum ex Italia venerat Joannes Cono Noricus: qui Græcam linguam ibi ab eruditiſſimis hominibus cognoverat: commodum etiam illud, quòd Joannes Amerbachius D. Hieronymi libros divulgare inſtituerat: qui ut hi emendatiores in lucem irent, Cononem ad ſe domum hoſpitio invitavit: eoq; non ſolùm in emendando Hieronymo adjutore, verùm etiam in liberis erudiendis præceptore eſt uſus. Itaque cum Brunone & Baſilio & Bonifacio Amerbachijs fratribus Cononem Græcos ſcriptores intérpretantem audivit: quem etiam mortuum cum pietate coluit. Extat enim Baſileæ Epitaphium monumentum, quod Beatus hoc titulo Cononi conſtituit. D. O. M. SACRUM. Τοὺς ἀγαθοὺς ϗ θανόντας εὐεργετεῖν δεῖ. In eo Epitaphio præceptori ſuo quinquagenario, anno M. D. XIII. mortuo, Theologiæ & linguæ Græcæ atque Latinæ ſcientiam, vitæque integritatem, & ſtudium juvandarum literarū tribuit. Mortuo Conone aliquot annos Baſileæ propter loci ſalubritatem atque amœnitatem, & ob doctiſſimorum hominum optimorum virorum cōſuetudines atq; familiaritates manſit: Amerbachiorum ſcilicet, Frobeniorum, Ludovici Beri theologi, Claudij Cantiunculæ Jureconſulti, Henrici Glareani, Gulielmi Neſſeni, Ludovici Carini, Nicolai Briferi, Pauli Phrygionis, Marci Berſii: cum quibus aut amicè

cè aut familiariter aut domeſticè vivebat. Sed
ſteaquam Eraſmus Roterodamus eôdem ad-
nit, fructum ibi tum ſe Baſilienſis vitæ per-
ere putavit: quem ita reverenter coluit, &
ab eodem amatus fuit, ut par eſſet & in
ato obſervantiæ, & in Eraſmo amoris ſigni-
atio.

Nam ut de moribus eius dicamus, & de cæ-
ris animi ornamentis: præter excellentem do-
inam, dum vixit, innocentiæ & humani-
tis, & pudicitiæ laude fuit commendatus.
e pudicitia conſtat, quòd non ſolùm abſque
mine, ſed etiam abſque ſuſpitione criminis
que ad exitum vitæ vixerit. Etiam de huma-
tate clarum eſt, neq; in amicitijs durum, ne-
ie in familiaritatibus ſeverum, neque in con-
eſsionibus difficilem fuiſſe. De innocentia,
iæ ab injuria ſemper remota eſt: nihil viſum,
hil auditum ab eo aut factum aut ſuſceptũ aut
ſtitutum eſſe, in quo poſſet culpari, niſi il-
id ſit, in quo major voluptas eſt, quàm eſſe
oſſit reprehenſio. Fuit Argentorati Doctor
oannes Geilerus theologus: vir, ut ejus tem-
oris homines loquuntur, & ut ex eius concio-
ibus poteſt intelligi, ea ætate in populo docen-
lo ingenioſus, & in vita innocens atq; probus,
c populo non ſolùm gratus, verũ charus etiã &
onoratus: in cujus locũ mortuo Petro Vicra-
nio, qui antea ſucceſſerat, Doctor noſter Ga-
par Hedio nõ minore gratia, ſed difficiliore tẽ-
ore eſt ſubſtitutus. Geileri vitã Beatus Rhe-

nanus ex Gallia reverſus, cum Argentorati apud librarium Schurerum ageret, conſcriptam divulgavit: in qua de Virginibus noſtri ſeculi pœnitentialibus meminit, quarum religionem in cæteris ejus ætatis religionum cæremonijs plurimum Geilerus amavit. In quo ſcripto Beatus his verbis ſcribit de iſto virginum collegio: *Has cum luxu & deliciis diffluerent, nec pudicitia ſic tuta ſatis videretur, ſub arctiorem vivendi regulam redegit.*

Quibus verbis exacerbatæ fœminæ, injuriarũ inſtituerunt cum Beato agere. Et niſi compoſita offenſio fuiſſet per viros, qui tum erant cum autoritate, metuenda erat ex delatione nominis Beato ex urbe Roma condemnatio. Hanc ſolam cognovi eius contentionem, cæteroquin nullis fuit provocatus inimicitijs: neque ab eo quenquam puto ulla fuiſſe vel percuſſum vel appetitum iniuria. Neque enim hæc res ab ætatis meæ memoria remota eſt: etenim fuit annis ante me natus Beatus Rhenanus viginti duobus, & quod ex lectione librorum, & memoria meorum amicorum habere non potui, id ſi quid eſſet didiciſſem ex virorum ætate grandiorum ſermonibus: ut de Eraſmo & Huteno, de Capnione & Hoſtratano, de Politiano & Merula, de Murmelio & Liſirio, & lectum à nobis eſt, & ex amicis cognitum. Sed fuit Beatus vir (ut mihi perſuaſum eſt) probatis omnino moribus. Fuerunt tamen nonnulli & ex noſtris, qui in eo fortitudinem, & ex alijs

qui

i liberalitatem requirerent: quæ vitia ſi fuiſ-
ıt in eo, tamen absque ullo publico extarent
trimento. Imò ego utrunq; temporibus acci-
ſſe, & non ſolum vituperabile neutrum, ſed
runq; laudabile fuiſſe arbitror, ea qua ipſe erat
tura, & eo ingenio eoque vitæ inſtituto. Ne-
o enim aliquid ſuſcipit quod reipublicæ peri-
loſum ſit, niſi aut excelſi ſit, aut temerarii a-
mi: mediocritas omnis pacem publicam ſe-
iitur, ocium ſingulorum amat; & quod his
lverſarium eſt, extimeſcit, mavult enim pri-
tim cum omnibus pati, quàm paucis autori-
ıs moliri, in quo incertos & periculoſos o-
orteat exitus pertimeſcere. Quanquam etiam
atum Rhenanum & in patrimonio conſervā-
peperciſſe, & matrimonio coeundo ſuæ na-
ræ diffidiſſe, & in religione ſuſcipienda ti-
uiſſe animadvertam: verumtamen hæc ipſa
lia ſunt, ut potius prudentiæ laudem merean-
r, quàm commereant timiditatis vitupera-
onem. Nam ut de matrimonio dicam primū,
ıanquam veriſſimè à divo Paulo ſcribitur,
ubere melius eſſe quàm uri: tamen non uri eſt
ptabile: & reprehēdendū eſt, temerè contra-
ere matrimonium: & ſtultum flammam, an-
quam ſentias, excitare: credibile etiam eſt
on ratione ſolùm, ſed etiam natura à connu-
io Beatum abſtinuiſſe, id quod ex patris jactu-
ſenſuque intelligo. Nam poſt matris Barba-
æ obitum multis annis cum pater ſolus cum
ncillula vetula domi rē curaret, Joannes Myl-

lerus fur quidam ingenioſo invento ex vini doliis, quæ in veſtibulo erãt, interdiu per dies compluſculos ædium notatis locis, poſtquam mille quingentos Argentinenſis precii aureos patri ex arcula abſtuliſſet, per literas à Sapido Rhenanus petiit ut patrem conſolaretur, ea ratione, quod ipſe ex literis & à præceptoribus cognoviſſet, talia & accidere hominibus ſæpe poſſe, ſæpe etiam ſapientibus & bonis accidiſſe. & tamen eſſe ferenda non ſolũm mediocriter, verũ etiam forti altoque animo: reſpondit pater, non ſe de eo damno ſolicitum eſſe, ſed magis dolere, filium à matrimonio abhorrere, & potiùs ſe ſucceſſorem videre hæreditatis, quàm patremfamiliâs alium, propterea quòd de uxore non cogitaret. Non tamen plus potuit patris votum quàm filii natura: quæ cujusmodi fuerit, in ætatis curſu potuit animadverti, vitæ enim ut tranquillæ appetens, ita ſolicitæ fugiens erat, ut in ea ætatem degere poſſet, à Carolo Cæſare privilegium civilium vacationũ obtinuit: quo liber in patria eſſet etiam à ſenatoriis & forenſibus laboribus. Fortaſſis hæc una cauſa fuit vitæ cælibis, in qua minor eſt ſolicitudo atque moleſtia quàm in matrimonio, cujus tamen cupidus fuiſſe poſt apparuit. Paucis enim ante vitæ finem annis Annam Brunoniam viduam ſibi deſpondit, mulierem exiſtimationis bonæ, quæ adhuc vivit: & cum omnes mirararentur quid cauſæ eſſet quòd nuptias ſolennes non celebraret, tandem à medicis cognitum

eſt,

ſt, è veſicæ doloribus laboraſſe: cujus etiam
ulceratione interiit. Probabilis conjectura
ſt, inde à juventute & ab ætatis flore præſen-
ſſe id malum, quod cum ſenectus frigida non-
ihil ſedaſſet, ſperata ſalute inſtituit, quod per-
cere non potuit, connubium. Sed iniqui ſu-
ıus, qui aliorum conſilia & conſcientiam per-
rutamur, noſtr[illegible] negligimus. Inique etiam
gerunt, qui liberalitatem ab eo requirebant,
uam enim liberalitatem exercere poteſt, cui
tis eſt rem mediocrem conſervare? & animus
on eſt eam amplificare, ita ut liberalitatem fer-
poſſet. Laudabile eſt ſi in facultate non am-
la abſit avaritia. Convivia ſumptuosè para-
, preciosè veſtiri, locupletis familiæ, non ſo-
riæ vitæ eſt. Exiſtimavit naturæ & conſcien-
æ ſuæ conveniens eſſe, domi privatim & tem-
eranter, nullo faſtu, nullis contentionibus vi-
ere, in ſua bibliotheca verſari: convivia non
agnificè domi inſtruere, ſed ea cum amicis
er intervalla concelebrare. Valeat ergo ille
ocoſus verſus, cujuscunque fuerit: *Beatus eſt*
eatus, attamen ſibi. Ego hanc ejus frugalem
eatitatem omnibus omnium Cæſarum ma-
nificis epulis antepono. Sed ſatis de re nu-
atoria: veniamus ad religionem, in qua aliqui
ortem eum non fuiſſe culpant; quod cum pro-
aret noſtram, partes ejus non ſuſceperit.
ateor ego probaſſe Beatum in religione,
uod præcipuum eſt, doctrinæ lucem: & im-
robaſſe quæ peſtiferæ ſemper fuerunt, do-

ctrinæ

ctrinæ tenebras. Sed omnes iſtæ calumniæ de pecuniarum uſu, & de religione, privatæ conſcientiæ ſunt. Vixit Beatus, dum vixit, absque ullo maleficio, ulláve injuria: vixit vitam philoſophicam. Convertit è Græco in latinum ſermonem duas Gregorii Nazianzeni ad Themiſtium epiſtolas. Illuſtravit res Germanicas, juvit patriam libris tribus, in quibus doctrina ampla, & judicium acutum elucet. Tertullianum, Tacitum, Plinium, Livium commentariolis purgavit, explanavit: & propè reſtituere integros conatus eſt. Neque levem ſanè operam in Velleio Paterculo, ſcriptore planè lacero, & tenebris obruto inſumpſit, dum eum ita expurgat, ut jam magna cum gratia legatur. Euſebii præterea hiſtoriam Eccleſiaſticam (quam tunc Græcè nusquam potuit conquirere) ita adornavit, ut niſi Græca prodiiſſet, vix aliquid fuiſſet in ea deſideratum. De minutioribus taceo, qualia ſunt quæ edidit ſcholia in Ludum Annæi Senecæ. De morte Claudii Cæſ. & in Calvicii encomium autoris Syneſii: item præfationes variæ, quas variis præmiſſas libris invenias. Sed & ex iis quæ ſcripta divulgavit, & ex literis ad amicos miſſis, & ex ſermonibus conſtat, antiquitatis eum ſtudioſiſſimum fuiſſe: ad cujus imitationem multa Seleſtadii cum publica tum privata ædificia inſcriptionibus aut picturis exculta paſſim viſuntur. Deniq; vir bonus & doctus fuit, imò fuit optimus atque doctiſſimus. Nimiæ eſt moroſitatis, in bonitate crimen inveſtigare.

re. Ut autem reliqua p●ſequamur: quia de
ta ejus Pariſienſi & Argentinenſi & Baſilienſi
ibium nullum eſt, quin plena fuerit ſtudii, di-
gentiæ, honeſtatis, quibus virtutibus literarũ
ognitionem amplam comparavit: reliquam
tatem videamus, quam in patria exegit. Patri-
ionium principio à patre mediocre (ſic antè
oſui) expectabat, & vivere cum patre libera-
ter potuit: præſertim cum avunculus Renar-
us Kegelius ſacerdos bona ſua ei teſtamento
d patris bona addidiſſet. Hujus hæreditate, &
atrimonio quod à parente utroq; habuit, con-
entus, primum præcipuumq; vitæ ſuæ munus
ſſe arbitratus eſt, literas colere, & ex literis
rodeſſe rebus mortalium. Quamobrem ubi
atis ſe Baſileæ fuiſſe exiſtimavit, domum rever-
ſus eſt, cum annos ad triginta quinque natus eſ-
ſet: incenſa diſceptationũ inimicitiis inter Pon-
tificios & Lutherum religionis contentione: in
cujus ſocietate propter ingenii placabilitatem
eſſe noluit. Magna fuit illius domus ſolitudo.
Pater enim ſolus cum ancilla (ut antea ſcripſi)
rem domeſticam curavit. Poſtridie quàm filius
Baſilea propter patris valetudinem vocatus ad-
veniſſet, pater diem ſuum obiit. Adduxerat ſe-
cum Baſilea famulum Rudolphum Berzium,
cujus poſtea per vitam opera ſemper uſus fuit;
& præter mulierem vetulam & Rudolphum
neminem ea domus habuit. Inter amicos Se-
leſtadii inprimis Beato Arnoldo, & Jacobo
Spiegelio, utroq; Caroli Imperatoris conſilia-
rio,

tio, familiariſſimè utebantur. Quos coram amplecti non poterat amicos, eorum benevolentiam miſſionibus literarum retinebat. fuit enim in reſpondendo perfacilis & perhumanus. ex noſtris Theologis magno amore & pietate doctorem Hedionem eſt proſecutus. Pluribus amicus, nulli inimicus fuit: ipſe etiam nullius fuit laceſſitus injuria. nam quod Aquæus cum in commentariis Plinianis reprehendit, cui reſpondit humaniter: nihil habuit contentionis aut odii ea diſceptatio. Tempora ſtudiis, quæ erant quotidiana absque intermiſſione, ita per vitam partitus eſt, ut veſperi plus nocti quàm mane adimeret. animi gratia quoties cœli temperies invitabat, quotidie hora aliqua pomeridiana, poſt lectionem aut ſcriptionem domeſticam in hortos ſuos ſuburbanos exire deambulatum ſolebat. prandio horam decimam, cœnæ ſextam dederat. Victus quotidianus ſalubris magis quàm delicatus aut exquiſitus erat. Eadem fuit in cultu frugalitas. Domum quoniam libidinibus & impudicitiæ clauſam tenuit, comeſſationes admittebat nullas: convivia rara eaque optimis parabat. Eraſmus bis apud eum hoſpitio uſus fuit, Baſilea ad ipſum amoris cauſa profectus. & quanquam domi ſolitudinem propter ſtudiorum rationes ſuamque naturam amabat, foris tamen frequenter cum amicis convivabatur. In moribus ejus nulla duricies, nullus faſtus, nulla oſtentatio, nulla de ſe commemoratio,

tio,

o. Cum plurima legiſſet, ſcripſiſſet, audiſſet,
ret, nemini ſe antepoſuit. in religione ne
idem quid ipſe ſentiret ſolebat enunciare:
mvis conſtat, ſyncerioris Theologiæ ipſum
iſſe ſtudioſum. De Eraſmo fertur, quod dice-
ſolebat, *Lutheranos bonam comœdiam male a-
re.* ejus ipſe principio opinionis fuit, ſed ætate
ceſſit propiùs ut idem ſentiret, tametſi idem
on tueretur. dignus ſanè vir cui religionis cau-
committi debuerit, ſi judicibus fuiſſet opus:
opter probitatem, veritatem, doctrinam, ju-
ciiq; acumen, id quod in ſcriptis perſpectè ex-
t. Oratio pura eſt & copioſa, ſtilo artificioſo:
sque imitationis tamen exemplique veſtigiis,
d emendatior perfectiorque annis reddita eſt.
m aliud in dicendo genus eſt, in vita Geileri,
iam Argentorati anno M. D. X. conſcri-
it, & aliud in poſtremis ſuis lucubrationibus.
aletudine fuit non incommoda, nec ullo un-
um dejectus ante ætatem propè actam mor-
, præter eam ſuſpicionem quam de matrimo-
i conſilio diximus: quanquam fluentibus erat
culis, & Sapidus dicit, id vitii etiam in adole-
ente fuiſſe. Illud verò in valetudine memora-
le eſt, quod poſt connubium inter ſe & uxorē
onſtitutum, talis fuit ſtatim ſignificatio mor-
, ut nulla fuerit cohabitatio, nulla etiam con-
etudo, tametſi eam pro uxore victu cultuque
mi non ſuæ, ſed mulieris ſuſtentaret. Ex Ru-
lpho Berzio audivi, tantam fuiſſe veſicæ im-
cillitatem ut urinam continere non poſſet,
eamque

eamque perpetuo vaſculo vitreo exciperet. Idcirco medicorum conſilio poſtquam curari non potuit, profectus ad balneas Badenſes eſt: in quibus non allevatio morbi, ſed tanta exacerbatio extitit, ut inde Argentoratum deportatus; impatiens propter imbecillitatem vectionis, ibi diem ſuum obierit decimotertio Calendas Junias, anno Chriſti M. D. XLVII; ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo; & moritur inteſtatus, quod mirum eſt, hominem ſummi ſemper otii, maximæ providentiæ, cupidiſſimum honeſtatis, amantiſſimum exiſtimationis bonæ, cujus bona eſſent circiter octo millium aureorum æſtimationis Argentoratenſis, paucorum & obſcurorū hæredum: cui factio teſtamenti ſemper fuiſſet, eum absq; teſtamento deceſſiſſe. Sed Rudolphus Berzius ait, ſibi, cum mortē adeſſe ſentiret, demandaſſe, quid ſibi, quid aliis legaret: ſed hæc absq; ſcriptura & absq; teſte: itaq; in controverſiis petitorum bona ejus absq; poſſeſſoribus conſignata jacent. Quanquam bibliotheca Senatui civibusque legata & conceſſa eſt ex ſententia petitorum, & Rudolphi teſtimonio, qui Beati eam dicit extremam voluntatem fuiſſe. Cadaver Argentorato Seleſtadium aſportatum eſt, ut patriæ, à qua animam acceperat, etiam cadaver reſtitueretur ad ſepulturam, & ad doctiſſimi civis, optimi viri, clariſſimi hominis memoriam.

EPITA-

EPITAPHIVM
BEATI RHENANI, QUOD VISITUR SELESTADII IN ſummo templo.

BEATO RHENANO, ANTONI EX VETERI BILDIORVM FAMILIA F. CVIVS EXCELLENS in omni genere doctrina, Græcæ & Latinæ linguæ cognitio, innocentia, humanitas, frugalitas, pudicitia celebris erit, donec rerum hæc univerſitas conſtabit. Studium antiquitatis declarant aliquot Latini ſcriptores, ſacri, profaniqúe ab eo purgati, ac prope integri reſtituti: item Germania, quam omnem tam veterem quàm novam tribus libris mira diligentia illuſtravit: viro magno immortalique memoria digno, RODOLPHVS BERTIVS hoc pietatis monumentum poſuit. Obiit Argentorati XIII. Kal. Jun. ætatis ſuæ anno LXII. à Chriſto nato CIↃ IↃ XLII. Inde elatus heic jacet, ne optimi & doctiſſimi civis reliquiis careret patria, quam vivus tot egregiis monumentis exornavit.

):( ):( ):(

LOCI EX AUCTORIBUS IN HISCE LIBRIS A B. RHENANO VEL EXPOSITI MElius,vel à mendis repurgati atque in integrum reſtituti.

Abbatis Urſpergẽſis locus emendatus 64 118
Agathiæ 161
Ammiani Marcellini 17.19. 43. 60.61.79. 80.84.86.90.94.120. 121.122.132.314.333. 337.339.340.344.
Antoniniani Itinerarii 286
Beroſi & ejus Interpretis 70.347.348.349
Capitolini 125.128
Ciceronis 186. 187
Claudiani 59.66.199
Decretorum locus 177. 321
Eumenii 53.54 56.74
Eutropii 74
Flori 34
Herodoti 231
D. Hieronymi 99
Iſidori 135
Julii Cæſaris 36.227. 253.257.325.330.337
Libri de magiſtratuum Rom. inſignibus 331
Martiani Capellæ 231
Nazarii Panegyriſtis 56.75.88.89
Oroſii 35
Pauli Diaconi 101
Plinii ſenioris 20.45.188 209.212.215.218.219 221.360.361.362
Procopii 217
Ptolemæi 319.320.342
Sexti Rufi 29
Sidonii Apollinaris 97. 98.107.100.117.118.190 197.199.
Stephani 24
Strabonis 241
Vergilii 17
Vopiſci 9. 230

AUCTO-

AVCTORVM CATALOGUS QUORUM TEſtimonijs in hiſce libris Rhenanus utitur.

Abbas Vrſpergenſis.
Agathias.
Ammianus Marcellinus.
Annius.
Antoninus.
Arrianus Nicomed.
Aſinius Quadratus.
Auſonius.
Baſſus poëta.
Beda Presbyter.
Caſſiodorus.
Cicero.
Claudianus.
Diodorus Siculus.
Dionyſius.
Ebersheimenſis monaſterij Chronica.
Erotoſthenes.
Eumenius Rhetor.
Euſebius.
Eutropius.
Felix Hemmerlinus.
L. Florus.
Francorum annales.
Gratianus.
Herodotus.
D. Hieronymus.
D. Hilarius.
Joſephus.
Irenæus.
Iſidorus.
Julius Cæſar.
Juſtinus.
Kalendarium martyrum.
Leo Pont. Max.
Liber de magiſtratibus & præfecturis Romanis.
T. Livius.
Lucianus.
Luitprandus Ticinenſis.
Mamertinus Panegyriſta.
Martianus Capella.
Maximus Planudes.
Nazarius.
Oroſius.
Ottho Phriſingenſis.
Ouda-

Oudarius,
Pacatus Panegyriſta.
Paulus Æmilius.
Paulus Diaconus.
Plautus.
Plinius Junior.
Plinius Senior.
Pomponius Mela.
Procopius.
Provinciarum liber.
Prudentius.
Ptolomæus.
Ratherius Veronenſis.
Regino Prumienſis.
Sex. Rufus.
Rupertus Tuitienſis.
Senonenſis monaſterij Chronica.
Sidonius Apollinaris.
Solinus.
Stephanus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Corn. Tacitus.
Theodoritus.
Vegetius.
Velleius Paterculus.
Fla. Vopiſcus.
Vunefridus epiſcopus Magontinenſis.

BEATI

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS RERVM GERMANICARUM Liber Primus.

GERMANIA VETVS.

QUi Germaniam veterem ad Alpeis uſque extendunt, & Rheni fonte à meridie, de quorum numero præcipuus eſt Pomponius Mela, Rhetiæ bonam partem in dextera Rheni ripa Germaniæ, in ſiniſtra Galliæ tribuere coguntur. At conſtat eos tractus qui Brigantinum lacum attingunt utrinque & etiã ſuperiores, ſub adminiſtratione fuiſſe ducis Rhetiarum. Siquidem apud Arborem felicem, quam Arbonam hodie vocant, præſidium Rhetiæ primæ collocatum fuiſſe, non aliter quàm Bregantiæ ſive Confluentibus in oppoſita ripa, ſuo loco docebimus. Nec abs re Strabo de Germania loquens lib. 7. *Primæ hujus regionis partes*, inquit, *ſunt Rheno proximæ, ab ipſius ferè fontis initio, quoad in pelagus infunditur.* Dicit *ferè.* Ergo Germania non pertingebat ad Alpeis, & ortum amnis Rheni. Itaque ſciendum ſupra Danubii fontem inter Germaniam veterem & Rhetiam primam, limitem à Romanis fuiſſe conſtitutum. Hunc à quibuſdam Impp. promotum legimus arridente victoria. Fuit is ſanè terminus à meridie, partem hanc veteris Ger-

maniæ (quæ & Alemannia poſtea dicta eſt) à provincia Rhetia prima ſive ſuperiori dirimēs. Confiniū Germaniæ Rhetiæque hoc loci non latuit veteres. Nam C. Solinus de Germaniæ terminis loquens, Vigéuonum qui ſinus maris & Sevonem montem accolunt facta mentione, extendi illam inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum tradens, *Ubi incipit*, inquit, *Danubio, ubi deſinit Rheno perfunditur*. Sicque Danubii caput à meridie propemodum Germaniæ veteris terminum facit. Quæ res movit cultiſſimum poëtam Cl. Claudianum, ut ſic caneret ad Mœcenatem ſuum Stiliconem Vandilum:

Sublimis in Arcton
Prominet Hercynia confinis Rhetia ſylva
Quæ ſe Danubii jactat, Rheniq; parentem,
Utraq; Romuleo prætendens flumina regno.

Fontem Danubii Rhetiæ (ceu vides) aſſignat propter vicinitatem. Poſtremum vero carmen diligenter obſervandum, Transdanubianas & Ciſrhenanas provincias innuens: nam has intelligit Romulei regni nomine. Sane nunc melius verba Taciti intelligentur, quum ſcribit, *Germaniam à Galliis Rhetiisq; & Pannoniis, Rheno ac Danubio fluminibus ſeparari*. Siquidem Danubius Germaniam veterem, de qua ſcriptor ille loquitur (nec erat alia continentibus intra fines ſuos adhuc ſe Germanis) dirimit à Rhetiæ ſuperioris parte verſus meridiem: nam ſupra fontem hujus (ut dixi) confinium Germaniæ & Rhetiæ erat, loco non multum diſtanti, quem

nos

nos in ſequentibus certius indicabimus. Deinde ſeparat idem fluvius (de qua re minus ambigitur) Germaniam veterem à Rhetia prima, & à ſecunda, cui Vindeliciæ quoque nomen ſed vetuſtius. Item à Norico ripenſi, tum ab utraque Pannonia prima & ſecunda. A Galliis ſecludit Rhenus. Enimvero Tacitus quum pugnam Cecinnæ cum Helvetiis deſcribit in hiſtoria Auguſta, commemorans nuncios ad Rhetica auxilia miſſos, & juventutem Rhetorum ſtatim affuiſſe, ſatis innuit qui nam utramque Rheni Brigantiniq; lacus ripam tenuerint ſupra Danubii caput: nam res non procul à caſtello Thermarũ geſta eſt ſub monte Vocecio. Aſcribendum huc, limitem per Danubium eſſe ductum ſub Auguſto, quemadmodum Sextus Ruffus autor eſt, non quòd Rhetiæ, Noricum, & Pannoniæ Germanis fuerint ademptæ, quas illi nunquam poſſederant, ſed quòd eas regiones quum uterentur libero jure, ſibi Romani ſubjecerint.

POPULI VETERIS GERmaniæ.

VEterem Germaniam incoluere populi indigenæ, Teutones, Cimbri, Marſi, Gambrivii, Suevi, Vandali, Batavi, Caninefates, Mattiaci, Catthi, Uſipii, Tencteri, Bructeri, Chamavi, Angrivarii, Dulgibini, Chaſuari, Friſii, Chauci, Cheruſci, Foſi, Sennones, Langobardi, Reudigni, Aviones, Anglii, Varini, Eudoſes, Suardones, Nuithones, Nariſci, Hermunduri,

Marcomanni, Quadi, Marſigni, Gothigni, Oſi, Burii, Lygii, Arii, Heluecones, Manimi, Elyſii, Naharvali, Gothones, Rugii, Lemonii, Suiones, Æſtiones, Sitones, Peucini ſive Baſtarnæ, Fenni ac Venedi. Ex Cor. Tacito. Ptolomæus, qui poſt Tacitum ſcripſiſſe creditur, ſed antiquioribus uſus tabulis, more Græco mutans ſubinde nomina, Teutonarios commemorat, Turogos, & pro Quadis Tuados, & cæteros: nam paſſim extat volumen. Externi populi incoluere, ſed qui jam olim vel diſceſſerint vel evanuerint, pars Celtarũ duce Elitovio in ſaltus Hercyniæ ſylvæ tranſgreſſa, Tectoſages Boii, Helvetii. Hodie Sclavini ſive Vinidæ, quos à veteri loco Bohemos, & quos Polonos appellamus. Arrianus Nicomedienſis, qui libris octo vitam Alexandri Magni deſcripſit, accolas quoſdẽ Danubii recenſet in ripa Germanica. *Secundum hanc*, inquit, *pugnam triduo Alexander ad Danubium fluvium profectus eſt, omnium quidem longe maximum eorum qui in Europa ſunt: longiſſimo tractu per terras excurrit, gentes bellicoſas præterlabitur, & eas magna ex parte Germanas, ex quibus ipſius amnis fontes oriuntur. Earum gentium poſtremi ſunt Quades, ac Marcomanni, deinde Iazyges Sarmatarum gens: poſt hos Getæ. Deinde Sarmatarum magna pars. Poſtremo Scythæ, iiq; ad exitum fluminis pertinent, unde per quinque oſtia in Euxinum pontum effluit.* Hæc ille lib. primo. Scripſit autem M. Antonino principe. Cæterum Plinii caput, quo quinque genera veteris Germaniæ populorum enumeran-

enumerantur, caſtigabimus explicabimusque non indiligenter lib. tertio.

STATVS GERMANIAE VETERIS ante Iuliũ Cæſarem, & poſtea ſub Cæſaribus incolumi dum imperio Romano.

POpuli Germaniæ veteris in ſumma libertate vixerunt. Ne tamen putes libertatem in anarchiam exiſſe, Reges ex nobilitate quæq; natio, duces ex virtute ſumebant, ut ſcribit Tacitus. Nec regibus infinita aut libera poteſtas, Duces exemplo magis quàm imperio præerãt, non vi ſed dexteritate ſuis commendati. De majoribus rebus principes conſultabant, de minoribus omnes, ſic tamen ut apud principes conſilia retractarentur, nam vulgus raro ſapit. Regibus vel principibus autoritas dignatioque ex ætate, nobilitate, ſeu laude bellica. In concilijs eligebantur principes, qui jura per pagos vicoſque redderent, Centeni ſingulis ex plebe conſilij autoritatiſque gratia aderant. Sacerdotes religio venerabiles faciebat, Adulteria ſeverè puniebantur. Noctes interdum epulando tranſmittebant, non ſolum dies: *nam diẽ*, inquit Tacitus, *noctemque continuare potando nulli probrum*. Unde quibuſdam adhuc feſtis diebus apud nos à nocte cognomentum, ut eſt ille ſub calendas Januarias, quo juxta ritum Chriſtianum ſervatoris noſtri natalem celebramus, antiquo vocabulo, & haud dubie ex Ethnicorum *VVinnacht*

obſervationibus relicto. *Vuinnacht* appellatur, à vino videlicet conviviisque. nam Vunefridus Anglus, qui Bonifacius mutato nomine dictus eſt, Archiepiſcopus poſtea Maguncianenſis, indicat in epiſtola ad Zachariam ſummum Pontificem, Germanos hanc ob cauſam reprehenſos, ſuæ conſuetudini prætexere, quòd Romani circa templum D. Petri, calendis Januariis ethnicorum more choros ducant, & acclamationibus ubique perſonent, ac menſas eo die ac nocte onerent dapibus, nec quicquam ſupellectilis vicino roganti accommodent, ne ignem quidem ipſum. Apparet igitur non ſolum Germanos, ſed etiam Romanos hic majorum ſuorum conſuetudinem diu retinuiſſe. Tametſi Zacharias in literis, quibus Bonifacio reſpondet, teſtatur præceſſorem ſuum Gregorium ejus nominis tertium, & ſe morem hunc damnabilem jam olim abolitum, ſed denuo repullulaſcentem ſuſtuliſſe. Proinde non eſſe quo ſe excuſent, Germani quin idem faciant. Sed redeamus unde digreſſi ſumus. Bellabant olim Germani vagis incurſibus, & diſiectas per catervas, deinde longa adverſum Romanos militia inſueverunt ſequi ſigna, ſubſidiis firmari, dicta imperatorum accipere. Eos commercium cum provincialibus populis in ripa tantum vel Rheni vel Danubii habere permittebant Romani, Hermunduris exceptis, quibus adeo fidebant, ut intra Auguſtam nobilem illam Rhetiæ coloniam, è regione trans Danubium ſitam & penitiora loca admitterentur, ſine cu-

ſtode

ſtode tranſeuntes, quod aliis non licebat. Siquidem (ut alibi ſcribit Tacitus) quod contumelioſiſſimum erat viris ad arma natis, inermes ac propè nudi ſub cuſtode & precio cum provincialibus coibant. Porrò poſtquam armis Druſi Neroniſque & Germanici ſub Auguſto ac Tyberio ſuis in ſedibus obruti ſunt Germani veteres, aliquandiu magis ſeipſos mutuis bellis attrivere, quam quòd provincias Romanorum tranſrhenanas vel transdanubianas incurſarent. Hoc eſt quod Tacitus ait, *Inde otium donec occaſione diſcordiæ noſtræ, & civilium armorum, expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias affectavere.* Cathi Cheruſcos ſibi ſubjecerunt. Anſibarios pepulere Chauci. Alios alij imperebant. Quæ inter ipſos diſcordiæ exitiales in cauſa fuerunt, ut Germanorum reges, ad Romanos ſubinde reſpicere cogerentur. *Unde vis,* inquit Tacitus, *& potentia Regibus ex autoritate Romana: raro armis noſtris, ſæpius pecunia iuvantur.* Ubi diligenter obſervandum, id ſtudio fuiſſe Romanis, ut Germanos ad diſcordias illicerent. Claudius Aug. Arminii nepotem ex fratre, nomine Italum, Romæ educatum. Cheruſcis petentibus regem dedit. Is avum maternum habebat Catumerum Catthorum principem. Amiſerant autem Cheruſci tum nobiles ſuos per inteſtina bella, hoc uno reliquo ſtirpis regiæ. *Marcomannis, Quadiſq;,* inquit Tacitus, *uſque ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus, jam & externos patiuntur.* Velle-

Diſcordiæ.

Reges.

dam virginem nationis Bructeræ tradit idem latè imperitaſſe, vetere apud Germanos more, quo pleraſque fœminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur deas. Atq; hoc eſt quod paulo poſt apud eundem Batavi Romanorum clientes notant, quum inquiunt; *Si dominorum electio ſit, honeſtius principes Romanorum quàm Germanorum fœminas tolerari.* Tyberius Aug. Germanico Cæſari reditum ſuadens in quadam epiſtola ſcripſit, *ſe novies à D. Auguſto in Germaniam miſſum, plura conſilio quàm vi perfeciſſe: ſic Sicambros in deditionem acceptos, ſic Suevos, regemq; Maroboduum pace obſtrictum.* Quemadmodum vero per Druſum domitis Uſipiis & Sicambris, Tencteris, Catthis, Cheruſcis, Marcomanniſque, & Suevis inter Rhenum ac Albim profligatis, & ad Albim uſque promoto limite, Germaniam conatus eſt in provinciæ formã redigere D. Auguſtus, impoſito Varo cum tribus legionibus: ſic Valerius Probus Cæſar devictis Alemannis in Germania prima limitem Romanum uſque ad Nicrum fluvium, qui vulgo *Neccer* dicitur, protulit, exædificatis in ejus amnis ripa variis munimentis, in quibus præſidia locarentur: æmulatus in hac re Druſum, qui in tutelam novæ provinciæ per Viſurgim & Albim ſtationibus diſpoſitis, per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella erexerat. Ulteriorem illum Nicri limitem diutius Probus tenuit, quàm veterem illum D. Auguſtus. nam occiſo mox Varo rebellavit Germania. Proinde in ripa Nicri quibuſ-

Necker fl.

dam

dam in locis mira adhuc antiquitatis Romanæ veſtigia cernuntur, ut apud Vuimpinã, Rotenburgum, & alibi. Bis itaque Germania vetus redigi in formam provinciæ cœpit, ſemel ſub Auguſto provectis ad Albim uſque Romanorum exercitibus, deinde ad Nicrum promoto limite Probi Cæſaris principatu. Tradit enim Fl. Vopiſcus, Probum quum poſt Aureliani mortem à Germanis Galliæ planè poſſiderentur, & in ripa Rheni Romani ſecuri vagarentur, receptis ſexaginta per Gallias nobiliſſimis civitatibus & propè infinitis millibus hoſtium occiſis, reliquias ultra Nicrum fluviũ & Albim removiſſe. Tu intellige reliquias Germanorum ultra Albim, Alemannorum ultra Nicrum fuiſſe ſubmotas. Tametſi mendoſe legitur in Vopiſci codice excuſo, *Nigrum* pro *Nicrum*, & *Albam* pro *Albim*. Ita accipienda Manlii quoque Statiani verba, quum apud eundem autorem paulo ante ſic loquitur: *Teſtes ſunt*, inquit, *Germani & Alemanni longe à Rheni ſubmoti littoribus.* Inter poſteriores porrò Cæſares tum ferro tum incendio Gratianus qui in occidente imperabat, Alemannos trans Rhenum perſecutus, ultra Nicrum propulit, cæſis illorum amplius quam xxx. millibus apud Argentuariam, quæ Colmariæ proxima eſt, nunc obſcurus vicus, olim oppidum illuſtre. Quam rem Auſonius in luculento carmine quod de Moſella luſit, his verſiculis celebravit, *Fl. Vopiſcus emendatus.*

Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium Rheniq́; ſacremus in undis.

Sola ſub Auguſtæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos natiq; patriſq; triumphos,
Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupondum,
Et fontem Latijs ignotum annalibus Iſtri.

Significat autem triumphum in Auguſta Trevirorum habitum fuiſſe, quam præterfluit Moſella, veterem Romanorum principum ſedem. *Auſonii locus.* Depravatum eſt Auſonii carmen, nam vulgò legitur.

- nigrum ſuper & lupo nudum.

Quòd ſi quæras, *lector*, quid ſibi velit Lupondum, ſcito quantum ego conjectura aſſequi *Lupodunũ* poſſum, Lupondum ſive Lupodunum, aut Luponum, eam arcem eſſe quæ noſtratibus hodie *Lupff* dicitur, à qua nobiliſſima tractus ejus Comitum familia nomen ſortitur. Diruta fu-*An. 1416.* it anno decimoſexto ſupra milleſimum & quadringenteſimum, juſſu Sigiſmundi Cæſaris, & concilii Conſtantienſis. Sed indicant ruinæ, quàm egregium munimentum fuerit, procul dubio olim à Romanis contra Alemannos pro militibus limitaneis conſtructum. Ego nuper Auguſta Rhetorum, ubi comitia Ro. Imperii Carolus Aug. celebrabat, rediens per Martianam ſylvam, quum Nicrum tortuoſiſſimum amnem propter perplexam vallium curvitatem toties tranſire cogerer, ſingula ſatis diligenter ſum contemplatus. Ab origine Nicri & arce Lupondo non ita procul abeſt ortus Danubii, trans cujus fontem pulſos Aleman-*Super pro ultra.* nos canit Auſonius: nam *ſuper* uſurpat pro *ultra*, confinium intelligens Rhetiæ & Germaniæ,

ſiæ, quod eſt ſupra Danubii caput: neque enim ultra Danubium ſubmoti ſunt, alioqui Rhetiam tenuiſſent quæ Romanorum erat provinciā. Jam ſi ſcies Alemannos collectitium populum, ex Suevis partim conſtitiſſe, & ſe Suevos appellaſſe (hoc enim loco Suevos Strabo quoque ponit) intelliges ex iis quæ diximus lepidiſſimum epigramma Auſonii, quo Danubius Nilum alloquitur, & Valentinianū patrem ac Gratianum F. Augg. Id quia promoti imò propemodum reſtituti limitis meminit, & victoriæ contra Alemannos obtentæ, viſum fuit huc adſcribere:

Illyricis regnator aquis tibi Nile ſecundus
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Auguſtos jubeo, natumq́; patremq́;,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuncius Euxino jam nunc volo currere Ponto,
Ut ſciat hoc ſuperûm cura ſecunda Valens,
Cæde, fuga, flammis, ſtratos periiſſe Suevos,
Nec Rhenum Gallis limitis eſſe loco:
Quod ſi lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc poſſem victos inde referre Gothos.

Nec vero quiſquam miretur, quod Auſonius Valentinianū & Gratianū hic Auguſtos vocat, & alibi Valentem Auguſtum adhuc ſuperſtite Valentiniano. Nam is filium & fratrem nō Cæſares ſed Auguſtos appellavit. Quam rem Am. Marcellinus libro vigeſimoſeptimo (qui nondum eſt evulgatus) annotavit his verbis: *In hoc tamen,* inquit, *negocio Valentinianus morem inſtitutum antiquitus, ſupergreſſus, non Cæſares*

ſed

ſed Auguſtos germanum nuncupavit & filium. benevolè ſatis. Nec enim quiſquam antehac adſcivit ſibi pari poteſtate collegam, præter principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem abſque diminutione aliqua majeſtatis imperatoriæ ſocium fecit. Hactenus ille. Extat & alterum epigramma gratulatorium apud eundem poetam, de fonte Danubii per Valentinianũ & Gratianum Augg. reperto, occaſione videlicet ejus victoriæ contra Alemannos. Id eſt hujuſmodi. Alloquitur amnis Valentinianum & Gratianum Augg.

Danubius penitis caput occultatus in oris
Totus ſub veſtra jam ditione fluo.
Quà gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidus quà ſeco Pannonias,
Et quà dives aquis Scythico ſolvo oſtia Ponto,
Omnia ſub veſtrum flumina mitto jugum.
Auguſto dabitur ſed proxima palma Valenti,
Inveniet fontes hic quoque Nile tuos.

PROVINCIAE ROMANORVM, veterem Germaniã utrinq; quũ à Rheni tũ à Danubii ripis attingentes, & illarum ſub Cæſaribus ſtatus.

PROVINCIÆ IUXTA RHENUM.

PRovinciæ Romanorũ à Gallica Rheni ripa veterem Germaniam attingentes ſunt,
Maxima Sequanorum,
Tractus Argentoratenſis,

Germania

Germania prima, ac
Germania ſecunda.

MAXIMA SEQUANORUM.

COmplectitur Maxima Sequanorum, Sequanos interiores, Helvetios, Rauricos, Sequanos exteriores ſive ciſmontanos, ac (ut ſummatim dicam) totam diœceſim Baſilienſem, hoc eſt, Sungaviam, & loca Colmariæ vicina uſque ad foſſam illam terminalem Eccenbachi rivi, ubi confinium eſt Maximæ Sequanorum & Tractus Argentoratenſis, uno milliario ſupra Seleſtadium. Nam hucuſq; Sequanos protendi ſatis indicat Ptolemæus, qui Sequanis Argentuariam tribuit, cujus ruinæ juxta Colmariam viſuntur. Tametſi ſuſpicor quicquid trans Ellum amnem eſt & Marcam, inter hunc & Rhenum, olim ad Sequanos, Ciſellanam vero partem ad Tractum Argentoratenſem & Germaniam primam potius attinuiſſe. Dicta *Maxima*, ſubaudi Provincia: quòd ampliſſima ſit. Sequanorum ditio olim ad Rhenum uſq; pertingebat, ut & Mediomatricorum ac Trevirorum. Hinc Iulius Cæſar ſcribit Rhenum fluere per fines Sequanorum, Baſilienſem diœceſim & Sungaviam intelligens. Idem in Sequanis cum Arioviſto conflixit: quæ pugna ad D. Apollinaris facta putatur. is locus milliario Germanico à Rheno & Baſilea diſtat. Poſtea quum hæ regiones omnes in formam provinciæ ceſſiſſent, & præfecturæ conſtituerentur, Helvetii Rauricique Sequanis ſunt adjuncti. Multum autem

Sungavia. *Maxima.*

autem vetuſtatis Romanæ, quantum ad diſtinctionem provinciarum attinet, reperire eſt in diœceſibus epiſcopalibus apud Chriſtianos, quemadmodum libro tertio fuſius docebimus. Utque jam olim Sequani, quorum fines prætérlabitur Rhenus, Viſontionem caput habebant, & Viſontionenſem magiſtratum agnoſcebant: ſic hodie Sungavi totaque Baſilienſis diœceſis, quantum ad eccleſiaſticum imperium attinet, Viſontinum archiepiſcopũ agnoſcunt. Regebat Maximam Sequanorum ſuus præſes: nam inter triginta ac unum præſides, quos Romani in occidente habebant, etiam Maximæ Sequanorum præſes enumeratur. Is (ut videtur) apud Viſontionem habitabat, viro ſpectabili Vicario ſeptem provinciarum ſubjectus. Habebat hæc quoque provincia ſuum Ducem militarem, qui Dux Sequanici, ſubaudi limitis vel tractus, ſive provinciæ Sequanicæ, ſive per Sequanicum, appellabatur. Is apud Olinonem caſtellum, ubi hodie nemuſculum eſt vulgo *Holé* dictum, & viculus, veteris villæ nomine proxime Baſileam, præſidium perpetuum habebat, pro cuſtodia limitis in Rheno contra Alemannos. Ibi loci liber præfecturarum Romanarum milites Batavienſes commemorat. Porrò tum Præſes ipſe, tum Dux ad diœceſim viri illuſtris Præfecti Prætorio Galliarum pertinebant. De Sequanis interioribus intelligit Auſonius, quum Allobroges his junctos eſſe dicit, ſic canens,

Diœceſes.

Oligo.

Inſinuant quâ ſe Sequanis Allobroges oris.

Auſonii locus.

Tametſi vulgò mendosè legitur, *qua ſeſe Cavis.*

TRACTUS

TRACTUS ARGENTORA-tenſis.

MAximam Sequanorum excipit Tractus Argentoratenſis ad foſſam terminalem Eccenbachi fluvioli, miliario ſupra Seleſtadium, iiſdem propemodum finibus olim incluſus quibus nunc diœceſis Argentoratenſis circumſcribitur, niſi quòd verſus Moſellam fluvium huic multum deceſſiſſe videtur, quouſq; Germaniam ſuperiorẽ ſive primam Ptolomæus extendit, cujus hæc pars fuit. Continebat Argentoratum, Brocomagum, & Elcebum. Hanc regionem olim Mediomatrici tenuerunt, quorum fines præterfluere Rhenum autor eſt Iulius Cæſar. Proinde & epiſcopalem Mediomatricorum diœceſim: hucuſque protenſam fuiſſe, ſunt qui tradant, priuſquam Argentorati ſedes epiſcopalis per Francorum regem Dagobertum conſtitueretur. In hunc Mediomatricorum tractum (qui poſtea Argentoratenſis dictus) olim ante Iulii Cæſaris adventum immigrarant Tribocchi, qui & Triboni Ptolomæo, è veteri Germania venientes, ceu Strabo prodit, & nos infra rurſus commemorabimus. Argentoratenſi tractui præerat (ut arbitror) Conſularis Germaniæ primæ, præerat & Comes Argentoratenſis, qui inter ſex Comites rei militaris quos Romani in occidente habebant, quarto loco refertur. Quem facilis eſt conjectura non ſolum Magiſtro peditum in præſenti, quem & Præſentalem vocant, ſed & Magun- *Tribocchi.*

ciacen-

ciacenſi Duci, Conſularique Germaniæ primæ paruiſſe, quando Argentoratenſis antiſtes hodie Maguncіacenſem agnoſcit, ut ſic ſciamus ad Germaniam primam hunc tractum pertinuiſſe. Alſatia vulgo Provinciæ nomen eſt, ab Alſa fluvio qui mediam interfluit, olim Elli nunc Illę nomenclatura celebratus. Alſæ & Alſatiæ vocabula rudi ſeculo Francorum regum debemus: quorum domeſtici ſcribæ & ab Epiſtolis, homines Gallici, quidvis quolibet vocabulo nominabant, modo Latinam formam imitaretur: nam hac lingua omnia tum diplomata ſcribebantur. Sincerior eſt apud nos vulgaris appellatio *Elſes*, quæ ab Elcebo originem habet, quaſi *Elces*, c in ſ mutato. Elcebus, ab Ello fluvio quē Alſam vocari diximus, & Cebo rivo. Ejus oppidi meminit Cl. Ptolomæus. Non procul abfuit à Seleſtadio.

Alſatia.

Elcebus.

GERMANIA PRIMA.

Hinc Germania prima, quam elegantiores ſuperiorem vocant, limitibus Argentoratenſis diœceſeos, Nemetenſis, Borbetomagenſis & Maguncіacenſis præcipuè finitur, Mediomatricos ac Treviros attingens. Siquidem hanc ad Obrincam amnem, hoc eſt, Moſellæ ripā, Ptolemæus extendere videtur. Magnam itaq; Lotharingiæ partem olim complectabatur. Vt minus mirandū ſit quòd Ammianus fontem Araris Germaniæ primæ tribuit, ſic lib. xv. ſcribens, ubi de Rhodano loquitur, *Et emenſus* inquit, *ſpacio flexuoſo Ararim, quem*

Sancon-

Sanconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem ſuum & nomen adſciſcit. Vbi aut legendum, *in fluentum ſuum & nomen adſ.* Aut *ſuum et nomen adſciſcit.* Oritur autem Araris proxime Voſaginas Alpeis, in collimitio Sequanorũ & Germaniæ primæ. Proinde & Maro de hac Germania prima locutus videri poteſt in Carmine Bucolico, quum inquit, *Ammiani locus.* *Araris fl.*

Aut Arārim Parth⁹ bibet, aut Germania Tigrim.

Igitur libenter dicerem, Germaniam primã olim à Belgica prima fuiſſe diremptam fluvio Moſella: à Maxima Sequanorum, parte Araris & fortaſſis amne Ello. Cæterum Argentoratos & tractũ Argentoratenſem Ammianus apertè Germaniæ primæ tribuit; *Dein,* inquit, *prima Germania, ubi præter alia municipia, Magonciacus & Vangiones, & Nemetes, & Argentoratus, Barbaricis cladibus nota.* Appellata Germania à Vangionibus, Nemetibus, & Tribocis Germanis, qui in hanc Belgicæ regionem à veteri Germania tranſito Rheno immigrarunt. Atque hoc eſt quod Tacitus ait, *Ipſam,* inquit, *Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Triboci, Nemetes.* Rexit Germaniam primam ſuus Conſularis, quem arbitror Magonciaci ſedem ſuam habuiſſe, ſubditum Vicario ſeptem Provinciarum. Dux certe limitum Rheni Magonciacenſis eſt dictus, quòd illic fortaſſe domicilium haberet. Huic parebant Præfecti militares undecim, hijs locis, Saletione, Tabernis, Vico Iulio, Nemetibus, Alta ripa, Vangionibus, Maguneiaco, Bin- *Dux Maguntiac.*

gio, Bodobriga, Confluentibus, & Antonaco. Verum ipſe Magiſtro peditum Præſentali ſubjectus erat, qui porrò Præfectum prætorio Galliarum reſpiciebat. *Superiorem Germaniam,* inquit Marcellinus, *Belgasq́; duæ iuriſditiones iiſdem rexere temporibus.* Quod vero D. Hilarius, qui ſub Conſtantio Aug. Valentinianoque & Valente floruit, ac Theodoſiani ſeu Marcianici ſeculi Romanus pontifex Leo, ſcribunt ad Epiſcopos Germaniæ primæ & ſecundæ, vetuſtatem Chriſtianiſmi in hijs provincijs arguit, de quibus & Irenæus antiquiſſimus autor loquitur libro primo, nosq́; in ſequentibus mentionem faciemus. Severum D. Lupi Trecaſſenorum antiſtitis diſcipulum, epiſcopum apud Treviros ordinatum, primæ Germaniæ verbum prædicaſſe Beda tradit. Idq́; Valentiniani principatu factum, eius qui huius nominis tertius fuit. Cæterum inter primam Germaniam & ſecundam Treviri mediam adhuc ditionem tenent ad Rhenum, non excluſi, quemadmodū Mediomatricis contigit. Præterit autore Cæſare fines Trevirorum Rhenus.

GERMANIA SECUNDA.

SEquitur Germania ſecunda ſive inferior, quæ ripam Rheni finit. Habebat urbes maximas Ubiorum Agrippinam, quæ hodie eſt florentiſſima, priſcam magnificentiam opibus & magnitudine longe ſuperans; & Tungrorū oppidum, cui verſa vice multū de veteri ſplendore deceſſit, adempta etiam epiſcopali ſede,

Vbii.

Tungri.

quæ

quæ Leodiùm hinc in Eburonas fertur translata. Secundam Germaniam ab occidentali exordientem cardine ſcribit Ammianus, Agrippina & Tungris munitam eſſe civitatibus amplis & copioſis. Hanc quoque rexit Conſularis. Nam hæ ſex Galliarum provinciæ gubernabantur à Conſularibus, Viennenſis, Lugdunenſis, Germania prima, Germania ſecunda, Belgica prima, Belgica ſecunda. Conſulares Vicario ſeptem Provinciarum parebant. Libellus qui *De provinciis* inſcribitur, inter Galliarum provincias nonam facit Germaniam primam ſuper Rhenum; decimam Germaniam ſecundam verſus Britanniam. In elogio quod civitas Trevirorum optimo Præſidi T. Vario Clementi, in Norico poſuit, inter cætera aſcriptum eſt illum *Proc. provinciar. Belgicæ, & utriuſq; Germaniæ, ac Rhetiæ* fuiſſe. Marcellinus Germaniarum provinciarum meminit libro 26. ſic ſcribens, *Et Orientem quidem regebat poteſtate Præfecti Salluſtius: Italiam verò cum Africa & Illyrico Mamertinus, Gallias & provincias Germanias Agentes.* Sic lego diſtinguoque. Agentium autem nomine Procuratores intelligit. Titulum *primatus Germaniarum* Archiepiſcopus Senonienſis hodieque retinet. De duabus iſtis provinciis accipiendũ, prima ac ſecunda. Enumeravimus Romanorũ provincias quę Rhenum à ripa Romana attingunt, quàm longus fluit à confinio Rhetiæ & Germaniæ ad occidentem. Nunc Provincias alteri veteris Germaniæ limiti Danubio proximas indicemus.

Agentes.

Primas Germaniar.

PROVINCIAE IUXTA Danubium.

ROmanam Danubij ripam è regione Germaniæ veteris attingebant Provinciæ Romanę, Rhetia prima, Rhetia ſecunda, ſive Vindelicia, Noricū, Pannonia prima, Valeria, ac Pannonia ſecunda.

RHETIA PRIMA.

TRans Danubium, & etiam huius fontem, à meridie ſtatim occurrit Rhetia, quæ in primã & ſecundam dividitur, hoc eſt, ſuperiorem ac inferiorem. Prima Alpes etiam complectitur quas Griſonū vocant, qui ſunt Rheti alpeſtres ſupra Curiam: Tacitus Rhetica juga appellat, de Cecina loquens, *In Alpe*, inquit, *Graja ipſe paululum conctatus, num Rheticis jugis in Noricum flecteret.* Sed & trans Rhenum & Lacum Brigantinum verſus occidentem & Rhodanum fluvium, partem ſuam habet Rhetia prima. Nam non ſolum Bregantia ad hanc provinciam pertinet, ſed & Arbor felix. Plinius libro tertio Nat. Hiſt. *Vennones*, inquit, *Sarunetesq; ortus Rheni amnis accolunt*: ſive quemadmodum ego legendum arbitror, *Vennonetes, Runtetesq;*. Complectitur inſuper bonam partem ejus regionis, quam Atheſinam Germani vocant, quæ latinè Rhetia Atheſina dici poteſt. Lycus fluvius primam à ſecunda diſterminat. Rhetia prima numeratur inter diœceſes ad virum illuſtrem Præfectum prætorio Italiæ pertinentes

Griſoni.

Plinii locus.

nentes. Habuitq; præſidem ſuum. Alpeſtrem Rhetiam elegantiſſime deſcribit Cl. Claudianus ad Stiliconem his verſiculis,

Sed latus Heſperiæ quo Rhetia iungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra iugis, panditq; tremendam
Vix æſtate viam. multi ceu Gorgone viſa
Obriguere gelu, multos hauſere profundæ
Vaſta mole nives, cumq; ipſis ſæpe iuvencis
Naufraga candenti mergũtur plauſtra barathro,
In tergum ſubitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina ſubruit aſtris
Pendenti male fida ſolo,

Rheticũ agrum Solinus tradit optimum & feracem eſſe, Brigantino lacu nobilem,

RHETIA SECUNDA.

A Lyco Rhetia ſecunda ad Oenum uſq; fluvium porrigitur, qui Rhetiæ Noriciq; terminus eſt. Apud Tacitum in hiſtoria Auguſta lib. XIX. legitur. *Igitur Sextilius*, inquit, *Felix cum ala Auriana & VIII. cohortibus, ac Noricorum iuventute, ad occupandam ripam Rheni fluminis, quod Rhetos Noricosq; interfluit, miſſus.* Ubi ſcribendum eſt *Oeni* fluminis, non Rheni. De fluviis in Danubium exeuntibus agens Arrianus Nicomedienſis libro octavo, pauca dicit, eſſe quæ navigationem recipiant. *Ex quib.* inquit *Oenum vidi ac Savum.* Oenus in confinio Noricorum ac Rhetiorum ipſi Danubio ſe immiſcet. Utraque Rhetia verſus Italiam alpeſtris eſt, ad Danubium planior. Pars quæ Danubii ripam attingit, Ripenſis vocatur. *Ripenſis.*

Taciti locus.

Mediterranea. Quod interjacet, Mediterranea ſunt Rhetiæ. Ammianus lib. XIX. *Miſit alios*, inquit, *per mediterranea Rhetiarum Magiſtro equitum Nevitta commiſſos.* Secunda Rhetia Vindeliciã comprehendit: quæ res fecit ut Vindelicorum nomen obſoleverit, id quod & Helvetiis accidit in Maxima Sequanorum. In libro De præfecturis Romanis tantum mentio fit Auguſtæ Vindelicenſis in Rhetia ſecunda. Nam illic Præpoſitus theſaurorum erat eius provinciæ, Comiti ſacrarum largitionum ſubiectus, aut potius Comiti largitionum Italicianarum. Autores plurativè nonnunquam uſurpant *Rhetias*, primam & ſecundam intelligentes. Rhetiam ſecundam ſuus quoque Præſes rexit, pertinebatque ad diœceſim præfecti Prætorio Italiæ. Iam inter duodecim Duces, quos Romani in Occidente habebant, annumeratur etiam Dux provinciæ Rhetiæ, primæ & ſecundæ, qui plerunque Præfectos militũ & legionum hiis utriuſque provinciæ locis habebat, Auguſtanis, Fabianis, Ponte Oeni, Submontorio, Caſtris Regenis, vallato, Cambiduno, Guntia, Fortibus, Teriolis, Quintanis, Batavis, Abuſina, Venaxamodoro, Parroduno, Pinianis, Cælio, Confluentibus ſive Bregantia, Vimania, ac Arbore. Porrò de Rhetia Vindeliciaque in provinciæ formam redacta per Tiberiũ & Druſum Auguſti juſſu, ſic meminit Velleius Paterculus: *Reverſum inde Neronem*, inquit, *Cæſar haud mediocris belli molem experiri ſtatuit, adiutore operis dato fratre ipſius Druſo Claudio, quem intra Cæſaris*

Cæſaris parietes enixa erat Livia: quippe uterq; diviſis partibus Rhetos Vindelicosq; adgreſſi, multis urbium & caſtellorum oppugnationibus, nec non directa quoq; acie feliciter functi, gentes locis tutiſſimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quàm damno Romani exercitus, plurimo cum earum ſanguine perdomuerunt. Hæc Velleius.

NORICUM.

NOrici initium eſt ab Oeno fluvio, qui Rhetiam ſecundam à Norico (ceu diximus) diſterminat. Hujus pars quæ Danubio imminet & veterem proſpicit Germaniam, Noricum Ripenſe dicitur. Idem nomen tractibus interiora quoque flumina attingentibus datum Nam in Kalendario perveteri quod natales martyrum per menſes indicat, legitur, *apud Laureacum in Norico ripenſi D. Florianus decollatus juſſu Præſidis, & in Aniſum fluvium poſtea præceps fuiſſe conjectus.* Alpinis omnibus victis Noricorum provincias acceſſiſſe Sex. Rufus tradit. Id ſub Auguſto factum eſt. Inter ſex Illyrici provincias Noricum Mediterraneum, & Ripenſe Noricum annûmerantur. Nam duas faciunt Noricorum provincias. Gubernabatur Noricum ripenſe per ſuum Præſidem, qui inter præſides Illyrici quarto loco recenſetur. *Noricis*, inquit Florus, *animos dabant Alpes atq; nives, quò bellum non poſſet aſcendere. Sed omneis illius cardinis populos, Brennos, Senones, atq; Vindelicos, per privignum ſuum Claudium Druſum*

pacavit Auguſtus. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facile vel mulieres oſtendere: quæ deficientibus telis infantes ipſos afflictos humo, in ora militum adverſa miſerunt. Hæc ille. Porrò Noricum ripenſe cum Pannonia prima communi Ducis unius militaris adminiſtrationi ſubjecta erat; quemadmodum mox cõmemorabimus. Noricum agrum frigidum eſſe ſcribit Solinus, & parciùs fructuoſum: quà ſubducitur à jugis Alpiũ admodum lætum, Noracum Stephanus eſſe tradit oppidum Pannoniæ, citans Epaphroditum, qui in commentariis in Homerum dicat in Pannonia provenire ferrum, quod ſi quis perpoliat, ſplendidiſſimũ reddatur, Unde Poeta dixerit νώροπι χαλκῷ, quaſi νωρήκιον, pro ære valde ſplendente. Carnuntenſem chalybem intelligit, cujus inclyta fama hodieque durat, & uſus apud nos creberrimus exiſtit. Nam Carnuntum Norici locus eſt.

PANNONIA PRIMA.

HÆc ad montem Cæcium Norico conjungitur. Habebat ſuum Præſidem. Inter Illyrici provincias quartum obtinebat locum. Huic vero provinciæ & Norico ripenſi Dux unus militaris præerat, qui milites & legiones ſub ſe habebat hujuſmodi, nonnunquam ſtativis collocatas, Flexo, Arrabone, Quadriburgio, Ala nova, Æquinoctio, Adherculem, Gerolata, Quadrato, Vindomana, Carnũto, Arrianis, Cariatis, Ad Mauros, Lentiæ, Lacu felicis, Arlape, Auguſtanis, Comagenis, Joviaco, Lauriaco,

Faſiana,

Faſiana, Bojodoro, & Cannabiaco. Portò quivis poterit multis oppidis & vicis ſua vetuſta nomina reddere, cui ſint iſtæ provinciæ paulo exactius cognitæ. Dux idem ſub ſe habebat Præfectum claſſis Arlapenſis & Maginenſis ſive Commagenenſis, & Præfectum claſſis Laureacenſis.

VALERIA.

INter Danubium & Dravũ Pannoniæ pars eſt Valeria, ſic in honorem Valeriæ Diocletiani filiæ cum inſtituta tum cognominata, quemadmodum Marcellinus memoriæ prodidit. Hujus & alibi mentio fiet hoc primo libro. Croatiam hodie vocant. Hæc provincia Valeria Ripenſis appellata, Præſidem habuit, & proprium Ducem militarem, qui inter duodecim Romanorum duces quinto loco refertur. Is militares præfectos equitum & peditum hiis plerumque locis habuit, Solva, Intercisa, Luſſonio, Ripa alta, Contradcuza, Altino, Odiabo, Crumero, Ad Herculem, Cirpo, Conſtantia, Campona, Matrice, Vetuſalina, Ad ſtatuas, Florentia, Burgo contra Florentiam, Cardabianca, Bregetione, Acinco, Vincentia, Quadriburgio, Jovia, Burgo centenario, Aleſta, ac Marinana. Liber præfecturarum Romanarum aſcribit Valeriam ad diœceſim Italiæ, quo Rhetiæ etiam utraque pertinebant. *Croatia.*

PANNONIA SECUNDA AC SAVIA.

ULtima provinciarum quæ è regione veterem Germaniam ſpectans in Danubii ri-

pa.eſt Pannonia ſecunda. cujus pars Savo flumini imminens Savia dicta eſt Romanis, & Savienſis regio. Sextus Rufus vir Conſularis ad Valentinianum Aug. *Amantinis*, inquit, *inter Savum & Dravum proſtratis, regio Savienſis ac ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt.* Pannonia ſecunda præſidem ſuum habuit, Savia Correctorem, qui unicus per Pannoniam erat. Nec Italia plures Correctores habuit quam duos. Porrò dux Pannoniæ ſecundæ riparienſis ſive Saviæ præfectos militares oppidis diverſis collocatos habebat, hiis nempè, Cornaco, Teutiburgio, Burgeniis, Cuccis, Secundis, Novis, Albano, Bononia, Acimirco, Rictis, Tauruno. Ad Herculem, Arſacianis, Caſtello Onachrino quod eſt in Barbarico contra Bononiam, Caſtris Herculis, Marſovia, Aureo monte, Quintario, Syrmio, Grajo, Murſa, Siſcia, ac Leonata. Hæc locorum nomina quæ hic & alibi retulimus, continet volumen *de Præfecturis Romanis*, elegantiſſimum antiquitatis monumentum. Pannoniam ſecundam & Saviam. Sarmatæ & Quadi ſubinde rapinis exhauriebant, & fatigabant obſidione, ſic ut non liceret miſeris Pannoniis vel agros colere vel vineas, præſertim in ripa Danubii. Itaque Claudianus Stiliconem Vandilum ſuum etiam à liberatis Pannoniis commendat, his verſiculis,

- obſidione ſolutus
Pannonius potorq; Savi, qui clauſa tot annis
Oppida laxatis auſus jam pandere portis,
Rurſum cote novat nigras rubigine falces,

Exeſósq;

Exeſosq́ſitu cogit ſplendere ligones.
Agnoſcitq́ casas,& collibus oſcula notis
Figit,& impreſſo glebis non credit aratro.
Exectis inculta dabant quas ſecula ſylvis,
Reſtituit terras & opacum vitibus Iſtrum
Conſerit,& patrium vectigal ſolvere gaudet,
Immunis qui clade fuit.

Tradit Arrianus Nicomedienſis libro octavo De geſtis Alexandri Magni, Danubio Savum apud Pæonas immiſceri. Locumque ubi hæc duo flumina confunduntur, vocari Taurunum. Addit, ſe non modo Savum vidiſſe, ſed & Oenum. Recēſet ex Livio Florus, Pannonios duobus ſaltibus ac tribus fluviis, Dravo, Savo, Hiſtroque vallari: qui populari proximos, intra ripas ſe recipiebant. In hos domandos Vibium miſſum, cæſoſque in utriſque fluminibus. Arma victorum non ex more belli cremata, ſed capta & in proflueētes jacta, ut cæteris qui reſiſtebāt victoria ſic nunciaretur. De Tyberio Cæſare loquens Vellejus, *Rhetiam autem*, inquit, *& Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamq́ & Scordiſcos, novas imperio noſtro ſubjunxit provincias.* Scribit Tranquillus, D. Auguſtum domuiſſe partim ductu, auſpiciis ſuis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni. Quod niſi maturè debellatum fuiſſet, Germani Varo occiſo cum legionibus inſolentes, ſe cum Pannoniis proculdubio juncturi fuerant. Idem autor eſt, Pannonico bello Breucos & Dalmatas à Tybèrio Cæſare ſubactos. Pauló poſt tamen iterum Pannonia cum Dalmatia rebella-

rebellavit. Sed quum Pannonios ejus rei pœnituiſſet, depoſitis & collatis apud amnem Bathinum armis, ſupplices à Tyberio pacem impetrarunt, Pinete duce capto, Batoneque ſe dedente, quem ingentibus donatum præmiis Ravennam tranſtulit, gratiam referens, quòd ſe quondam cum exercitu iniquitate loci circũcluſum paſſus eſt evadere. Jam indicatis iſtis ad Danubii ripam provinciis quas Romani ſuo ſubdiderũt imperio, facile eſt intelligere, quod Sex. Rufus de hac ipſa re ſcribit hunc in modum, *Sub Julio*, inquit, *& Octavio Cæſare per alpes Julias iter factum. Alpinis omnibus victis Noricorum provinciæ acceſſerunt. Batone Pannoniorum rege ſubacto, in deditionem Pannoniæ venerunt. Amãtinis inter Savum & Dravũ proſtratis, regio Savienſis & Secundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt. Marcomanni & Quadi de locis Valeriæ, quæ ſunt inter Danubium & Dravum, pulſi ſunt. Et limes inter Romanos & Barbaros ab Auguſta per Vindeliciam, per Noricum, Pannoniam ac Mœſiam eſt conſtitutus.* Hæc ille. Pannoniam viro fortem, & ſolo plano lætam atque uberem eſſe Solinus aſſerit, Dravo Savoque inclytis amnibus circumfluam. Nunc ut aliis quoque nationibus gratum faciamus, puta Galliis, Brittãnis, Italis, & orbis Romanus quaqua verſum ſtudioſis innoteſcat, aliarum regionum provincias obiter commemorabimus. Nam ad cognitionem autorum, qui hiſtorias poſterius ſcripſerunt, hæc res nonnihil afferet momenti.

E NV-

ENUMERATIO CAETERARUM ubilibet Provinciarum, integra dum re Romana.

PRæter provincias illas ad Rhenum proximè vergentes interior Gallia habuit, Viennenſem, Lugdunenſem primam, Belgicam primam, Belgicam ſecundam, Alpes Pœninas & Grajas, Aquitaniam primam, Aquitaniam ſecundam, Novempopulanam, Narbonenſem primam, Narbonenſem ſecundam, Lugdunenſem ſecundam, Lugdunenſem tertiam, ac Lugdunenſem Senoniam. Britanniarum quinque erant provinciæ, Maxima Cæſarienſis, Valentia, Britannia prima, Britannia ſecunda, ac Flavia Cæſarienſis. ſubſcribit nobis Sex. Rufus ad Valentinianum Aug. *Sunt* inquit, *Galliæ cum Aquitania, Britanniis, provinciæ xvij. Alpes maritimæ, Provinciæ, Narbonenſis, Viennenſis, Novempopulana. Aquitaniæ duæ, Alpes Grajæ, Maximæ Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ, in Britannia, Maxima Cæſarienſis, Britannia prima, ac Britannia ſecunda.* Hactenus ille. Sed in eo libello nomina hæc ſunt valde corrupta. Provinciæ Hiſpaniarum quinque fuerunt, Betica, Luſitania, Gallecia, Tarraconenſis, Carthaginenſis, Tingitania, ac Balearis. Italiæ provinciæ XVII. Venetia, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum, Annonorium, Tuſcia & Umbria, Picenum ſuburbicarium, Campania, Sicilia, Apulia, Calabria, Lucania, Brutii, Alpes Cottiæ, Samnium, Sardinia ac

Sex. Rufi locus.

Corſica.

Corſica, Rhetiam primam, Rhetiam ſecundam & Valeriam enumeravimus ſuprà. Habebat Illyricum præter Pannoniam ſecundam, Saviam, Pannoniam primam, Noricum Mediterraneum ac Noricum ripenſe, etiam Dalmatias. Aphricæ provinciæ, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifenſis, Mauritania Cæſarienſis, ac Tripolis. ORIENTIS vero provinciæ quindecim extiterunt, Paleſtina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Iſauria, Paleſtina ſalutaris, Paleſtina ſecunda, Phœnice Libani, Euphratenſis, Syria ſalutaris, Oſrhoëna, Meſopotamia, ac Cilicia ſecunda. Provinciæ Ægypti quinque, Libya ſuperior, Libya inferior, Thebais, Ægyptus, ac Arcadia. Aſianæ diœceſeos provinciæ decem, Pāphylia, Helleſpōtus, Lydia, Piſidia, Lycaonia Phrygia Pacatiana, Phrygia ſalutaris, Lycia, Caria, ac Inſulæ. Pōticæ diœceſeos provinciæ decē, Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia ſecunda, Pontus Polemoniacus, Helenopontus, Armenia prima, Armenia ſecūda, ac Galatia ſalutaris. Thraciarum provinciæ ſex, Europa, Thracia, Hemi mons, Rhodope, Mœſia ſecunda, ac Scythia. Illyrici provinciæ octo, Theſſalia, Epirus vetus, Epirus nova, Dacia ripēſis, Mœſia prima, Prævalitana, Dardania, ac Macedonia ſalutaris. Sed hæc narratio velut interjecta putetur ſtudioſorum gratia. Nos ad Germaniam noſtram, unde digreſſi ſumus, revertamur.

GER-

GERMANIA POSTERIUS OCcupata ac recentior.

A Parte Rheni portiunculã Rhetiæ ſupremã, deinde magnã partem Maximæ Sequanorũ, mox Germaniam primã cum Argentoratenſi tractu, & non minimã portionem primæ Belgicæ Mediomatricorũ videlicet & Trevirorũ, item Germaniam ſecundã cum toto tractu qui à Morinis, Nerviis, & Eburonibus hoc eſt à Tervana, Tornacoq; & Leodio ſumens initiũ verſus Oceanum Septentrionalẽ porrigitur: Similiter à parte Danubii Rhetiam primam & ſecundam, Noricum cum Carnunto, Pannoniam primam & ſecundã cum Valeria & Savia, Germaniam vocamus poſterius occupatam & recentiorem. Nam omnes hæ provinciæ à D. Auguſti principatu Romanæ ditionis fuerunt, donec ſub Valẽtiniano tertio, inclinatis Romani imperii rebus à Germanis è veteri inter Rhenum & Danubium Germania agminatim erumpentibus occuparentur, & prorſus Germanici juris fierent. Porrò Rheti, Norici & Pannonii, nihil unquam cum Germanis commune habuerunt, præter Danubium, qui utriſque limitis loco fuit, proprio ſermone, cultu, inſtitutisque ſemper diſtincti. Hii provinciales poſtea facti Romanam linguam edidicerunt, qua alpeſtres Rheti etiãnum utuntur. Helvetii vero, Sequani atque Mediomatrici Galli fuere, & hii ſimul cũ jugo Romannorũ, etiam linguam acceperunt. Ner-

ruui, Veromandui, Condruſi, Verocaſſes, Eburones, Bethaſii, Tungri, & cæteri Belgarum populi, qui longe ante Julium Cæſarem è veteri Germania Rhenum tranſgreſſi fuerant, non tam ſua lingua, hoc eſt Germanica, putantur uſi quàm Gallica, præſertim interiores. Sed tamen poſtquam in Romanorum ditionem conceſſerunt facti Provinciales, certum eſt pòſt Romanè locutos. Nam planè bilingueis fuiſſe ſuſpicor ad Rheni ripam habitantes Germanos provincialeis, Triboccos, Nemetas, Sebuſios, ac Vangionas, prius Gallicè, deinde Romanè & Germanicè loquentes. Hæc propterea dicere cogor hoc loco, ne quis Germaniam veterem in provinciis ſomniet aut quærat, etiam antequam provinciæ factæ ſunt. id quod de tranſdanubianis & Sequanis veriſſimum eſt. Nunc facile eſt videre, quanta Germaniæ veteri facta ſit acceſſio. Siquidem ut ſummatim dicamus, quicquid terrarum hodie vel transDanubium vel cis Rhenum utitur Germanico ſermone, totum id à Germanicorum populis occupatum eſt, ereptum Romanis. Sed hoc manifeſte docebunt emigrationes nationum, quas operæ pretium erit indicare.

GERMANOR. VETERUM EMIGRAtiones.

TAmetſi Germaniæ populorum illæ primæ emigrationes, de quibus in literis aliquid extet, non propriè ad hoc argumentum pertineant quod nos præcipue tractamus, nempe

distinctionem

diſtinctionem veteris Germaniæ & provinciarum: tamen ut abſolutior evadat libellus, primum vetuſtiſſimos veterum Germanorum exitus breviſſime commemorabimus.

GERMANI IN ITALIAM CISPADANAM, *ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt.*

LIvius ab Urbe condita lib. v. de Belloveſo locutus, Ambigati Celtarum regis ex ſorore nepote, qui beneficio ſortium in Italiam ingentibus peditum equitumque copiis profectus, Mediolanium condiderat, *Alia ſubinde manus Germanorum*, inquit, *Etytovio duce veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu favente Belloveſo quum tranſcendiſſet Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuere Libui, conſidunt.* Hoc factum Priſco Tarquinio Romæ regnante, aut non diu pòſt. A b hiis tum conditũ Bergomium. Nam Berg Germanis montem ſignificat.

CIMBRI TEVTONIQUE IN GALLIAM.

DUas olim fuiſſe cauſas video, propter quas populi novas ſedes quærerent, unam ut melius atque uberius ſolum haberent, alteram ut prægravante multitudine regio patria levaretur. *Eadem*, inquit Cerialis apud Tacitum Gallos alloquens, *ſemper cauſa Germanis tranſcendendi in Gallias, libido, atq; avaritia, & mutandæ ſedis amor, ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis fœcundiſſimum hoc ſolum vosq; ipſos*

poſſiderent. Igitur Cimbros Teutonosq; è Germania veteri in Galliam tranſiſſe reor bonitate agri illectos. nam illos avitarum ſediũ ad Germanicum mare prope Saxonas iam tædebat. Proinde facto per Chaucos & Friſios itinere trans Rhenum in ultimis Galliarũ oris ad Septentrionalem Oceanum conſedere. Ubi quum diutius manere non poſſent ob maris Gallici inundationem, quod velut longius extrudebat novos hoſpites, per Galliam errabundi ad Rhodanum uſque venerunt, ibique ſedes figere cõſtituerant. Dum autem vagarentur in Gallia, coniunxerant ſe illis Tigurini Ambronesque Gallicæ nationes, & ipſæ regnis ſuis pulſæ ſedes novas quæritantes. Itaque ferociores facti virium incrementis, quum terram à Romanis tanquam ſtipendium ſibi dari poſtulaſſent, & repellerentur, contra legatos armis inſurrexerunt, Syllanoque & Servilio Cepione ac M. Manlio fugatis, caſtrenſi præda & quidem ingenti potiti ſunt. Hos poſtea vicit C. Marius, partim in tractu Cotiarum alpium ad Aquas Sextias, partim in Italia in campo Raudino. Sed hæc ex hiſtoriis nota ſunt. Noſtrum eſt oſtendere Cimbros Teutonosque Germanos fuiſſe, & è veteri Germania in extremas ad Oceanum Belgicæ Galliæ terras tranſgreſſos. nam vulgus eruditorum Flandros hoc nomine vocat, quũ tranſiſſe magis quàm multis illis ſeculis habitaſſe Cimbros ſatis appareat. Cauſam errori præbuerunt hæc L. Flori verba perperam intellecta, *Ab extremis Galliæ profugi, quum terras*

inundaſſet

inundaſſet Oceanus. Neque enim de primis & avitis Cimbrorum Teutonorumq; ſedibus loquitur, ſed de his quas in Galliæ vacua parte tranſito Rheno occupaverant, niſi navigiis oſtia Rheni circumvectos credere libet. Deinde quũ legimus apud Paulum Oroſium, *Cimbri & Teutones, Tigurini & Ambrones, Gallorum gentes.* ſic diſtinguenda verba ſunt, ut Tigurinos & Ambrones tantum, Gallicas fuiſſe nationes intelligamus, quæ ſint à Cimbris in commilitium aſcitæ. Apud Iuſtinum Mithridates orans ait, *A Germania Cimbrico bello immenſa millia ferorũ atq; immitiũ populorum, more procellæ inundaſſe in Italiam.* Velleius Paterculus de Metellis fratribus loquens, qui uno die triumpharint. *Tum,*inquit *Cimbri & Teutoni tranſcendere Rhenum, multis mox noſtris, ſuiſq; cladibus nobiles.* Idem paulo pòſt, *Effuſa,* inquit, *ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cepionem Manliumq; Coſs. & antè Carbonẽ Syllanũq; fudiſſent fugaſſentq; in Galliis, & exuiſſent exercitu, Scaurumq; Aureliũ Cos. & alios celeberrimi nominis viros trucidaſſẽt, Populus Romanus non alium repellendis tantis hoſtibus magis idoneũ imperatorẽ quam Marium eſt ratus. Tum multiplicati conſulatus eius. Tertius in apparatu belli conſumptus. Quarto trans alpeis circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, amplius CL. M. priore ac poſtero die ab eo trucidatis, genſq; exciſa Teutonum quinto citra alpeis, in campis quibus nomen erat Raudis.* Tacitus quoque veterem

Germaniam deſcribens, *Eundem*, inquit, *Germaniæ ſinũ proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, ſed gloria ingens. veteriſq; famæ lata veſtigia manent, utraq; ripa caſtra ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoq; metiaris molem ma-*
V. C. 640. *nuſq; gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, quum primum Cimbrorum audita ſunt arma.* Intellige tam magni exitus fidem, hoc eſt, tam magnæ emigrationis. Scripſit autem Tacitus ſub Traiano, ſenectæ vicinus. Huc adde quod & Ptolemæus & Pomponius Cimbrorum ac Teutonorum maritimarum nationum in deſcriptione Germaniæ meminerunt. Quin & hodie reliquias alterius gentis ſupereſſe ferunt Imbrorum nomine. Huc aſcribenda D. Hieronymi verba, qui in Epiſtola ad Gerontiã, *Gens Teutonum,* inquit, *ex ultimis Gallorum Oceani atq; Germaniæ profecta littoribus, omnem Galliam inundavit, ſæpiuſq; cæſis Romanis exercitibus, apud Aquas Sextias Mario pugnante ſuperata eſt.* Claudianus ad Stiliconem ſuum de Italia ſic canit,

Sæpe laceſſitam, ſed non impune, fatemur
Auſoniã. Hæc Senonũ reſtinxit ſanguine flammas.
Hæc & Teutonico quondam patefacta furori
Colla cathenati vidit ſqualentia Cimbri.

Tradit Jul. Cæſar, Cimbros Teutonoſque quum iter in Provinciam atq; Italiam facerent, hiis impedimentis quæ ſecum agere ac portare non poterant, citra flumen Rhenum depoſitis, cuſtodiæ ex ſuis ac præſidio ſex milia hominũ

unà

unà reliquiſſe, ex quibus Aduatici ſint procreati. Pro Catuacis libro ſecundo comm. fortaſſis, *Atuaci* ſcribendum. Porrò Tigurinorum veteres ſedes tenere videntur, qui in Helvetiis hodie vernaculo ſermone Urij vocantur, quaſi dicas *gurini*. Sed de hac re fortaſſis alio loco commemorabimus. *Cæſaris locus.* *Vrii.*

Germani in Britanniam.

INvictam Caledonum in Britannia gentem, à Germanis originem duxiſſe, ſatis indicat Cor. Tacitus in vita ſoceri ſui Julij Agricolæ, quem ei inſulæ regundæ Domitianus Cæſar præpoſuerat. Eius hæc ſunt verba, Britanniam deſcribentis, *Habitus*, inquit, *corporum varij, atq; ex eo argumenta. namq; rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeverant.* Caledonia pòſt à Scotis occupata, Scotia dicta eſt, quum antè Romanum agnoſcens imperium Britannia minor, & ſecunda Britannia appellaretur.

Tungri trans Rhenum.

EX Teutonibus, qui primi trans Rhenum in Galliam migrarint, reperio fuiſſe Tungros. Eosque quum res ſucceſſiſſet, ob tam egregium facinus ſuſpicor novo tum vocabulo Germanos eſſe dictos. Nam *Germanus* Teutonica lingua prorſus virilem ſignificat, ut *Gerhardus* prorſus durum, & *Gerbrechtus* prorſus celebrem. Atque hoc Germanorum nomen eſt quod Tacitus ab ipſis Teutonibus inventum *Germani* *ἔτυμον.*

aſſerit, id eſt excogitatum & ſibi inditum, nam cum victricis Tungrorum nationis peculiare vocabulũ non omnibus commilitonibus fortaſſis uſurpare liberet, proprium ſibi nomen excogitarunt inſignem audaciam exprimens: quo deinde Teutones omnes in patriis adhuc ſedibus agentes ſe plauſibiliter appellarunt. Itaque Tacito *Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum.* Intellige recens ſi cum priſcis illis Marſorum, Gambriviorum, Suevorumq; appellationibus conferatur. Alioqui Germania nomen vetuſtiſsimum eſt, & multis ante Julium Cæſarem ſæculis auditum. Porò Tungri eo tractu conſederunt, ubi hodieque eius nominis oppidulum eſt, quæ regio poſtea appellationem ſecundæ Germaniæ acquiſivit, pluribus videlicet Germanorum nationibus, Tungrorum exemplo tranſgreſſis.

Tongrii.

TRIBOCI IN MEDIOMATRICOS.

INdicavimus antè Mediomatricorum ditionem olim ad Rhenum uſque fuiſſe porrectam, unde Cæſari Rhenus per Mediomatricorum fines fluat. In horum tractu Tribochos, quos *Tribonos* Ptolemæus vocat, Cæſar *Triboces*, conſediſſe Rhenũ è veteri Germania tranſgreſſos autor eſt Strabo lib. 4. verbis huiuſcemodi, *Poſt Helvetios,* inquit, *Sequani & Mediomatrici Rhenum incolunt, in quibus Tribocchi natione Germani, relicto natali ſolo Rhenoq́; trajecto ſedes poſuerunt.* Hæc ille, Conſtat Arioviſtum à Tribocis adiutum adverſus Iulium Cæ-

ſarem

ſarem. Hic tractus poſtea ſub poſtremis Cæſaribus, Argentoratenſis eſt dictus, hodie Elſatiam appellamus, vino non vulgari nobilē. Vulgus *Elſes* vocat, quaſi dicas *Elcebs*, ab Elcebo oppido, quod Seleſtadio propinquum fuit, ceu ſuprà meminimus.

NEMETES ET VANGIONES IN *Galliam*.

EX veteri Germania Nemetes & Vangiones Rhenum tranſcendere fixis ad ripam ſedibus. Tacitus exponens quæ nationes è Germaniam in Gallias commigrarint, *Ipſam*, inquit, *Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes.* De hijs intelligit Cæſar, quum apud hunc libro ſecundo Comm. Remi narrant, *Germanos qui ripas Rheni incolunt, ſeſe cum Belgis coniunxiſſe.* Proinde hæ nationes Arioviſto contra Cæſarem pugnaturo ſuppetias miſerunt. De quibus & cæteris Belgis eleganter ad Atticum Cicero, *Hos tu*, inquit, *exiſtimas confidere ſe illa habituros ſtantibus nobis?* Implent autem hodie, qui in Nemetum & Vangionum loca ſucceſſerunt Alemanni, duas diœceſeis epiſcopaleis, Spirenſem videlicet & Borbetomagenſem, id eſt, Wormacienſem, inſtar Romanæ & veteris olim adminiſtrationis, de quo nihil dubito.

NERVII, ATREBATES, EBURONES, Veromandui, Condruſi, Verocaſſes, Cæræſi, Pæmani, qui uno nomine Germani appellantur autore Cæſare, trans Rhenum.

JUlius Cæſar libro ſecundo Com. de veteribus Germanis qui in Galliam olim commigrarint ſic ſcribit, à Remis ſe eſſe edoctum, pleroſque Belgas eſſe ortos à Germania, Rhenumque antiquitus tranſductos propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Galloſque, qui ea loca incolerent, expuliſſe, ſoloſque eſſe, qui patrum noſtrorum memoria omni Gallia vexata, Teutonos Cimbroſque intra fines ſuos ingredi prohibuiſſent. Qua ex re fieri, uti earum rerum memoria magnam ſibi autoritatem, magnosq; ſpiritus in re militari ſumerent. De hijs Auſonius loquitur in Narbone,

Germanaq; nomina Belgas.

Auſonij locus. Sic enim legendum arbitror, non, *panaq; nomina Belgas.*

UBII TRANS RHENUM.

VBii ripam Rheni Germanicam olim tenuerunt, ſicut poſtea adverſam in Gallia. De hiis Cæſar libro quarto Commentariorum, *Ad alteram*, inquit, *partem* (hoc eſt verſus Rhenum) *ſuccedunt Vbii, quorum fuit civitas ampla atque florens, ut eſt captus Germanorum, paulo, qui ſunt ejuſdem generis, etiam cæteris humaniores, propterea quòd Rhenum attingunt, multique ad eos mercatores ventitant, & ipſi propter*

propin-

propinquitatem, quòd Gallicis ſunt moribus aſſuefacti. Hos quum Suevi multis ſæpe bellis experti, propter amplitudinem gravitatemq́ civitatis, finibus expellere non potuiſſent, tamen vectigales ſibi fecerunt, ac multo humiliores infirmioresq́ redegerunt. Hactenus Cæſar. Nihil autem magis eos moviſſe reor, ut in ulteriorem ripam traijci cuperent, quàm quòd multarum nationum ſed præcipuè Suevorũ injuriis, illac in Gallias incurſiones facientium, perpetuo forent obnoxij. Id quod Cæſar ſatis indicat, quum ait: *Vbii magnopere orabant, ut ſibi auxilium ferret, quòd graviter à Suevis premerentur.* Deinde refert Ubios à ſe obſidione liberatos, illisq́ue contra Suevos auxiliũ pollicetur. Equidẽ hæc haud dubie cauſa fuit, cur patriã ejurarint, non Vbios, ſed Agrippinenſeis ſeſe vocantes. Hos Rheno tranſgreſſos in fidem accepit Agrippa, avus Agrippinæ ejus quę Claudio Cæſari poſtea nupta fuit, quum Neronem antè peperiſſet. In Ubiorum oppido genita Agrippina quum apud Claudium maritum nihil non poſſet, veteranos coloniamq́ue deduci illuc impetrat, cui nomen inditum ex vocabulo ipſius. Poſterioribus annis ſub Vitellio Cæſare quum rebellarent Galliæ, Agrippinenſes poſt longam obſidionem adigente fame ſe dedentes hoſtibus, in oratione qua Tencteris iniqua petentibus reſpondent, *ſe Tencterorum cæterorumq́ Germanorum conſanguineos* profitentur. Ac illi rediiſſe eos in corpus nomenque Germaniæ, communibus deis, ſed præcipuo deorum Marti grates

Colonia Agripp.

prius egerant *Vbii,* inquit Tacitus, *quanquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt, tranſgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut cuſtodirentur.* Ut arcerent, ſubaudi Germanos ingruentes.

BATAVI IN INSULAM *Rheni.*

QUum Catthi inteſtino bello laborarent, una horum natio rebus ſuis conſultura, ad Rhenum longius digreſſa eſt, ibique in inſula conſedit. *Batavi,* inquit Tacitus, *non multùm ex ripa, ſed inſulam amnis Rheni colunt, Catthorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes transgreſſus, in quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne. nam nec tributis conteruntur, nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atq; arma, bellis reſervantur.* Idem author hiſtoriæ Auguſtæ libro decimo octavo ſic de iiſdem ſcribit: *Batavi,* inquit, *donec trans Rhenum agebant pars Catthorum, ſeditione domeſtica pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulq; inſulam inter vada ſitam occupavere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; nec opibus Romanis, ſocietate validiorum attriti, viros tantum armaq; imperio miniſtrant, diu Germanicis bellis exerciti, mox per Britanniam gloria, tranſmiſſis illuc cohortibus,*

quas

quas veteri inſtituto nobiliſſimi popularium regebant.

MARCOMANNI ET QUADI IN *Valeriam.*

MArcomannos & Quados olim occupaſſe Valeriam, quæ hodie Croatia dicitur, ſatis ex eo conſtat, quòd auſpiciis D. Auguſti ex iiſdem locis inter Danubium & Dravum (autore Rufo) pulſi ſunt. Quin & poſtea ſæpe eam provinciam repetierunt, quemadmodum infra narrabimus. Marcomannorum Rex partem ſuperioris Pannoniæ per pactionem obtinuit à Gallieno Cæſare, quòd ei filiam matrimonii ſpecie tradidiſſet, nomine Pipam, quam tamen ille concubinæ loco ſemper habuit, Saloninam conjugem repudiare nolens. Fecit hoc Gallienus magis firmandæ pacis gratia cum Marcomannis, quos valde timebat.

CARPI IN PANNONIAM.

DIocletianus Cæſar Carpos in Pannoniam, hoc eſt Valeriam traduxit, autore Marcellino, qui ſic ſcribit libro XXVII. *Maximinus,* inquit, *regens quondam Romæ vicariã præfecturam, apud Sopianum Valeriæ oppidum obſcuriſſimè natus eſt, patre tabulario Præſidialis officij, orto à poſteritate Carporum, quos antiquis excitos ſedibus Diocletianus tranſtulit in Pannoniam.* Hactenus ille. Nimirum hoc eſt quod Euſebius in opere Chronico refert, *Carporum & Baſtarnarum gentes in Romanum ſolum eſſe translatas,*

Ubi

Ubi obſervandum, quod de Baſtarnis addit, ſimul traductos fuiſſe, commemorans. Apparet Carpos Quadis vicinos fuiſſe, & è Baſtarnarum nationibus unam. Porrò transferebantur externæ nationes intra fines Romanæ ditionis, tum ut vacuatæ provinciæ cultoribus non carerent, tum ut quieſcerent agros nacti fertiliores, & negata ſubinde erumpendi copia.

SICAMBRI IN GALLIAM.

FAtetur ad Germanicum ſcribens Tiberius, conſilio ſuo potius quàm vi effectum, ut Sicambri ſeſe dederent. Hi fuere trajecti in Galliam, & juxta Menapios collocati. Quæ res facit ut illorum in deſcriptione Germaniæ non meminerit Tacitus, qui ſub Trajano ſcripſit. In loca Sicambrorum arbitror immigraſſe Chamavos & Angrivarios. Quòd autem eorundem mentionem facit Ptolemæus, argumento eſt, primâ Germaniæ chorographia vetuſtiſſimaque, quæ unquam Romam perlata ſit, uſum fuiſſe, quum tamen Tacito recentior exiſtat, & aliquando pòſt ſcripſerit, nempe ſub Antonino.

Ptolemæi autoritas

MARCOMANNI SIVE SUEVI, ET *Gotthones, inter Marum & Cuſum fluvios.*

FLorentiſſimus ille Marcomannorum rex Maroboduus, conſpiratione ſuorum autore Catualda, quem Gothones exulem receperant, regno pulſus ad Tiberium Cæſarem perfugit,

fugit. Idem fecit paulò poſt Hermundurorum opibus ejectus Catualda. Barbari útrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra, inter flumina Marum & Cuſum locantur, dato rege Vannio gentis Quadorum. Tacitus hiſtoriæ Auguſtæ libro ſecundo. Marum & Cuſum ſuſpicor eſſe fluvios, qui hodie *Mariſus* & *Chryſa* dicuntur in Daciæ parte quæ hodie vulgo Tranſſylvania appellatur, ut fortaſſis apud Tacitum *Cruſus* ſcribi debeat. Quæ ſi vera conjectura eſt, cognoſcere licebit antiquitatem Septemcaſtrenſium, qui tot ſeculis etiam antequam in provinciam à Trajano redigeretur Dacia, tractum eum incoluerint. Equidem vocantur Saxones ab accolis non ob aliam cauſam, niſi quòd Saxonum legibus utuntur, ut quidam putant. Satis autem conſtat trans Germanicam ſive ſiniſtram Danubii ripam deportatos, ſi quis rem exactè perpendat. Nam Germani tam Maroboduũ ipſum quàm poſtea Catualdam ultra Danubium comitati fuerant in Noricum vel longius. Unde ex provincialium agris translati ſunt ultra Danubiũ, proxime Sarmatas Jazyges & Dacos, & Vannio natione Quado ſubjecti. Porrò confirmat opinionem noſtram Plinius ſcribens libro quarto Nat. hiſt. cap. XII. Jazyges Sarmatas & Dacos Pathiſſum amnem accolentes à Suevis & regno Vanniano ſeparari interlabente amne Amoroi ſive Duria. Verba illius hæc ſunt, à nobis ſic emendata ac diſtincta; *Campos*, inquit, *& plana Jazyges Sarmatæ, montes & ſaltus pulſi ab his*

Marus fl.
Cuſus flu.

Taciti locus.

Antiquitas Tranſſylvanorũ.

Plinii locus

ab his Daci ad Pathiſſum amnem. Amorois ſive Duria eſt, à Suevis regnòq; Vanniano dirimens eos. Hæc Plinius. Ubi animadvertendum quòd Marus ſive Mariſus fluvius ipſi Amorois dicitur. Et Suevos illos vocat. Nã conſtat, Maroboduum aliquot Suevorum nationibus imperaſſe, Regnum autem Vannianum eleganter appellat, à Vannio qui illis rex impoſitus eſt.

Regnum Vannonum aliquam magna Suevorum gentis conterminum Dacis.

MARCOMANNI IN ITALIAM.

IUlius Capitolinus ſcribit, à M. Antonio Marcomannos in deditionẽ acceptos fuiſſe eo bello quod adverſum illos geſtum eſt, plurimis in Italiam traductis. Porrò reor eo tempore hæſiſſe quoſdam inter Pœninas alpeis, ubi vallem ajunt adhuc eſſe quæ Marcomanna vocetur.

SUEVI IN PANNONIAM.

VAnnium Druſi Cæſaris beneficio Suevorum, de quibus modo meminimus, regem, quum ſuis xxx annis præfuiſſet, à Jubillio Hermundurorũ rege pulſum, Claudius Cæſar unà cum clientibus & parte popularium ſuorum in Pannoniam datis agris recipi juſſit. Quam rem elegantiſſime deſcribit Tacitus hiſtoriæ Auguſtæ lib. duodecimo, cujus verba apponere libet, quòd ad Germanicas res id pertineat. *Per idem*, inquit, *tempus Vannius Suevis à Druſo Cæſare impoſitus, Pellitur regno: prima imperij ætate clarus. acceptuſq; popularibus, mox diuturnitatem in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordijs circumventus.*

Autores

Autores fuere Jubillius Hermundurorum rex, & Vando & Sydo ſorore Vannij geniti. Nec Claudius quanquam ſæpe oratus, arma certantibus Barbaris interpoſuit, tutum Vannio perfugium promittens ſi pelleretur, ſcripſitq; P. Attilio Hiſtro, qui Pannoniæ præſidebat, legionem ipſaq; è provincia lecta auxilia, pro ripa componeret ſubſidio victis, & terrori adverſus victores, ne fortuna elati noſtram quoq; partem turbarent, nam vis innumera Lygij aliæq; gentes adventabant, famâ ditis regni quod Vannius xxx. per annos prædationibus & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites, eques è Sarmatis Jazygib. erat, impar multitudini hoſtium, eoq; caſtellis ſeſe defenſare, bellumq; ducere ſtatuerat. Sed Jazyges obſidionis impatientes, & proximos per campos vagi, neceſſitudinem pugnæ attulere, quia Lygius Hermundurusq; illic ingruerant. Igitur digreſſus caſtellis Vannius funditur prælio, quanquam rebus adverſis laudatus, quòd & pugnam manu capeſſuit, & corpore adverſo vulnera excepit. Cæterum ad claſſem in Danubio opperientem perfugit. Secuti mox clientes, & acceptis agris in Pannonia locati ſunt. Regnum Vando ac Sydo inter ſe partiti ſunt, egregia apud nos fide ſubjectis ſuòne an ſervitij ingenio, dum adipiſcerentur dominantes multa charitate, & majore odio adepti ſunt.

SUEVI IN HISPANIAM.

SUevi plerunq; magis transdanubianas provincias vexabant propter viciniam. Unde

etiam

etiam olim Germanicus Cæſar veteranos milites ex Ubiis in Rhetiam miſit ſpecie defendendæ provinciæ, ob imminenteis Suevos. Id quod de illis etiam Suevis accipi poteſt· qui prope Danubii fontem habitabant. At tandem Rheno quoque transgreſſi, ſed longe maxima manu Gallias miſerè evaſtarunt, & Pyreneis alpibus ſuperatis omnia depopulantes, in Gallecia poſtremo ſedes fixerunt, ubi regnum novum ſeptimus Suevici ſanguinis rex adminiſtravit. Et hoc nimirum eſt quod Oroſius ſignificat, *quum* inquit, *Germani ulteriores abraſa potiuntur Hiſpania.* Quotieſcunque enim aliquis populus emigrarat, non emigrabat totus, & multi ſe ex vicinis nationibus adjungebant. Id factũ ſub Valeriano & Gallieno.

Vandali in Hiſpaniam.

Vandaluſia. Honorii principatu Vandali in Hiſpaniam penetrarunt, juxta fluvium Hiſpalim Beticæ tractum occupant, qui ab ipſis olim Vandalia, ab Hiſpanis vulgo *Wandaluſia* appellatur. Inter Honorium Aug. & Gogidiſcum Vandalorum ducem convenit, ut occupatam Hiſpaniæ partem tenerent, cæteris incolis nihil incommodantes. Nec verò conceſſa Vandalis etiam triginta annorum præſcriptio contra veteres dominos, Autor Procopius. *Winidi.* Vandali diverſa gens fuit à Winidis, quos *Sclavenos* appellant. Tametſi fateor aliquot Vandalorum nationes in Scythiam olim immigraſſe, fortasſe, à vicinis propulſas, In catalogo Germanicarum

earum gentium apud Plinium, Vandili primas obtinent.

CATTHI ET ALANI IN HI-*ſpania.*

Catthi cum Alanis juncti in Hiſpaniam prorupere, regno illic conſtituto, quod vernacula lingua à conſociatis nationibus occupatricibus hodie *Cathaloniam* vocant. Tametſi quidam à Gothis & Alanis derivent. Cujus cauſa eſt, quòd minus noti ſunt Catthi vulgo, quàm Gotthi. Poſſibile eſt Catthos à Francis vexatos aut pulſos, Alanis illàc in Gallias iter facientibus ſe conjunxiſſe. **Catalonia.**

GERMANORUM QUORUNDAM Septentrionalium Orientaliumq́, ex inſulis & maritimis locis ac ultimis verſus Sarmatiam terris in mediam Germaniam emigrationes.

FRANCI IN LOCA TENCTERORUM, *& partim Catthorum, uſq; ad Mœni ripam & Salam fluvium.*

QUanquā non eſt noſtri inſtituti gentes ipſas deſcribere, nam hæc notitia ex Cæſare, Strabone, Mela, Ptolemæo, Plinio, hiſtoricisq́ue comparanda, tamen hic quando de Francis dicendum, cōmittere nō potui, quin de origine nobiliſſimæ gētis longe compertiora traderem quàm à quoquā in hunc uſque diem prodita ſciam, Ni-

hil autem huc afferam, quod non teſtimonijs autorum fide dignis ſim comprobaturus. Neque enim Hunnibaldos & ſimiles ſcriptores (ſi diis placet) ſequar, quorum ſomnijs nihil inanius. Primum omnium, ſatis demirari nequeo veterum iſtorum licentiam, qui quoties de origine rei cuiuſpiam parum conſtaret, ſtatim ad fabulas confugerint, fortaſſis in hoc Romanos & alias nationes imitati. Hinc eſt quòd Francos nobis ex Troia deducunt, & de ſæpe mutatis horum ſedibus atque extructa tandem Sicambria meras ineptias comminiſcuntur. Nec mirum, ſi rudibus illis ſeculis olim auſi ſunt talia confingere haud dubiè Monachi, nam præter hos tum nemo norat literas. Hoc magis demiror, Gregorium illum Turonenſem non indoctum virum, Annoniũ, & cæteros qui Francorum res deſcribere ſunt aggreſsi, eaſdem fabulas amplexos fuiſſe, quibus conſtare poterant omnia, nimirũ viventibus apud Gallos ea tempeſtate qui à maioribus ſuis certiſſima accepiſſent. Sed hæc fuit illorum temporum infelicitas, ut obſcurè res traderent. Sic quum Jornandem qui de Gothis ſcripſit, Paulum item Diaconum, & Luitprandum de Langobārdis legimus, juret quis fabulas ab illis narrari. ita parum explicant unde gentes ſuæ progreſſæ ſint, & quas olim tenuerint ſedes. Quo magis nunc nobis opera danda eſt, ut ſtudioſos hic adiuuemus, ac ſimul ad alia quærenda extimulemus.

Francorũ origo. Igitur Franci maritimus populus fuit, Oceani Septentrionalis littus colẽs iuxta Chaucos (ut arbitror)

arbitror & Saxones. Poteſt autem fieri ut aut ex inſula ſe effuderint in continentē, aut olim ſua fortuna contenti & proinde ignobiliores, tandem bellis inclaruerint. Id quod & Catthis accidiſſe videmus, qui primum obſcuri (neque enim horum meminit Ptolemæus) ſub Domitiano & Traiano Cheruſcis nobiliſſimæ genti præferebantur. Fuere autem apud Germanos multæ nationes, quæ tamen quòd celebres minimè eſſent, à ſcriptoribus non ſunt commemoratæ, qui tantū inſignia perſequuntur, præſertim de externis tractantes. In Panegyrico qui dictus eſt Conſtantino Aug. quē Magnum vulgus vocat, de Francis ſic legimus. *Quid loquar rurſus*, inquit Panegyriſtes, *intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis quæ olim Romani invaſerant, ſed à propriis ex origine ſui ſedibus, atq; ab ultimis Barbariæ littoribus avulſas, ut in deſertis Galliæ regionibus collocatæ pacem Romani Imperij cultu iuu arent, & armadelectu.* Hæc ille. Proinde facile eſt videre, quænam propriæ Francorum ſedes fuerint, & quidem avitæ: ſiquidem non fruſtra addit Panegyriſtes, *ex origine ſui*, ſive, *ex originis ſuæ ſedibus*, nempe tractus littoralis Oceani Germanici. Hinc quum in Galliā itinere pedeſtri incurſare libuiſſet, præcipue Bataviam per Chaucos & Friſios infeſtabant, & extrema Galliæ. Significat hoc aperte Eumenius Rhetor in Auguſto Clivienſium oppido ſcholis præfectus, in oratione quam pro ludi inſtauratione habuit ad Præſidem Gallicanum. *Aut hæc ipſa*, inquit, *quæ modo deſinit eſſe*

Barbaria, non magis feritate Francorum velut hauſta deſederat, quàm ſi eam circumfuſa flumina & mare alluens operuiſſet. Id præcipue factũ ſub Conſtantio Aug. patre Conſtantini. Bataviæ liberationem omnes Panegyriſtę Conſtantio ferunt acceptam, quorum unus ad Maximianum & Conſtantinum orans ſic Conſtantij patris meminit, *Multa ille*, inquit, *Francorum millia, qui Bataviam aliasq́ cis Rhenũ terras invaſerant, interfecit, depulit, abduxit.* Alius ad Conſtantinũ rurſus, *Purgavit ille*, inquit *Bataviam advena hoſte depulſo.* Tertius ſimiliter ad Conſtantinum, de patre Conſtantio loquens, *Terram Bataviam*, inquit, *ſub ipſo quondã alumno ſuo, à diverſis Francorum regum gentibus occupatam, omni hoſte purgavit: nec contentus viciſſe, ipſas in Romanas tranſtulit nationes, ut non ſolum arma ſed & feritatem ponere cogerentur.* Hoc nimirum eſt quod Panegyriſtes alibi dixit, *Tuo*, inquit, *Maximiane Aug. nutu, Nerviorũ & Trevirorũ arva iacentia lætus poſtliminio reſtitutus & receptus in leges Francus excoluit.* Idẽ autor liberatæ ſemel Bataviæ laudem ad Maximianum Cæſarem, quem ſibi collegam in imperio Diocletianus aſciverat, referre videtur ſic ſcribens; *Quanquã*, inquit, *illa regio divinis expeditionibus tuis Cæſar vendicata atque purgata, quã obliquis meatib. Scaldis interfluit* (vulgo *Calidis* mendoſe legitur pro Scaldis) *quamq́ divortio ſui Rhenus amplectitur: penè ut verbi periculo loquar, terra non eſt: ita penitus aquis imbuta permaduit, ut non ſolũ quà manifeſtè paluſtris eſt, cedat*

Panegyriſtæ locus.

eſt,cedat ad nixum,& hauriat preſſa veſtigiũ, ſed etiã ubi paulo videtur firmior,pedũ pulſu tentata quatiatur, & ſentire ſe procul mota pondus teſtetur. Ita ut res eſt, ſubjacentibus innatat,& ſuſpenſa latè vacillat, ut merito quis duxerit, exercendũ fuiſſe tali ſolo militẽ ad navale certamen. Sed neq; illæ fraudes locorũ,nec quæ plura inerant perfugia ſylvarũ,Barbaros tegere potuerunt, quo minus ditioni tuæ divinitatis omnes ſeſe dedere cogerentur, & cũ conjugibus ac liberis cæteroq; examine neceſſitudinum ac rerũ ſuarum, ad loca olim deſerta tranſirent,ut quæ fortaſſe ipſi quondã deprædando vaſtaverant, culta redderent ſerviendo. Porrò quòd Franci piraticam exercuerunt, ſatis arguit illos littus Oceani Germanici coluiſſe. Mamertinus ad Maximianũ,ſedati piratici belli gloriam quod Franci gerebant, Diocletiano aſcribit; *Iidẽ hic*, inquit,*gens Chabionũ Herulorumq; deleta,& tranſrhenana victoria edomitis oppreſſa Francis bella piratica Diocletianũ votorum compotem reddiderũt*.De hac victoria haud dubie Panegyriſtes ad Maximianũ & Diocletianum alibi loquitur, *Quorũ*,inquit,*ductu proximè quum feliciſſimis veſtris auſpicijs uterentur, lubrica illa fallaxq; gens Barbarorũ ut merebatur affecta eſt*. Non alienũ arbitror hoc loco referre, exiguum olim Francorũ numerum,quos captos Probus Aug. in Pontũ procul tranſtulerat, arreptis navibus totam ferè Europam circũvectos eſſe,& Aſiæ Libyæq; littorib. depopulatis per Oceanum tandem ad ſuos revertiſſe. Unde Francorum admirabilem in piraticis bellis au-

Franci pirata.

Panegyriſtæ locus.

daciam colligere licet,id quod cum Saxonibus vicinis habuerunt commune. Quā rem Panegyriſtes ad Maximianum Aug. eleganter his verbis cōmemorat, de Britānis loquēs,*Recurſabat quippe*,inquit,*in animos illa ſub divo Probo & paucorū ex Francis captivorū incredibilis audacia,& indigna felicitas,qui à Ponto uſq;, correptis navibus Græciam Aſiamq́;populati, nec impune pleriſq; Libyæ littoribus appulſi, ipſas poſtremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperant Syracuſas; & immenſo itineri pervecti, Oceanum quà terras rupit,intraverant, atq; ita eventu temeritatis,oſtenderant nihil eſſe clauſum piraticæ deſperationi,quo navigiis pateret acceſſus.* Nec dubito quin de Frācis intelligat, quod idē Panegyriſtes paulo ſuperius commemorat, *Statim itaq; Gallias*,inquit,*tuas Cæſar veniendo viciſti. Siquidem illa celeritas qua omnes ortus atq; adventus tui nuncios prævertiſti,cepit oppreſſa Geſſoriacenſibus muris pertinacē tunc errore miſero manū piraticæ factionis, atq; illi ſoli mari fretis alluēte, portus ademit.*Quæ verba depravatiſſime leguntur in vulgatis exemplaribus. Quin & Nazarius oſtendit Francos etiā Hiſpaniarū extrema vexaſſe, nimirum piraticis incurſionibus, quū ſic loquitur ad Conſtantinum, *Franci*, inquit, *ipſi præter cæteros truces,quorum vis quum ad bellum efferveſceret,ultra ipſum Oceanum æſtu furoris evecta,Hiſpaniarū etiam oras armis infeſtas habebat. Ii igitur ſub armis tuis ita cōciderunt,ut deleri funditus poſſent,niſi divino inſtinctu quo regis omnia, quos ipſe affeceras, conſiciēdos filio reſervaſſes.*

vaſſes. Ubi cogitandum quantum calamitatis Galliarum populis ad Oceanum habitantibus incurſatione cotidiana attulerint Franci, à quibus nec Hiſpaniæ tutæ erant, tāto diſtātes intervallo. Sed & Eutropius in Diocletiano refert Francos & Saxonas mare Gallicum infeſtaſſe, *Per hæc,* inquit, *tempora etiā Carauſius, qui viliſſimè natus, in Serenæ militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus, quū apud Bononiam per tractū Belgicæ & Aremoricæ pacandū mare accepiſſet, quod Franci & Saxones infeſtabant, multis Barbaris ſæpe captis, nec præda integra, aut Provincialibus reddita, aut Imperatoribus miſſa, quū ſuſpicio eſſe cœpiſſet, cōſultò ab eo admitti Barbaros, ut tranſeuntes cū præda exciperet, atq; hac occaſione ditaret ſe, à Maximiano juſſus occidi, purpurā ſumpſit, & Britannias occupavit.* Gratulatur Panegyriſtes Maximiano Cæſari victoriā de Frācis, *Enimvero Cæſar,* inquit, *invicte, tanta deorū immortalium tibi eſt addicta cōſenſu victoria, omnium quidē quos adortus fueris hoſtiū, ſed præcipuè Francorū, ut illi quoq; milites veſtri qui per errorē nebuloſi (ut paulo antè dixi) maris abjuncti ad oppidū Lōdinienſe pervenerāt, quicquid ex mercenaria illa multitudine Barbarorū prælio ſuperfuerat, quū direpta civitate fugā capeſſere cogitarēt, paſſim tota urbe cōfecerint, & non ſolā Provincialib. veſtris in cæde hoſtiū dederint ſalutē, ſed etiā in ſpectaculo voluptatē.* Et addit, *O victoria multijuga & innumerabiliū triumphorū, qua Britānia reſtitutæ, qua gentes Francorū penitus exciſæ, quæ multis præterea gentib. in cōjuratione illius ſceleris*

deprehenſis, impoſita eſt neceſſitas obſequendi. Mamertinus ad Maximianum & Diocletianum, *Prætereo Francos,* inquit, *adpetendam pacem Rege venientes, Parthumq́; vobis munerum miraculis blandientem.* Jam Conſtantius utcunq́ue Francos compeſcuerat, ſed quum digreſſus eſſet in illas provincias, & aliis bellis occuparetur, obliti fœderum Franci rurſum in Galliam incurſionem fecerunt. Itaque Conſtantinus adhuc adoleſcens patrem imitatus, Francos depellere eſt aggreſſus, & affuit fortuna, Siquidem duos Francorum reges cepit, Aſcarichum & Ragayſum (qui primi ſunt quorum apud idoneos autores fiat mentio) nec illorum vitæ pepercit, ſed in terrorem Francorum, diris excruciatos ſuppliciis trucidari juſſit. Atq́ue hoc eſt quod Panegyriſtes ad Conſtantinum loquitur. *Sciunt,* inquit, *poſſe Franci tranſire Rhenum, quos ad necem ſuam libenter admittas. ſed nec victoriam poſſunt ſperare, nec veniam. Quid ipſos maneat, ex regum ſuorum cruciatibus metiuntur. Ideoq́; tantum abeſt ut amnis illius tranſitum moliantur, magis ut coempta pace deſperent, Ubi eſt nunc illa ferocia? ubi ſemper infida mobilitas? Jam ne procul quidem Rhenum audetis accolere, & vix ſecuri flumina interiora petitis. Contrà hinc per intervalla diſpoſita magis ornant limitem caſtella, quàm protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola, tutò noſtri greges flumine bicorni merſantur. Hæc eſt tua Conſtantine de Aſcarici Regayſiq́; ſupplicio quotidiana atq́; æterna victoria, omnibus quondam ſecundis prœliis anteponenda.*

Aſcarichus & Regayſus primi Francorum reges noti.

Semel

Semel acie vincitur, ſine fine documento. Cladem ſuam, quamvis multi pereant, vulgus ignorat. Compendium eſt devincendorum hoſtium, duces ſuſtuliſſe. Idem Rhetor paulo ante Conſtantinum alloquens, *affeciſti*, inquit *pœna temeritatis reges ipſos Franciæ, qui per abſentiam patris tui pacem violaverant, non dubitaſti ultimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia, & inexpiabiles iras.* Hoc eſt quod Nazarius apud eundem principem verba faciens dixit. *Ut Herculem*, inquit, *ferunt teneram adhuc atq; lactentē, duos angues manu eliſiſſe, ut jam infantulo indoles futuri roboris immicaret: ſic tu Imperator in ipſis imperij tui cunabulis quaſi geminos dracones necares, per ſæviſſimorum regum famoſa ſupplicia ludibus.* Genus ſupplicii quo Francorum reges affecit, explicat Eutropius ſic ſcribens, *Conſtantinus*, inquit, *in Gallijs & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæſis Francis atq; Alemannis, captisq; eorum regibus, quos etiam beſtijs quum magnificum ſpectaculum innumeris paraſſet, objecit.* Ante modo nominatos Impp. etiam Aurelianus Cæſar tum tribunus legionis ſextæ Gallicanæ apud Magontiacum, Francos irruentes quum vagarentur per totam Galliam, ſic afflixit, ut trecentos ex his captos, ſeptingentis interemptis ſub corona vendiderit. Unde de eo facta eſt cantilena militaris, *Mille Francos, mille Sarmatas, ſemel occidimus,* Autor Vopiſcus. Idem quoque refert, Francos à Probo Cæſ. proſtratos in inviis paludibus. Unde acclamatum Romæ, *Tu Francicus tu*

Gotthicus. Ab eodem ſcriptum eſt, aruſpices prædixiſſe, ex Taciti familia naſciturum imperatorem, qui det Judices Parthis ac Perſis, qui Francos & Alemannos ſub Romanis legibus habeat. Francos ferina victitare ſolitos prodit Panegyreſtes. *Trucem*, inquit, *Francum ferina ſola carne diſtentum, qui vitam pro victus ſui utilitate contemnat, quantæ molis ſuperare, vel capere.* Cæterum ut ad id tandem veniamus, quod hoc loco dicendum eſt: Franci quũ toties pedeſtribus incurſionibus intrata Gallorum regio, non tam prædæ dulcedine quam ubertate ſoli, ſi ſedes in ea figere liceret, prorſus allubeſceret, relicto Oceano Germanico, ad Rhenum in Tencteros juxta Chamavos, veteres illas Sicambrorum ſedes, uſq; ad Mœnũ amnem & Salam etiam Catthorum locis partim occupatis demigrarunt: nimirum habitaturi propius, & commodius, ad vexandã Galliam, incurſionibusque cottidianis obruendam. Id quod ſub Conſtantio factum arbitror. Et jam hæc loca propter emigrationes gentium & excidia bellorũ cultoribus deſtitui cœperant. A quo tempore, relicta aliquantulum piratica, terreſtribus præcipuè bellis adverſum Provinciales uſi ſunt. Hæc autem Francorum in hos tractus demigratio quibuſdam ineruditis impoſtoribus anſam dedit, ut de Sicambria neſcio qua conſtructa ampulloſas nugas comminiſcerentur. Nec me fugit, à veterum Sicambrorum ſedibus, quibus ſaltẽ proximi fuere Franci, ipſos etiam id nomen meruiſſe, quod illi non

non ineleganter reperio tributum à ſemidoctis Sicambri. illius ævi poetaſtris, quorum verſiculos Hiſtoriographi recentes citant. Itaque ſicut Ubii ſiniſtram Rheni ripam, ita Franci dextram tenuerunt. Hinc Auſonius exhortans Rhenum, ut Moſellam amnem libenter recipiat (fluit autem in Rhenum apud oppidum quod Confluentes vocant infra Bingium) ſic canit,

Accedent vires, quas Francia, quasq; Chamaves,
Germaniq; tremant, tum verus habebere limes.

Et Claudianus Stiliconem effusè laudans, quòd obſequentem haberet Germaniam, inquit.

Rhenumq; minacem
Cornibus infractis adeo mitesſcere cogis,
Ut Salius jam rura colat, flexosq; Sicambri
In falcem curvent gladios, geminasq; viator
Quum videat ripas quæ ſit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium non indignante Chayco
Paſcat Belga pecus, mediūq; ingreſſa per Albim
Gallia Francorum montes armenta pererrent.

Porrò Claudianus Salii nomine Francum intelligit, quanquam ſciolus quiſpiam auſus eſt pro *Salius* ſubſtituere *Suevus*, quemadmodum Salii. in excuſis codicibus legitur. Sed nos manu ſcripti voluminis fidem ſequimur, non hic tantum. Sic Ammianus lib. XVII. de Juliano Cæſare loquēs, *Quibus*, inquit, *paratis, petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo Salios appellavit, auſos olim in Romano ſolo apud Toxiandriam locum habitacula ſibi figere prælicenter.* Una ſanè præſtans Francorum natio Sa-

lingos

lingos ſua lingua, hoc eſt Germanica, *die Sæling* à Sala fluvio ſe nuncuparunt, unde condita ab ipſis colonia ad Mœni ripam poſtquam maritimam oram reliquerunt, *Sælingenſtadium* eſt appellatum, hoc eſt Salingorum oppidum. Cæterum Toxiandria, ad quam Francos ſedes fixiſſe ſcribit Marcellinus, non procul abeſt à Moſa amne ſub Tungrorum oppido, Nam profligatis trans Rhenum Francis & Chamavis, Julianus Cæſar tres arces recta ſerie Moſæ fluvii ſuperciliis impoſitas quas ſubverterant Franci, id temporis reparavit, pro tutela Provincialium. Jam Franci dextram Rheni ſub Conſtantio Conſtantini Magni F. vicinam ſibi ripam incolentes, Coloniam Agrippinam (ut à qua ſolo Rheno medio dirimerentur) quum alia bella Romanos exercitus in Oriente diſtinerēt, poſt longam obſidionem ceperunt evaſtaruntque. Sed urbem poſtea Julianus recepit, firmata cum Francis pace. Prodit eam rem Marcellinus primam Juliani novi Cæſaris militiam deſcribens hiis verbis, *Deductus*, inquit, *Julianus ab Auguſto* (videlicet Conſtantio) *uſq; ad locum duabus columnis inſignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum, itineribus rectis Taurinos pervenit: ubi nuncio perculſus gravi, qui nuper in comitatum Auguſti perlatus de induſtria ſilebatur, ne parata defluerent. Indicabat autem Coloniam Agrippinam, ampli nominis urbem in ſecunda Germania, pertinaci Barbarorum obſidione reſeratam, & magnis viribus deletam.* Ex hiis verbis neſciat quis, an de Francis intelligat, niſi infra

Seligſtat.

Toxiandria.

aperte

aperte explicaret. *Igitur Julianus* inquit, *Agrippinam ingreſſus, non antè motus eſt exinde, quam Francorum regibus furore miteſcente perterritis, pacem Reip. firmaret interim profuturam, & urbem reciperet munitiſſimam.* Non ita diu poſt quum Julianus illam memorabilem pugnam cum Alemannis apud Argentoratum adornaret, rurſum Franci Galliæ tractum, qui ad Moſam fluvium eſt ſupra Juliacum, depopulati ſunt. quare Julianus Caſtellum oppidum quod Moſa fluvius præterlabitur, obſedit quatuor & quinquaginta dies hyemali tempore, nempe Decembri menſe & Januario: inediaque fatigatos ad deditionem tandem compulit, ac ſeſe dedentes abduxit. Proinde è Germania fruſtra ſuppetias veniens ingens Francorum exercitus quum rem cognoviſſet, in ſua retroceſſit. Hoc factum deſcribit Ammianus, mendoſa lectione ſic per nos reſtituta: *Remos,* inquit, *Severus Magiſter equitum per Agrippinam petens, & Juliacum, Francorum validiſſimos cuneos. M. ſexcentis velitibus, ut poſtea claruit, vacua præſidiis loca vaſtantes offendit: hac opportunitate in ſcelus audaciam erigente, quòd Cæſare in Alemannorum ſeceſſibus occupato, nulloq; vetante, explere ſe poſſe præclara opportunitate ſunt arbitrati: ſed metu jã reverſi exercitus, munimentis duobus quæ olim extructa ſunt, occupatis, ſe quoad fieri poterat, tuebantur. Hac Julianus rei novitate perculſus, & conjiciens quorſum erumperet ſi iiſdem tranſiſſet intactis, retento milite circumvallare diſpoſuit Caſtellum oppidum quod Moſa fluvius præterambit.*

terambit. Et ad uſq; quartum & quinquageſimum diem, Decembri ſcilicet, & Januario menſe obſidionales tractæ ſunt moræ, obſtinatis Barbarorum animis incredibili pertinacia reluctatis. Tunc pertimeſcens ſolertiſſimus Cæſar, ne obſervata nocte illuni, Barbari gelu vinctum amnem pervaderent, cotidie à ſole in veſperam flexo, aduſq; lucis principium luſoriis navibus diſcurrentibus flumen ultro citroq; milites ordinavit, ut cruſtis riparum diffractis, nullus ad erumpendi copiam facile perveniret. Hocq; commentato, inedia, & vigiliis, & deſperatione poſtremo laſſati ſponte ſe propria dediderunt. Statimq; ad comitatum Auguſti ſunt miſſi. Ad quos eximēdos periculo multitudo Francorum egreſſa, quum captos comperiſſet & aſportatos, nihil amplius auſa repedavit ad ſua caſtra. Hucuſque Marcellinus. Apud eundem ſcriptorem, in oratione quadam ad milites gloriatur Julianus Cæſar, quod Francorum irruptiones fregerit. Non omittendum hoc loco, Auſibarios illos quos Tacitus libro XIII. hiſtoriæ Auguſtæ pulſos à Chaucis, vacuos juxta Friſiorum regionem agros inſediſſe ſcribit, ſed inde rurſum ejectos ab Avito inferioris Germaniæ legato, Francos fuiſſe. Unde colligere licet, veteres Francorum ſedes Chaucis extitiſſe vicinas, imò verius Chaucis immenſum terrarum inſularumque ſpacium attribuunt autores. Anſibariorum reliquias (nam ipſam gentem exciſam Tacito prodente conſtat) aggreſſus eſt tranſito Rheno Julianus. Sic enim Ammianus ſcribit, *In limitem*, inquit, *Germaniæ ſecundæ eſt*

Anſibarii.

egreſſus

egreſſus, omniq; apparatu, quem flagitabat inſtans negocium, communitus, Toxandro oppido propinquabat. Rheno deinde tranſmiſſo, regionem ſubitò pervaſit Francorum, quos Anſuarios vocant, incertorum hominum, licentius etiam perſcrutãtiũ extima Galliarum. Quos adortus ſubitò nihil metuenteis hoſtile, nimiumq; ſecuros, quod ſcrupoſa amnium difficultate arcente, nullum ad ſuos pagos introiſſe meminerant Principem, ſuperavit negocio levi. captisq; plurimis & occiſis, orantibus alijs qui ſuperfuere: pacem ex arbitrio dedit, hoc prodeſſe poſſeſſoribus finitimis arbitratus. Hæc ille. Refert idem ſcriptor, Julianum Cæſarem priuſquam Alemannos invaderet, extructis horreis quæ incenſa erant, ubi annona reponi poſſet à Britannis ſolita adduci, ſeptem civitates multo ante exciſas recepiſſe communiſſeque, nempe has, Caſtra Herculis, Quadriburgium, Utriceſium, & Noveſium, Bonnam, Antenacum & Bingium. Quas civitates Germaniæ ſecundæ nemo alius indubiè excidit, niſi Franci, propter ſitum gentis quem indicavimus. Huc adde, quod in charta provinciali, quam apud Chunradum Peutingerum amicum noſtrum Auguſtæ vidimus, ſub ultimis Impp. depictam, & à Celte in quadam Bibliotheca repertam, planè veterem, ubi hæc oppida ſic leguntur ab Oſtiis Rheni aſcendendo, *Caruo* XIII. *Caſtra Herculis* VIII *Noviomagus* VI. *Burgiantium* V. *Colonia Trajana* XL. *Vetera* XIII. *Aſciburgium* XIIII. *Noveſium* XVI. *Agrippina*, ſupra Rhenũ fluviũ, quem linea protracta deſignat in dextro latere,

Extat iam edita Antuerpiæ 1598. curante M. Vuelſero.

latere, & à parte Germaniæ hoc vocabulum eſt aſcriptum, literis majuſculis.

F R A N C I A.

verſus oſtia Rheni vero, hæc nomina leguntur, CHAMAVI QVI ELPRANCI. Item CHAVCI. VAPLVARII. CHREPSTINI. Unde manifeſte liquet quod nos hic aſtruimus, in Tencterorum loca, qui Rheno tantum ab Ubiis diſcernebantur (ut Tacitus inquit. & teſtatur in commentariis Cæſar) demigraſſe Francos. Alteram adhuc aliud teſtimonium. In cœnobio Duitenſi contra Agrippinam (vulgus Tuitium vocat corruptè) quum murus quidam dirueretur, reperta eſt tabula lapidea cum inſcriptione, quæ docebat, *Divitenſe munimentum in terra Francorum ab Imp. Cæſ. M. Val. Conſtantino pro militibus illic in tutelam Galliarum collocandis eſſe erectum.* Cujus caſtelli mentionem alibi quoque faciemus. Hanc rem narrat Rupertus, quem vulgò Tuitienſem appellant, editis in ſacras literas commentariis nemini ignotus. Veteres iſtos Francorum terminos, de quibus nunc loquimur, nuſquam exactius deſcriptos reperi, quam in Chronicis quæ titulum Abbatis Urſpergenſis habent. In iis ſcriptum eſt, *Saxones quum Carolum magnum in Hiſpania abeſſe cognoviſſent: & tranſire Rhenum non potuiſſent, quicquid à Tuitio civitate uſque ad fluvium Moſellam vicorum villarumque fuit ferro & igni populatos eſſe. Nullum diſcrimen ſexus aut ætatis ira hoſtis fecerat, ut liquidò appareret, eos non prædandi, ſed ulſciſcendi ſe gratia terminos Francorum*

Duits.

corum introiſſe. Hæc illic. Quid autem hic facit Moſella quum præcedat, quòd Rhenum tranſire nequiverint, quod tamen facere ſit opus ſi quis è Saxonia ad eum amnem accedere velit. Tu pro Moſella ſcribe *Salam*, & habebis totum tractum, quem è Chaucis progreſſi Franci priuſquam trans Rhenum in Galliam migrarunt, non paucis annis tenuere. Nec omittendum quod Oroſius ſcribit, Romanæ irruptionis excitatas per Stiliconem gentes, Alanorum, Suevorum, Vandalorum, multasque ex hiis alias, Francos protriviſſe, Rhenum tranſiſſe, Gallias invaſiſſe, directoque impetu Pyrenæum uſq; perveniſſe, cuius obice ad tempus repulſæ per circum jacentes provincias effuſæ fuerint. Ubi attendendum quod inquit, *Francos proterunt*, Nam quum gentes illæ Tranſalbianæ cuperent in Galliã penetrare, cogebantur tranſire Rhenum, quem illic Franci incolebant, quibus veriſimile eſt non uſquequaque placuiſſe, quòd ſeptentrionales illæ nationes in Gallias irrumperent, quas ipſi ſpe jam devoraverant. nec vana ſpes fuit. Unde inter illos natũ bellum, non minus quàm ex maleficio tranſeuntis, ut fit, exercitus. Haud aliter accipiendum, quum legimus, *Saxones eruptionem magna mole meditanteis, in ipſis Francorum finibus à Valentiniano oppreſſos.* Claudianus Franciam appellat fallacem. ſed laudi datur hoſtem fefelliſſe. Reges præterea à Romanis accipere ſolitã ſignificat. Sic enim ad Stiliconem canit, verè poetam agens.

Provincia miſſos
Expellet citius, fallax quàm Francia reges
Quos dederis.

Id verò quod ſubdit, magis ad hiſtoriam pertinet, captos videlicet duos Francorum reges (tam ampla gens fuit, ut complures Principes haberet) Marcomerum videlicet & Sonnonem, alterumque exulaſſe apud Ethruſcos, alterum dimiſſum ut exulis interim ditionem vexaret, à ſuis mox jugulatum. Verſiculi hi ſunt, ſed incorrupti, quum vulgo mendoſiſſime legantur,

Acies non jam pulſare rebelles,
Sed vinclis punire licet. Sub judice noſtro
Regia Romanus diſquirit crimina carcer.
Marcomer Sonnoq; docet. quorum alter Etruſcũ
Pertulit exilium. quum ſe promitteret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.
Res avidi concire novas, odioq; furentes
Pacis, & ingenio ſcelerumq; cupidine fratres.

Comati. Illud ad Stiliconem Vandalum adulantius ab eodẽ dictum eſt, de domitis Francis, & Alemannis, quos Suevos appellat. utrorumque reges promiſſam cæſariem alebant, ſed præcipue Francorum. unde dixit,

Crinigero flaventes vertice Reges.

Verſiculi illi ſunt ejuſmodi,

Miramur rabidis hoſtem ſuccumbere bellis,
Quum ſolo terrore ruant? Non claſſica Francis
Intulimus, jacuere tamen, non Marte Suevos
Cõtudimus, queis jura damus. quis credere poſſit?
Ante tubam nobis audax Germania ſervit.
Cedant Druſe tui, cedant Traiane labores,

Veſtra manus dubio quicquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico. totidemq; diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis in annis.
Quem ferro, alloquijs, quem vos cum milite, ſolus:
Impiger à primo deſcendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, & juncta paludibus ora
Flumineum perſtrinxit iter. Ducis impetus undas
Vincebat celeres, & pax à fonte profecta
Cum Rheni creſcebat aquis. Ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice Reges, — Reges Francorum & Sue vorũ, hoc eſt Alemannorũ.
Qui nec principibus, donis precibusq; vocati
Paruerant, juſſi properant, ſegniq; verentur
Offendiſſe mora. tranſvecti lintribus amnem
Occurſant ubicunq; velis. Nec fama fefellit
Juſtitiæ, videre pium, videre fidelem.
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit. — Germani, h.e. Franci & Alemanni Romanis pacem vendebant
Illi terribiles, quibus ocia vendere ſemper
Mos erat, & fœda requiem mercede paciſci,
Natis obſidibus pacem tam ſupplice vultu
Captivoq; rogant, quàm ſi poſt terga revincti
Tarpeias preſſis ſubeant cervicibus arces.

Porrò Chaucorum nomine Claudianus Frãcos intelligit, quibus olim erant non modo finitimi, ſed etiam (quod Græci dicunt) ὁμοιθνῶν, ſicut per Suevos, rurſum Alemannos, quum inquit,

Tum forte decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus ultro
Germanis, reſponſa dabat legesq; Chaycis
Arduus, & flavis ſignabat jura Suevis.
His tribuit leges, his obſide fœdera ſancit
Indicto. bellorum alios tranſcribit in uſus,

Militet ut noſtris detonſa Sicambria ſignis.

Apud eundem Roma gratias agit Honorio Aug. ob oppreſſos Francos & Alemannos : carmen ſic habet,

Ante pedes humili Franco, triſtiq; Suevo
Perfruor, & noſtrum video Germanice Rhenum.

Idem Galliam inducit, quæ Stiliconem Vandalum hiis verſiculis alloquatur,

Qui mihi Germanos ſolus Francosq; ſubegit,
Quur nondum legitur faſtis? quur pagina tantum
Neſcit adhuc nomē, quod jam numerare decebat?
Vſq; adeo ne levis pacati gloria Rheni?

Honorium Cæſarem idem Poeta laudibus ornans, rurſum canit,

Ante ducem noſtrum flavam ſparſere Sicambri
Cæſariem pauidoq; orantes murmure Franci
Procubuere ſolo. juratur Honorius abſens,
Imploratq; tuum ſupplex Alemannia nomen.

Sidonius Apollinaris Francos natatu valuiſſe teſtatur, in Panegyrico quodam de Avito ſic ſcribens,

Tibi vincitur illic
Curſu Herulus, Chunus jaculis, Frācusq; natatu,
Sauromatæ clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

In eodem carmine Septentrionales populos multos enumerans, addit tandem,

Prorumpit Francus.

Idem Conſentium Narbonenſem celebrans, qui legationibus obeundis clarus erat, ſic canit,

Hinc ſi fœdera ſolverentur orbis,
Pacem de medio darent, feroces,
Chunus, Sauromatæ, Getæ, Gelonus.

Tu Tuncrum, & Vahalim, Viſurgin, Albim,
Francorum & penitiſſimas paludes
Intrares venerantibus Sicambris,
Solis moribus inter arma tutus.

Porrò militarunt etiam Frãci ſub ſignis Romanis. Nam Marcellinus lib. 15. nominat Malarichum Francum, & Sylvanum pedeſtris militiæ rectorem, qui Cæſaris nomen uſurpans ſub Conſtantio Conſtantini F. interemptus eſt apud Coloniam Agrippinam in ſacello Chriſtiano. Puto iam ſatis conſtare ex tot autorum teſtimoniis, ubi primas ſedes ſuas Franci habuerint, quamque regionem pòſt invaſerint dextrã Rheni ripam inhabitaturi. Conſtat præterea puros putos Germanos fuiſſe. quod alio loco magis confirmabitur, ubi de lingua Francorum diſputabimus. Iſti vero Barbari nobiliſſimum Galliis regnum conſtituerunt, quæ perpetua Germanorum laus eſt, multiſque ſeculis tenuerunt, donec paulatim abſorberentur. At inter Gallos hodie ut quiſque procerum plus Francici ſanguinis à majoribus ſuis habet, ita regno fit propior. Et durat adhuc durabitque inclytum Francorum nomen. Quem enim pudeat à tam ſtrenua gente duxiſſe originem? Certe Romanis minus de ſui initio gloriari licet. Sed nunc de præſtantiſſima Alemannorum gente diſſeramus.

Franciæ regnum.

ALEMANNI IN GERMANIAM INTER *Menum, Rhenum, & Danubium, juxta ſylvam Martianam,*

FRancorum origo non multo pluribus hactenus nota fuit, quam eſt & Alemannorum. De nomine vero ut paſſim ineptiunt ſcriptores, dum alius à Lemanno lacu trahit prorſus alienam etymologiam, feſtivam alius ab ala magna, quod pontifex quidam Romanus feciſſe dicitur, exhortaturus Germanos ad bellum contra Turcas. Non nulli à Limmaha amne qui è lacu Turegienſi profluit, deducere ſunt auſi. Sed omnium ineptiſſimus eſt Annius quidam in Beroſum, autoris fabuloſi fabuloſior interpres. nam quoties ille hircum mulget, juxta proverbium, hic cribrum ſupponit. Non nego tamen, doctum fuiſſe qui nobis Beroſum effinxit, quiſquis fuit. nam ita rem temperavit, ut non cuivis impoſtura ſtatim ſuboleat. Is legerat apud Tacitum, Germanos dicere *Herculem apud ſe fuiſſe*, quare quum forte deeſſet nomen regis, aſcripſit, apud Tuyſcones regnat Hercules Alemannus, & hunc Teutanis filium facit. Annius nugis nugas cumulās, hebraicā etymologiā, ſi diis placet, affert ex Talmutiſtarū arcanis literis, אַלְבְ enim alveū ſignificare, & Mannū eſſe Rhenū. proinde dictos Alemānos, quod ad Rhenum habitent. O ſomnia. Novum eſt Alemannorum nomen, & multo recentius quàm Germanorum. Auditum autem eſt primum (ut ſuſpicor) ſub Probo Aug. Fl. Vopiſcus in vita

Beroſus ſuppoſitus.

Proculi,

Proculi. *Nam Alemannos*, inquit *qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloriæ ſplendore cõtrivit*. Cujus cauſa, quia Germanorũ nomen uſitatius erat, Alemannorũ verò novũ & ignotũ, præſertim Provincialibus. Itaq; reperio longe antea Antoninum Caracallam Alemannici cognomen uſurpaſſe, quòd Alemannorum gentẽ viciſſet. & Claudium Cæſarem, qui poſt Gallienum imperavit, legimus innumeras Alemannorum cohortes non procul Benaco lacu contudiſſe. Hujus vocabuli etymologiam rectius explicat Aſinius Quadratus; qui apud Agathiã, collectitiam gentem fuiſſe teſtatur; quam rem ipſum nomen præferat. Nec ideo ἀπὸ τοῦ ἀλήμεναι deduci debet, quod Græcis errare ſignificat, perinde ac Alemanni ſint ἀλήμονες, ſed Germanica dictio eſt. Enimvero ſuſpicor, quum Germani illi Septentrionales ex magna parte Suevi Tranſalbiani, cum aliquot ulterioribus nationibus, mutare ſedes & opportuniora ad deprædandas Romanorum provincias occupare loca conſtituiſſent (nam illic præ multitudine potẽtiſſimorum populorum, hinc Francorũ, illinc, Suevorum, Quadorum, Marcomannorum vix ullus incurſioni patebat aditus) imitati priores Germanos, qui tranſito Rheno primi ſibi hoc nominis indiderunt, & ipſi novo vocabulo ſe Alemannos appellarunt, glorioſo quidem nomine, ſed formidabili conſanguineis populis ac miſeris provincialibus, nempe quòd fortiſſimi bellatores eſſent & viri omnes. Nam hæc eſt hujus vocis Germana interpretatio. Afferã hu- *Aleman.*

jus rei ſimile exemplum. Noſtra ætate militum manus in inferiori Germania ſe Diabolos appellarunt, ad incutiendum terrorem iis adverſum quos mittebantur. Veſtes erant nigræ, haſtæ nigræ, vultus ipſi nihilo candidiores. & certè multis juxta nomen perniciem attulerunt, donec crebris bellis conſumerentur. Non aliter ambitioſum hoc vocabulum collectæ Germanorum genti, fortunamque novam tentaturæ placuit. Et hactenus de nomine. Porrò Alemanni inter Mœnum amnem, Danubium, Rhenum, & fōtem Danubii ſive limitem qui Rhetiam ac Germaniā dividit, novas ſedes fixerunt. non quòd hanc latam Germaniæ partem antè non tenuerint Germani, ac partim Suevi, ſed quòd tum pauciores incolas haberet is tractus, & cōmodior eſſet illinc ad Rhetiam primam, hinc ad Maximam Sequanorum & Primam Germaniā incurſandam, opulentiſſimas provincias: quod unum ſpectabant Alemanni. Quo nomine nihil ambigo prioribus cultoribus gratum fuiſſe cōſanguineorum ſuorū adventum. Argumento nobis eſt illos à Septentrione veniſſe, quòd quū Gothi Burgundiones adhuc in ſuis ſedibus agenteis excinderent, Alemanni profligatos reſtituere voluerunt, non hoc facturi, niſi aliquid vel amicitiæ vel fœderis inter ipſos interceſſiſſet, ex veterum fortaſſis ſedium vicinia. Docet hoc quod dixi Mamertinus Panegyriſtes in Genethliaco ad Maximianum Aug. *Gothi*, inquit *Burgundiones penitus excindunt. Rurſum pro victis armantur Alemanni.* Adde huc quod quum

à Gothis

à Gothis ejecti Burgundiones, in Germania ſedis inopes vagarentur, ad Alemannos tanquam amicos conceſſere. Sed quum potentem gentẽ recipere nollent, illi vi & ferro in Alemanniam, non tamen citra damnum ſuum irrupere: & aliquot illinc annis conſedere, donec in Sequanos maturius tranſirent. Nam diſcordiam inter Alemannos & Burgundiones pepererat illa violenta irruptio. Colligere licet hoc ex Mamertino: *Burgundiones*, inquit, *Alemannorum agros occupavere, ſed ſua quoq; clade quæſitos. Alemãni terras amiſere, ſed repetunt.* Porrò Martiana ſylva ſive Hercynia Alemannis tutum perfugium erat adverſum Romãos inſequenteis, quod aliquoties accidit. Narravimus ſuprà quum de ſtatu veteris Germaniæ loqueremur, Probum Germanos ultra Albim, & Alemannos ultra Nicrum ſubmoviſſe, emaculantes Vopiſci locum & Auſonii carmen. Nec fruſtra Manlius Statianus apud Fl. Vopiſcum in vita Probi, dixit; *Teſtes Germani & Alemanni longè à Rheni ſubmoti littoribus.* Nam communi Germanorũ vocabulo, nationes cis Albim habitantes intelligit, Bructeros, Cheruſcos, & Chattos. Per Alemannos autem innuit eos qui Martianas ſylvas incolebant, quos *Schuartzuualderos* appellamus vulgo, quaſi nigræ ſylvæ cultores, quòd vernacula ſimplicitas Martianã in Schuartzam, hoc eſt nigram detorſerit. Ammianus de Juliano Cæſare; *Profecturus itaq; per Martianas ſylvas, viasq; junctas Hiſtri fluminis ripis, inter ſubjecta vehementer incertus id verebatur,* *Martiana ſilva.*

ne contemptus, ut comitantibus paucis, multitudinem offenderet repugnantem. Erat autem tum Julianus in Rauracis. Maximianus Herculeus regem quendam Alemannorum cepit, & per pontem Magonciacenſem ingreſſus totam Alemanniam populando percurrit uſque ad trajectum Guntienſem, hoc eſt uſque ad pontem qui apud Guntzeburgum oppidum hodieque ſervatur. De qua re Panegyriſtes, *Captus,* inquit, *rex ferociſſimæ nationis, inter ipſas quas moliebatur inſidias, & à ponte Rheni uſq; ad Danubij trāſitū Guntienſem devaſtata atq; exhauſta penitus Alemannia.* Sic enim illic legēdum, nō, *continēſem.* Idem ad eundem Maximianum paulo pòſt, *Nunc vero toto orbi terrarū,* inquit *non modo quà Romanus limes fuerat, virtute veſtra recepto, ſed etiā quà hoſtilis, edomito, quum toties proculcata eſſet Alemannia, toties obtrita Sarmatia, Vitungi, Quadi, Carpi toties profligati, ſubmittēte ſe Gotho pace poſcēda, ſupplicante per munera rege Perſarū, urebat animos, quod nūc deniq; cōfitemur, una illa tāti imperii contumelia, eòq; nobis intolerabilior videbatur, quòd gloria ſola reſtabat.* Hæc ille. Facilis erat Alemannis jam ad Martianā ſylvam cōſidentibus, in Galliam interiorem per Rauracos vel Tribochos irruptio. Proinde Conſtantius Cæſar pater Conſtantini Magni, prope Lingonas in Sequanis ingentem de Alemannis reportavit victoriam, principatu Diocletiani Aug. in eo conflictu graviter vulneratus. Quam rem Eutropius hiis verbis deſcribit, *Per idem tempus,* inquit, *à Conſtantio Cæſare* (ſic enim illic legendum,

Panegyriſtæ locus.

Eutropii locus.

dum,non, *Conſtantino) in Gallia pugnatum eſt circa Lingonas, die una adverſam & ſecundam fortunam expertus eſt. Nam quum repente Barbaris ingruentibus intra civitatem eſſet coactus tam præcipiti neceſſitate, ut clauſis portis per murum funibus tolleretur, vix quinq; horis medijs adventante exercitu, ſexaginta ferè millia Alemannorum cecidit.* Panegyriſtes ad Conſtantinum de patre Conſtantio loquens, non modo hujus Lingonicæ victoriæ meminit, ſed & alterius apud Vindoniſſam (quod Helvetiorum oppidum fuit, nunc exiguus viculus) adverſum Alemannos obtentæ. *Quid commemorem*, inquit, *Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipſius vulnere glorioſam? Quid Vindoniſſæ campos hoſtium ſtrage completos, ſed adhuc oſſibus opertos?* *Victoria Lingonica, Vindoniſſenſis.*

Indicat Nazarius in Panegyrico ſuo, quaſdam Germanorum gentes, & in hiis Alemannos, primum ſigillatim quamq;, deinde conjunctis viribus contra Conſtantinum moviſſe. *Quid memorem*, inquit, *Bructeros, quid Chamavos? quid Cheruſcos, Chabiones, Alemannos, Tubantes? bellicum ſtrepunt nomina, & immanitas Barbariæ in ipſis vocabulis adhibet horrorem. Hij omnes ſigillatim, dein pariter armati, conſpiratione fœderatæ ſocietatis exarſerant.* Addit Nazarius, collectum iſtarum gentium exercitum ab ipſo Conſtantino, duobus tantum comitato, ſed privato cultu confidenter aditum, feciſſe eum verba, ſpem illorum agitaſſe, & verſaſſe credulitatem (ſic enim illic legendū) negaſſeque Conſtantinum eſſe præſentem. Quæ res fe- *Nazarii locus.*

cituc

cit ut Germani incurioſius agerent, faciliusque profligarentur. Nam Romanos propter abſentiam Imperatoris contemnebant. Hic fuit aſtus Conſtantini adverſum Germanos. Imperiale faſtigiũ præcipuè debet Alemannis Conſtantinus. Siquidem quum in Britanniã ex Roma adjutus curſu publico profugiſſet, & tum forte pater ipſius Conſtantius illic vitam cum morte commutaret, præcipuus illi autor fuit capeſſendi imperij Rex Alemannorum Erocus, qui in aula Conſtantij agebat. Id quod à Sexto Aurelio proditum eſt. de Conſtantino enim loquens, *Mortuo patre cunctis*, inquit *qui aderant adnitentibus, ſed præcipuè Eroco Alemannorum Rege auxilij gratia Conſtantium comitato, imperium capit.* Huius filius Conſtantius quum adverſum Gunomadum & Vadomarium fratres Alemannorum reges, qui ſuperiorem partem ſylvæ Martianæ tenebant, contra Rauracos bellum inſtituiſſet propter devaſtatam Galliam, & Romani milites pontem conjunctis navibus in Rheno ſuſpendiſſẽt, ita reſtiterunt Alemanni, ut hoſtes retrocedere cogerentur. Quare tentarunt per vadum quod quidam oſtenderat, Rhenũ furtim tranſire. Sed illic vigilabant Alemanni. Mirum autem eſt quòd tum à Conſtantio pacem orarunt, quam impetrare facillimum erat. putat Marcellinus aruſpices diſſuaſiſſe pugnam. Eodem autore conſtat Alemannos apud Conſtantium meruiſſe, & quoſdam ad ſumma honorum faſtigia provectos, nam Latinus (forte

Altinus

Altinus) domeſticorum Comes fuit, Agilo tribunus ſtabuli, Scudilo, rector ſcutariorum. *Hij tunc*, inquit ille, *velut dextris ſuis geſtantes rempublicam colebantur.* Unde Alemannorum ſigniferum legimus ad Perſas diſceſſiſſe, quòd ei parum conveniebat cum Joviniano, qui poſt Juliani mortem imperium eſt adeptus. Paulò poſt rurſum ob eandem cauſam Alemannis indixit bellum Conſtantius. Egreſſus tum in Rhetias quum ad campos quos Cavinos vocant, veniſſet, præmiſit Arbetionem juſſum ripam Brigantini lacus emetiens, Alemannos ſi quos offendiſſet, mox invaderet. At hij è latebris quibuſdam exilientes, Romanos in fugam verterunt. Ob quam victoriam elati, circa munimenta Romanorũ, quæ ad Rhenum & lacũ Brigantinũ erãt (ubi hodie Conſtantia viſitur) caſtellum ſive munimẽtum id temporis contra Alemannos à Conſtantio conditum, ſuperbè ambulantes à convicijs in illos non abſtinebant, Sed quum prædibus inhiarent diſperſi, fugati ſunt & ipſi à Romanis. Coactus eſt deinde Conſtantius Julianum patruelem ſuum titulo Cæſaris ornatum ad defenſionem Galliarum mittere contra Alemannos & Francos, qui propter abſentiam Imperatoris longinquis diſtenti bellis provincias ſubinde vexabant, ſed præcipuè Gallias. Obſederant tum Auguſtodunum in Heduis Alemanni. Julianus novus Cæſar primo veluti rudimento depulit illos. Liberavit & Trecaſſes, Senonasq́;. Poſtea per Decem pagos (loci nomen eſt) in primam *Coſtenz.*

mam Germaniam profectus, quam Alemanni jam poſſidebant, civitates omnes à Barbaris vendicavit, primam omnium Brocomagum (vulgò *Bromat* hodie vocatur; ſ[illegible] vicus infra Argentoratum, nam per tres Tabernas, ut puto, venerat Julianus) deinde Argentoratum, Tarbellos, Sebuſianos, Nemetas, Vangionas, & Magonciacum. Digreſſo Senonas in hyberna Juliano rurſum cuncta vaſtabant Alemanni. Quare Barbatio cum xxv. millibus armatorum miſſus eſt ad Rauracos. Proximo loco Severus exercitum habebat. Nihilominus Alemanni inter hoſtium gemina caſtra feliciter in Galliam irruperunt, & Lugdunum depopulati ſunt. Forte legendum apud Marcellinum, *Ebredunum*, quod oppidum non procul aberat à Rauracis. Verum quum redirent onuſti præda, ab equitibus Romanis partim male ſunt accepti. Non tamen auſus fuit Barbatio illos aggredi, cum Bainobaude tribuno, & Valentiniano (qui poſtea fuit Imperator) equeſtrium turmarũ rectoribus. Tantum vero terroris exercitus iſti Romanorum Alemannis incuſſerunt, ut qui trans Rhenum ſedes fixerant, dum abſunt diu Romani, domicilia ſua alioqui ob difficultatem viarum inacceſſa, cæſis etiam arboribus communirent, & multi diffidentes ſe tueri poſſe, in inſulas Rheni profugerent. Ad unam inſulam, ſcutis in modum alveorum ſuppoſitis, nando Romani milites pervenere. Trucidati ibi viri mulieresque, nec ab infantium cæde temperatum. Eam inſulam

Bruomat.

Marcellini locus.

ſulam eſſe reor in qua cœnobium eſt hodie Benedictinorum, quod *Rheni augiam*, appellant, *Rheinan.* prope cataractas eius amnis infra Scheffhuſium. Cæterum dum Romanus miles partim agrariis ſtationibus occupatus eſt, ne vis inferretur illis qui frumenta colligebant, Alemanni Barbationem adoriuntur, & uſque ad Rauracos fugatum, captis calonibus, ſarcinis jumentisque ſpoliant. Quæ victoria commovit octo reges Alemannorum, ut conjunctis viribus Rhenum cum Juliano pugnaturi tranſcenderent. Apud Argentoratum fixere caſtra ſua. Cæſar relictis Tribus tabernis, quod munimentum tum reparabat, Alemannis obviam proficiſcitur. Conſeruntur manus. Equitum cuneos primum noſtri diſiecere. Sed pedites fortiter reſiſtebant. Hos inclinatos, auxiliares Batavi reſtituunt. Itaq; vincunt Romani. Capitur ingens ille & obeſi corporis Chondomarius Alemannormu rex, qui cum Serapione eum exercitum duxerat. Is ab Juliano primũ miſſus ad comitatum Conſtantij Aug. tum apud Mediolanum agentis: ſed ab illo Romam deductus, in Caſtris peregrinis, quę in monte ſunt Cælio, morbo veterni conſumptus eſt. Julianus occiſorum corporibus humari juſſis, per Tres tabernas, ubi quam diu commoratus eſt, prædã omnem cum captivis in Mediomatricos advehendã curavit. Ipſe mox cũ exercitu Magonciacum eſt profectus, & illic ponte tranſito. terras Alemannorũ intravit. Qui pleni terroris ob cladem nuper acceptã, primũ pacem petere niſi

viſi ſunt. ſed ſubito mutatis animis bellum indicebant. Itaque Julianus aſtu cum illis agendū ratus, noctu manum militum navigiis impoſuit, juſſitque ut egreſſi tum ferro tum flammis omnia vaſtarent. Quum poſtero die fumum hinc inde vidiſſent Alemanni, perterriti, nam ingentem exercitum tranſiſſe ſuſpicabantur, & equites Romani paſſim diſcurſabant, trans Mœnum amnem (ſic enim in Marcellino legendum, nō, *Rhenum*) auſugerunt. Multum damni tum Alemannis illatum eſt. nam abacta pecora, villæ & domus ritu Romano conſtructæ exuſtæ ſunt, frumenta aſportata, abducti captivi. Iam ad decimum lapidem à Magonciaco in Alemāniam proceſſerat miles Romanus, quum repertis ſemitis quæ abiegno robore erant obſtructæ, non tam inclementiam cœli (præterierat enim æquinoctium autumnale) quàm ob viæ difficultatem aſperitatemque, progredi nequivit. Et timebantur in ſeceſſibus aviis hoſtium inſidiæ. Cæterum nemine prodeunte, rem egregiā Romani ſunt aggreſſi. Marcus Vlpius Traianus, is qui adoptatus à Nerva Cocceio, Traianus Nerva dictus eſt, quum Germaniam provinciā adminiſtraret (nam agens Agrippinæ eſt adoptatus, & Cæſar factus) omnia munimenta ac caſtra quæ olim Druſus Germanicus in veteri Germania trans Rhenum ſub Auguſto conſtruxerat, diligenter reſtituit, quædam à fundamētis erexit. Atque hoc eſt quod de eo prodit Eutropius, quum inquit, *Vrbes trans Rhenum in Germania reparavit*, Is Traianus etiam in Germania

Traianus Imp.

mania (quæ poſtea, ceu docuimus, Alemannia dicta eſt, non procul à Meno Rhenoque fluminib. arcem conſtruxerat, dum Germanos perſequitur, quam à ſuo nomine Traiani arcem appellavit aut Traianum. Fuit autem ille non minus vir fortis quàm & laudis cupidus, quod vel ſolæ inſcriptiones teſtantur, quæ hodieque in Dacia extant innumeræ, & Ulpia Traiana civitas ejus provinciæ ſic nominata, ut hunc herbã parietariam non infeſtivè vocarit jocans Conſtantinus. Id munimentum partim à Germanis dirutum, partim ab ipſa vetuſtate conſumptũ quum reperiſſent in iſta (de qua nunc loquimur) expeditione Romani milites, & nemo obſiſteret, juſſu Juliani primum tumultuariè repararunt, & defenſores in eo collocarunt adverſus Alemannos, deinde pace cum hoſtibus firmata accuratius munierunt, non ſolum tormentis muralibus ſed & annona. Nam quum tres Alemannorum reges, ex hiis qui victis apud Argentoratum ſuppetias miſerant, tandem veniſſent, ea conditione pacem obtinuerunt, ut non minus fœdera quàm ipſum munimentũ ſervarent illæſum, ſi opus eſſet frumenta afferrent, locumque defenderent. Id munimentum eſſe conìicio, quod hæc ætas *Cronburgum* vocat, quaſi Tronburgum, hoc eſt Traiani burgũ, à Principe Catthorum ſuperioribus annis occupatum, quod Hartmannus loci dominus Siccingii partes ſequeretur. Porrò non poterant quieſcere noſtri, nam Vithungi Alemannorum pars (quos poſſibile eſt Vuirtenbergenſi ditiõi

Caſtrum Traiani.

Vithungi.

dediſſe nomen, ab illis profectos qui Trebellio Pollioni Virtingi dicuntur) Italiæ minantes, Rhetias miſere devaſtabant, ita ut etiam oppida obſiderent, quod prioribus incurſionibus non erat factum. Sed Barbatio magiſter peditũ poſt Sylvanum Francum, & Nevita præpoſitus equitum, cum valida manu illos depulerunt. Sub Valentiniano tertio Vithungos rurſum, in Rhetiam ſecundam quæ Vindelicia prius dicta fuit, & in Noricum incurſaſſe conſtat, qui eaſdem ab Avito repulſos commemorat, hoc carmine,

Jam poſt Vithungos, & Norica bella, ſubacto
Victor Vindelico.

Cæterum quum Julianus Francos & Chamavos in Germania ſecunda compeſcuiſſet, ſupra Magonciacum ponte facto Rhenum tranſiit Alemannis jugum impoſiturus. Ubi Marcellus Severus adeo cognitam ante virtutem Alemannorum timuit, ut extrema ſit minatus indicibus viarum qui præcedebant, ni jurarent ſe penitus iter ignorare. Hoc faciebat ne progredi cum exercitu cogeretur. Et tamen quum ſic cunctarentur Romani, ſuapte ſponte venit Sunomarius Alemannorum rex, & cum Juliano pacem iniit, redditis captivis quos domi detinebat, & annonã mittere pollicitus. In Hortarii deinde regnum itum eſt per occultam ſemitam indicio captivi cuiuſdam. nam viæ cæſis arboribus interſeptæ erant, vici exuſti, pecora abacta, homines interẽpti. Quod videns Hortarius rex, & ipſe veniam precaturus accurrit,

Reddidit

Reddidit captivos, & in uſum reparandarum urbium, quas in Germania prima Alemanni exciderant, materias & ligna ſubvehere juſſus eſt. nec enim frumenta dare potuit propter vaſtationem paulo ante factam & incendium. Reditũ in hyberna. At quoniam nondum tota pacata erat Alemannia, nam adhuc ſex reges hoſtes erant, Macrianus, Hariobaudus, Vadomarius, Varius, Urſicinus & Verſalpus, ineunte vere exploratorem Hariobaudem, Germanici ſermonis peritum, ſpecie legationis ad Hortarium regem jam pacatum miſit. Quo reverſo quum totus exercitus Magunciaci collectus eſſet, noluit Julianus illic ponte Rhenum tranſire, quãquam hoc faciendum Florentius & Lupicinus contenderent, veritus, ne fœderatorum regum terræ violarentur, quando tranſitus militum citra maleficium non fiunt. Et jam Sunomariũ regem amicum Romanis, cuius pagi ulterioribus Rheni ripis adhærebant, Alemanni monuerant, ne venientem exercitum tranſire ſineret. Quum vero negaret ſe ſolum hoc poſſe, magnis illi viribus Magonciacum properant, ipſi ripas obſervaturi. Non placebat Juliano conſilium contexendi pontis, quòd nollet periculo ſuos exponere. Verum noctu trecentos tantum milites ad hoſtilem ripam ſummo ſilentio navib. tranſvehi jubet. Qui cum Alemannos trãſeundo fefelliſſent, ad ignes hoſtium tantum intentos, inciderunt adhuc ea nocte in reges, regales, & regulos quoſdam, quos Hortarius rex nihil de Romanorum trajectione ſciens, ac quis

id actum dolo putet, ad convivium vocatos uſque ad tertiam vigiliam extentis epulis more gentili tenuerat, nec contingere ullo modo potuerunt, tenebrarum & equorum adjumento, quò dubius impetus truſit, abreptos (ſic enim caſtiganda Marcellini verba) quos autem è ſervis nacti ſunt, occiderunt. Cognito Romanorum tranſitu, territi ſunt reges, & qui ponte ne ſtrueretur obſervabant, domum revolant ſuis rebus conſulturi. Quo tempore, ponte conſtituto cæteræ cohortes ſunt Rhenum tranſgreſſæ. Servavit Hortario fidem miles, nihil damni inferens. At ſecus actum in hoſtili terra. In regione Cappellatiana, quæ à Palas nomen habet (cui hodie præeſt Comes hinc dictus Palatinus) caſtra ſunt poſita, nam expectabantur Macrianus & Hariobaudus germani fratres, & reges, qui pacem & fœdus petituri veniebant. Supervenit & Vadomarius rex contra Rauracos habitans, limiti vicinus (hoc eſt, è regione viculi, cui Auguſtæ nomen eſt, miliario ſupra Baſileam) non ſuam ſolum ſed & Varii, Urſicini, & Veſtralpi ſociorum regum cauſam acturus. Macriano & Hariobaudo data pax, & Vadomario qui pridem in clientelam à Conſtantio fuerat receptus. Abſentibus regibus nihil reſponſum eſt. Sed paulo pòſt in ipſorum fines immiſſis populatoribus didicerunt, propriis legatis pacem eſſe ſeriò petendam. Quam omnes ſimili conditione obtinuerunt, ut videlicet captivos redderent, quos crebris excurſionibus abduxerant. Atque hinc fama nata celebris de

Marcellini locus.

Palas Capellatium.

Auguſt.

Juliano,

Juliano quòd Alemanniæ regna quædam proſtraviſſet, recepiſſetque oppida Gallicana, antè direpta à Barbaris & exciſa, quos ipſe tributarios fecerit & vectigaleis. Quæ res illi non mediocrem invidiã conciliavit apud Conſtantium arrogantiſſimum principem, quem adeo non pudebat manifeſtæ vanitatis, ut Chonodomarium Alemannorum regem à ſe captum prædicaret, ſeque ſtetiſſe inter ſigniferos: nam hæc in annaleis ſuos referri juſſit, quum tamen nemo non ſciret, id horæ quum commiſſa pugna eſt, quadrageſima manſione fuiſſe Conſtantium ab Argentorato diremptum. Is timens quòd poſtea accidit (ut eſt nulla fides regni ſociis) ne diſcederet à Galliis Julianus veluti re confecta, monet occultè per literas Vadomarium Alemannorum regem veterem clientem, qui (ceu diximus) è regione Auguſtæ Rauricæ Martianam ſylvam accolebat, ut diſſimulans interim ſe eſſe hoſtem (nam nuperrimè cum Juliano fœdus ſanxerat, quemadmodum mox retulimus) ſubmitteret aliquos qui collimitia vicina popularentur. Itaque videns Julianus tum Rhetiæ confinia vaſtari, miſit Libinonem quendã, qui populatores arceret. Is non procul Sanctione oppido (quod hodie Seccingam dici puto, *Seckingen.* D. Fridolino nobile, niſi *Veſontione* legendum illic eſt) cum Alemannis confligens occubuit, ex ſuorum numero non paucis deſideratis, & ob ducis mortem mox in fugam verſis. Poſtea Vadomarius vaferrimus princeps cœpit Juliano ſuſpectus eſſe, cui ſubolebat, illud autore Con-

ſtantio factum. Sed aperta res eſt, quum paulo poſt ſcriba Vadomarii à ſtationariis militibus comprehenſus eſt, literas ad Auguſtum perlaturus, in quibus & hoc inerat præter alia multa, *Cæſar tuus diſciplinam non habet*. Proinde Julianus comprehendi Vadomarii conſilium juſſit. Obſignatam ſchedam ob alia negocia quædam in Rauracos proficiſcenti Philagrio cuidam tradit, jubens ne aperiret niſi cis Rhenum viſo Vadomario: nam in caſtra Romanorum vel apud Auguſtam Rauricam vel apud Confluentes, Vindoniſſam, Forum Tiberii, item aliis locis ſubinde, trans Rhenum commeabat, nec tum quicquam mali ſuſpicabatur. Forte contigit ut apud Præpoſitum militum utrique in cœna accumberent. Philagrius inſpectis primis literis, à convivio Vadomarium capit, comitibus ipſius dimiſſis. Ad Cæſarem inde ductus eſt, & mox in Hiſpanias relegatus. Hic poſtea Phœnicen rexit Ducis nomine, miſſus ad Niceam oppugnandam ſub Valente. *Exregem Alemannorū* vocat Ammianus, quòd rex eſſe deſiiſſet, ut ætas ea dixit, *Expræfectū*, *Exconſulem*, *Exquæſtorem*, *Excomitem*. Sic enim eius verba legenda ſunt; *Ad quam obſidendam, cum huiuſmodi pugnarū peritus Vadomario miſſo duce Exrege Alemannorum, Valens Nicomediam pergit.* Quid igitur mirum ſi Iulianus Cæſar poſt tot bella cum Alemannis geſta, apud Marcellinum milites pro concione alloquens ſic glorietur? *Retexere ſuperfluum*, inquit, *puto, quoties hyeme cruda, rigentiq́ cœlo, quo tempore terræ ac maria*

Exrex. (margin note beside the line "Niceam oppugnandam ſub Valente")

opere

opere Martio vacant, indomitos antea, cum jactura virium ſuarum repulerimus Alemannos. Id ſanè nec prætermitti debet nec taceri, quòd quum prope Argentoratū illuxiſſet ille beatiſſimus dies, vehens quodammodo Gallis perpetuam libertatem, inter confertiſſima tela me diſcurrente, vos vigore uſuq; diuturnitate fundati, velut incitatos torrentes, hoſtes abruptius inundanteis ſuperaſtis, ferro proſtratos, vel fluminis profundo ſubmerſos, paucis relictis, noſtrorum, quorum exequias honeſtavimus celebri potius laude quàm luctu. Et in alia rurſum oratione, quam in Rauricis apud milites habuit, per Martianas ſylvas profecturus ad Danubium, quod tutò licebat Vadomario rege jam capto: *Arbitrio Dei cœleſtis,* inquit, *vobis inter ipſa iuventæ rudimenta permixtus, irruptiones Alemannorum aſſiduas & Francorum, populandíque vigentem licentiam fregi, vigoremq; comminui. Romanis agminibus quoties liberet Rhenum pervium feci, contra murmura, fremitus, gentiumq; validarum violentos excurſus ſtando immobilis.* Ammianus fautor pietatis Chriſtianæ ridet Julianum, qui gaudens opinionum diſſidijs quæ inter Chriſtianos erant, quòd ſic videlicet impius homo diſcordem plebem minus timeret, exhortatus ſit Epiſcopos intra palatium ad ſe cum populo voſtros, ut civilibus diſcordijs conſopitis quiſque nullo vetante reginæ ſuæ ſerviret intrepidus, exclamaritque, *Audite me, quem Alemanni audierunt & Franci.* Quibus verbis alluſit ad Plautinū illud in Sticho, *Suus*

Diſcordia Chriſtianorum.

Reginæ ſuæ ſervire.

rex reginæ placet, Sua cuiq; ſponſo ſponſa. Item ad id quod ex Attilio Tullius citat, *Suam cuiq; ſponſam, mihi meam, Suum cuiq; amorem, mihi meum.* Non tacuit Juliani victoriam de Alemannis apud Agentoratum Nazarius Panegyriſtes, addens cauſam offenſi Conſtantij. *Florentiſſimas quondam*, inquit, *antiquiſſimasq; urbes Barbari poſſidebant. Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis ſerviebat. Porrò aliæ quas à vaſtitate Barbarica terrarum intervalla diſtulerant, Iudicum nomine à nefarijs latronibus obtinebãtur, ingenua indignè cruciãtibus corpora* (ſic enim illic legendũ) *Nemo ab injuria liber, nemo intactus à contumelia, niſi qui crudelitatem prædonis pretio mitigaſſet, ut jam Barbari deſiderantur, ut præoptaretur à miſeris fortuna captorum. In hoc ſtatu Imperator noſter Gallias nactus, minimũ* (ſic enim legendũ eſt) *habuit adverſũ hoſtẽ laboris atq; diſcriminis. Una acie Germania univerſa deleta eſt, Uno prælio debellatũ. Sed emendatio morũ judiciorumq; correctio. & difficile luctamen & periculi plenum negotiũ fuit. Nam ut quiſq; improbiſſimus erat, ita maximè Cæſaris rebus inimicus, vitandis legum pœnis de novo ſcelere remedia quærebat: & quia defendere admiſſa flagitia non poterat, in autorem juris* (ſic enim legendum) *invidiam congerebat. Et quum ſancti Principis artes* (ſic ſcribendũ) *atq; inſtituta, falſarum opinionum vituperationem licentem* (ita lego) *ſubmoverent, callido nocẽdi artificio accuſatoriã diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis*

Nazarii loci emendati.

Pugna Argentoratenſis.

quaſi

quaſi per benivolentiã illa jactantes, Iulianus Alemanniã domuit, Julianus urbes Galliæ ex favillis & cineribus excitavit. Illæ provinciæ obſeſſæ, expugnatæ, ferro igniq́ vaſtatæ, beatiores ſunt hys oppidis quæ habet ſine hoſte Conſtantius. Aeſtates omnes in caſtris, hyemes in tribunalibus degit. Ita illi anni ſpacia diviſa ſunt, ut aut Barbaros domitet, aut civibus jura reſtituat, perpetuũ profeſſus aut contra hoſtem, aut contra vitia certamen. De rebellante Alemannia rurſusq; ſuperata, ac de profectione Juliani per Martianã Alemannorũ ſylvam in Illyricũ, ſubdit Nazarius, *Mitto cunctam*, inquit, *Barbariam adverſus vindicem Romanæ libertatis in arma commotam, genteſq́ recens victas, ſed* (ita namq; lego) *adverſus jugum nuper impoſitum cervice dubia contumaces, redivivo furore, nefandis ſtimulis excitatas. quæ omnia, obſtinatam & immobilem Principis tandẽ vicere patientiam. Itaq́ quum in ipſo molimine oppreſſiſſet Alemanniam rebellantem, qui paulo antè inaudita regionũ, fluviorũ, montiũ nomina exercitu victore peragraverat, per ultima ferarũ gentium regna, calcata regũ capita ſupervolans, in medio Illyrici ſinus apparuit.* Quod autẽ dixit, *nefandis ſtimulis*, intelligit de Vadomario ad rebellionem incitato per Conſtantiũ. Idem Nazarius Nepotianũ & Sylvanũ Francũ Imperialis faſtigij invaſores ſub Conſtantio, negat *æſtate Alemannicũ pulverem, hyeme pruinam Thraciæ intectis verticibus perferre potuiſſe.* Hactenus de Juliani bellis adverſum Alemanos. Sub Valentiniano rurſum in Gallias acerrimã incurſionẽ

Alemanni fecere, cuius hæc fuit cauſa. Mos e-
rat id temporis apud Romanos principes, qua-
rumlibet gentium legatos muneribus certi va-
loris honorare. Miſerant tum, incertum cu-
jus rei gratia, ad comitatum Cæſaris legatos ſu-
os Alemanni, quibus minus datum eſt quàm a-
liâs exhiberi ſolebat. quare munera accepta
propter vilitatem coram Imperiali procura-
tore fruſtra ſuccenſente in terram abjecerunt,
durioribus etiam verbis expoſtulante cum illis
Urſatio Magiſtro officiorum. quæ res eos lon-
ge commotiores reddidit. Reverſi domum
contemptos ſe prædicant, & à Cæſareis mini-
ſtris contumelioſius acceptos. Dignaq; ea cau-
ſa viſa eſt quam bello ſtatim ulciſcerentur. I-
gitur Dagalaiphũ miſit contra Alemannos Va-
lentinianus, qui ingreſſus regionem illorũ pa-
rum hoſtes afflixit, copias ſuas cito reducere
coactus. Agebat tum Pariſijs Valentinianus,
& libenter Conſtantinopolim abiſſet propter
Procopium, qui in Oriente res novas molieba-
tur. Verum adeo Galli timebant Alemannos,
ut rogarent etiam nobiles miſſis legatis civita-
tes, ne ſe immanibus hoſtibus exponeret pro-
pugnatore carenteis. Itaq; precibus Gallorum
victus manere decrevit, plus ſemel publicè pro-
fatus, hoſtem ſuum fratrisq; ſolius eſſe Proco-
pium, Alemannos totius orbis Romani. Quæ

Ammiani locus.

verba mendoſiſſime leguntur apud Marcelli-
num, hoc modo, *Hoſtem ſuum fratresq; ſolum eſ-
ſe Procopium Alemãnico ſitu totius orbis Romani.*
Sic olim M. Aurelius Claudius prius Gothos
perſe-

perſequendos cenſuit Reipublicæ hoſtes, quàm Tyrannos qui ſoli Principi inſidientur. Adhuc urebat Alemannorum animos vetus illa contumelia, quam concoquere non poterant, ſimul incitabat novum damnum quod inferente Dagalaipho nuper perpeſſi erant. Proinde Galliam exercitu validiſſimo rurſum ingrediuntur. Sed hos aſſecutus Gratianus apud Argentuariam (tum oppidum, nunc vicum agro Colmarienſi finitimum, diſtat autem tribus miliarijs à Seleſtadio) magna ſtrage delevit, xxx. millibus profligatis. Cujus victoriæ triumphum in carmine Moſella Auſonius commemorat, ultra Nicrum fluvium Martianæ ſylvæ fugatos hoſtes canens, ut ſuprà citavimus. Poſt iſtam cladem acceptam aliquandiu ſe continuerunt. Pacatus tamen Panegyriſta ſcribit, Alemannos omnes in avias ſolitudines compulſos à Theodoſio, ut Alemannicus merito dici poſſit. intelligit autem receſſus Martiani nemoris. *Redactũ*, inquit, *ad paludes ſuas Scotum loquar, compulſus in ſolitudines avias omnis Alemannus, & uterque Maurus occurrent.* Claudianus ad Honorium de obſequio Alemannorũ, *Imploratq; tuum ſupplex Alemannia nomen.* *Argentuaria.*

Idem in laudibus Stiliconis Vandili,

Rheni calcator & Iſtri,
Oſtentare ſuos priſco ſi more labores,
Et gentes cuperet vulgo monſtrare ſubactas,
Certarent utroq; pares à cardine lauri,
Hæc Alemannorum ſpoliis, auſtralibus illa
Ditior exuvijs.

Scribit

Scribit Eutropius, ſub Valeriano & Gallieno Impp. Alemannos exhauſtis Galliis etiam in Italiam tranſiſſe. Idem accidiſſe reperio ſub Julio Val. Majoriano, qui Avito ſucceſſit. quo tempore ſpoliatis Gallis (quos *Romani* nomine Sidonius intelligit) per Alpeis & Cavinos Rhetiæ primæ campos prædando domum rediere. Sic enim eſt apud Sidonium.

Conſcenderat Alpeis,
Rhetorumq́; jugo per longa ſilentia ductus
Romano exierat populato trux Alemannus,
Perq́; Cavi dictos quondam de nomine campos,
In prædam centum novies demiſerat hoſtes.

Idem de Alemannorum incurſione ſub ingreſſum Attilæ in Galliam, facta in partem Germaniæ primæ & Sequanos, ad Avitum.

Ut primum ingeſti pondus ſuſcepit honoris,
Legas qui veniam poſcant Alemanne furoris.

Suevi pro Alemannis.

Ceterum antè quoque diximus, Suevorum nomine ſæpe ſignificari Alemannos, non apud Claudianum modo, ſed & apud hiſtoricos. Sic Marcellinus de Conſtantio Conſtantini Magni F. quem rumor Alemannorum in Rhetiā irrumpentium Romā coegit relinquere. *Cupiens itaq́;*, inquit, *anguſtiſſima omnium ſede morari diutius Imperator, ut otio puriore frueretur & voluptate, aſſiduis nuncijs terrebatur & certis, indicantibus Suevos Rhetias incurſare.* Paulus Diaconus in Mauritio: *Iſte*, inquit, *ex Suevorum, hoc eſt, Alemannorū gente oriundus, inter Lōgobardos creverat.* Cujus cauſa eſt, quòd inter collectam Alemannorum gentem complu-

res & præcipue Suevorum nationes eſſent. hæque ad Danubium vergebant, quæ ſe hodieque Suevos nominant. Eo verò loco veteres etiam autores ponunt Suevos. Accolarum Martianæ ſylvæ verſus Rhenum varians etiam inter ſe dialectus, veterum nationum diverſitatem arguit. Qui verò populi iſtos Alemannorum tractus olim incoluerint, in ſequentibus oſtendemus. Hoc poſtremo referendum, in charta itineraria illa quæ eſt apud Chunradum Peutingerum, trans Rhenum ſupra Tenedonem, Juliomagum, Brigobannem, & Aras Flavias, nemus eſſe depictum cum arboribus, & aſcriptum majuſculis literis.

S Y L V A M A R T I A N A

Et ſupra hæc verba

A L E M A N N I A

In latere vero è regione Borbetomagi & Brocomagi, ſuper additum

S V E V I A

Sed poſuit in latere pictor ille, quod trans ſylvam melius locaſſet, ni vetuiſſet anguſtia membranæ, & Germanica velut aliena duxiſſet modicè attingenda, provincias tantum deſcribens.

BURGUNDIONES IN ALEMANNIAM *& in Regionem quæ Capellatium ſive Palas dicitur.*

C. Plinius Burgundiones primi Germanorum generis, hoc eſt Vandalici facit, eos inter ultimos Septentrionis populos referens: ut

ut planè vetuſtius nomen arbitrer, quàm quod primum Cæſaris Tyberiique ætate natum ſit, à Burgis hoc eſt caſtellis limitum. quam opinionem ſecutus Oroſius, innumeros qui ſubſcriberent reperit. Agathias Græcus autor Burgundiones vocat, & Gotthici generis eſſe tradit, nimirum propter vicinitatem. Author eſt Mamertinus Panegyriſta, Burgundiones penitus à Gotthis exciſos, Alemannorum agros invitis illis proinde non citra ſanguinem occupaſſe, qui oppreſſis ante auxilio venire voluerint. Cæterum ignoraturi eramus, quemnam Alemanniæ tractum invaſiſſent Burgundiones, niſi Marcellinus hanc rem explicuiſſet. Is de Juliano Cæſare ſcribens, qui reges quoſdam Alemannorum caſtigaturus, nolentes Romanum Imperium agnoſcere, primum navigiis, deinde ponte prope Maguntiacum conſtructo, milites trans Rhenum miſerit, *Quum ventum*, inquit, *fuiſſet ad regionem, cui Capellatij vel Palas nomen eſt, ubi terminales lapides Romanorum & Burgundionum confinia diſtinguebant, caſtra ſunt poſita.* Quid hic faciunt lapides Romanorum, quum Alemannia provincia non fuerit, niſi quod Probus Cæſar partem quæ cis Nicrum fluvium eſt, aliquot annis obſequentem habuit. Lego, *ubi terminales lapides Alemannorum & Burgundionum confinia diſtinguebant.* Nam veri ſimile ſit, Alemannos quum advenas Burgundiones vi repellere non poſſent, quod tamen tentatum eſt, tandem, ubi inter eos conveniſſet, in ſua regione ſedes ponere permiſiſſe, ſed limitibus

Marcellini locus.

pus

bus diſtinctas. quæ res ad pacem populorum pertinebat. Obiter hinc animadvertere licet, principem Palatinum non à palatio Cæſaris, vel ædificiolo illo quod in Rheno oſtenditur, * nomenclaturam ſuam poſſidere, ſed vetuſtiſſimam à regione eſſe natam appellationem. Innuit Apollinaris Burgundiones Belgicam vexaſſe, hoc eſt (ut arbitror) Germaniam primam, quum canit ad Avitum. *Palatini Principes.* * *die Pfaltz bey Caub.*

Belgam, Burgundio quem trux
Preſſerat, abſolvis vinctum.

Inter populos Septentrionales, idem Burgundiones commemorat in eodem carmine, ſic ſcribens,

Gepida trux ſequitur, Scotum Burgundio cogit.

Et ad Julium Valerium Majorianum,

Bellonothus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites.

SAXONES IN LOCA SUEVORUM JUXTA *Albim, ſed prius in veterum Sicambrorum regionem proximè Francos.*

SAxonum non meminit Cornelius Tacitus, ſicut nec Francorum, quòd incelebres eſſent & obſcuri: meminit Ptolemæus (qui tamen antiquiorem chorographiam eſt ſecutus, quod multis colligitur argumentis) Accolasque maris Germanici partim fuiſſe docet, ſed potiſſimum inſulares. Recenſet enim *Saxonum inſulas.* Itaque Francis vicini fuere, eoſdem mores & inſtituta ſequentes. Piratæ Franci, quod ſupra docuimus, piratæ & Saxones. Traditum

enim

enim eſt in hiſtoriis, Carauſium quendam tractui Belgicę & Armoricæ tuẽdo prȩfuiſſe, quòd Franci & Saxones maritimas Galliarũ oras infeſtarent, Diocletiano principe. Piraticam Saxonũ ſævitiam vel ex eo animadvertere licet, quòd decimum quemque captorum mactare ſolebant piaculari quodam ſacrificio, priuſquã ſolverent in patriam redituri. Verum præſtat ipſius Apollinaris verba aſcribere; qui rem iſtã & piratarum Saxonum mores, ſuo quidem ſtilo graphicè depingit ad Nammatium. *Sed ecce,* inquit, *dum jam epiſtolam quæ diu garrit, claudere optarem, ſubitus à Santonis nuncius: cum quo dũ tui obtentu aliquid ſermocinãter extraximus, conſtanter aſſeveravit, nuper vos claſſicũ in claſſe cecini ſſe, atq; inter officia nunc nautæ modo militis, litoribus Oceani curvis inerrare contra Saxonum pandos mioparones, quorum quot remiges videris, toti dem te cernere putes archipiratas. ita ſimul omnes imperant, parent: docent, diſcunt latrocinari, ut nunc etiam ut quamplurimum caveas, cauſa ſubſit maxima monendi. Hoſtis eſt omni hoſte truculentior. Improviſus aggreditur, proviſus elabitur, ſpernit objectos, ſternit incautos: ſi ſequatur, intercipit, ſi fugiat, evadit. Ad hoc, exercent illum naufragia, non terrent. Eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non notitia ſolum, ſed familiaritas. Namq; ipſa ſi qua tempeſtas eſt, hinc ſecuros efficit occupandos, hinc proſpici vetat occupaturos. in medio fluctuum ſcopulorumq; confragoſorum, ſpe ſuperventus, læti periclitantur. Præterea priuſquam de continenti in patriam*

Piratica Saxonum.

patriam vela laxantes, hoſtico mordaces ancoras vado vellant, mos eſt remeaturis, decimum quemquè captorũ per æquales & cruciarias pœnas, plus ob hoc triſti quód ſuperſtitioſo ritu necare, ſubq́ collectam turbam periturorum, mortis iniquitate ſortis æquitatem diſpergere. Talibus ſe ligant votis (vulgò mẽdoſe legitur, *Talib. eligunt) victimis ſolvunt, & per huiuſmodi non tam ſacrificia purgati, quàm ſacrilegia polluti, religioſum putant cædis infauſtæ perpetratores, de capite captivo magis exigere tormenta quàm pretia. Quamobrẽ metuo multa, ſuſpicor varia.* Hactenus Sidonius. *Sidonii locus.*

Idem multo felicior in carmine, in Hendecaſyllabis ad Lampridium, ſic Saxonum meminit, de Burdegala loquens ubi Theoderici regis Gothorum regia erat, ipſe legatus,

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum antè ſalo, ſolum timere.

Rurſum in Panegyrico, quẽ in Aviti laudem ſcripſit, ait, dum primum Attila, deinde Franci & Alemanni, Germanias provincias everterent & Belgicam primam, populos Aremoricos timuiſſe Saxonum incurſionem: uſurpat autem *ſperare* pro timere,

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle ſalum ſulcare Britannum
Ludus & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Ubi obſervandum, Saxones coriaceis lintribus olim uſos. Atque hic venit mihi in mentem Aſcitarum Arabum, quibus (ut Solinus ſcribit) è re nata datum nomen. Nam bubulis utribus contabulatas crates ſuperponunt, vectatique *Coriatei lintres.*

hoc ratis genere, prætereuntes infeſtant ſagittis venenatis. De Saxonibus iterum Sidonius in eodem carmine,

Saxonis incurſus ceſſat, Chattoſq; paluſtri
Alligat Albis aqua.

Littus Saxonicum. Arbitror autem in Belgica extrema contra Britanniam Saxonicum littus à præſidio, quod illic perpetuò Cæſares poſteriores adverſum Saxones piratas habuerunt, denominatum. Cujus præfecturæ mentio fit in libro *De magiſtratibus Romanorum*. Pacatus Panegyriſtes Theodoſiū laudatâ debellatis Saxonibus *Attritam*, inquit, *pedeſtribus præliis Bataviam referam? Saxo conſumptus bellis navalibus offeretur.* Addit, Saxonicum dici potuiſſe, ſicut & Sarmaticum, & Alemannicum. Apud Claudianum Roma gratias Honorio refert,

Quantum te Principe poſſim,
Non longinqua docent, domito quòd Saxone Thetis
Mitior &c.

Porrò quum Saxones ſtimularet æmulatio, quippe qui viderent Francos Alemannosq; mutatis ſedibus, cottidianis Provinciarum prædis ditari, decreverunt & ipſi in Romanos fines incurſionem facere. ſed prævenit hoc Valentinianus, qui in Francorum finibus eos obtrivit, priuſquam Rhenum tranſirent, mirum ni volentibus adjuvantibuſque Francis, ut qui ſoli cuperent invadere Galliam abſque ſociis Saxonibus. Hoc eſt quod Paulus Diaconus refert: *Valentinianus*, inquit, *Saxones, gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atque a-*

que a-

que agilitate terribilem, in Romanos fines eruptionem meditantem, in Francorum finibus oppreſſit. Porrò Saxones ſic repulſi, vacuas Suevorum & aliarum nationum, quæ ſe Alemannis demigrantibus pridem conjunxerãt, ſedes ad Albim occupant, & ad Rhenum vergentem regionẽ, ubi hodie eſt Vueſtphalia proxime Francos, ex inſulis in continentem, & ex ora littorali in terras interiores effuſi. Poſtea quum ſub Valentiniano tertio poſt Ætii mortem Franci Belgicã utramque & Germaniam ſecundam ſui juris feciſſent, Saxones etiam partim Francorum & Chamavorum loca invaſerunt, ubi nunc ſunt Vueſtvali. Conſtare jam poteſt ex noſtra demõſtratione, ubi Franci, ubi Alemãni, & Saxones, ſedes ſuas poſt demigrationem habuerint. Quare facilimum nunc erit hoc præſidio D. Hieronymum intelligere, quum in Hilarionis vita ſic ſcribit; *Inter Saxones*, inquit, *& Alemannos gẽs non tam lata quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc vero Francia vocatur.* Nam ætate divi Hieronymi gentes iſtæ ſuas mutarãt ſedes, ceu nos expoſuimus, ſed nondum Rhenum tranſierant ſui juris facta Gallia (de Francis loquor & Alemannis) toties Ætio repellente. Sed tamẽ quod cœperãt Hieronymo jã ſene, paulo poſt mortem ejus abunde ſunt conſecutæ. Itaq; erant Franci ad Rhenum & Mœnum, ad Albim à tergo Saxones, ultra Mœnum Alemanni, quare rectè Francos locavit inter Saxones & Alemannos. Animadvertendum etiam, tres iſtos populos fermè cunctas Germanorum nationes

D. Hieronymi locus.

in ſe comprehendiſſe. Nam Alemannis Suevi Cheruſci,Chatti: Frācis Chauci Chamaviq́;, ſimilesq́; populi immixti erant. Odoacrum Saxonem, quem Hildericus Francorum rex Merovei F. Aureliam uſque perſecutus eſt, inſignem piratam fuiſſe cōjicio. Vunnefridus Anglus (cui poſtea Romæ Bonifacii nomen obtigit, Latinū pro Barbarico) ſcribit in epiſtola ad Edoaldum Anglorum Principem, in antiqua Saxonia, ubi nulla ſit Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo ſtuprata, vel matrona fuerit adulterio polluta, ſtrangulatam illam cremari, & ſupra ſepulchri foveam ſuſpendi violatorem aut cingulotenus veſtibus reciſis flagellari, caſtis matronis oppidatim pungentibus donec interimant. Appellat autem hic *antiquam Saxoniam* quæ in Germania ſita eſt, velut Anglica Saxonia nova ſit. Porrò Saxones Francis cōfines fuiſſe Marcellinus autor eſt libro vigeſimoſeptimo: Gallicanos vero tractus Franci & Saxones iidem confines, quò quiſque erumpere potuit, terram vel mare prædis acerbis, incendiisque & captivorum funeribus omnium violabant.

Saxones Francis confines

Toringi et Misni in Cheruscos.

Bona pars Cheruſcorum cum Alemannis diſceſſerat. Itaque in horum ſedes Toringi & Miſni immigrarunt, populi Septentrionalis illius Germaniæ. Sanè Toringorum Apollinaris meminit inter gentes quæ ſunt Attilam ſecutæ, *Chunnus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Toringus.* Equos Toringos commendat Vegetius in opere

Equi Thuringi.

De medi-

De medicina veterinaria, Scribit enim equos tribus uſibus eſſe neceſſarios, prælijs videlicet, circo, & ſellis, id eſt vectioni. Atque equorum Hunnicorum primam utilitatem eſſe ad bellũ, propter patientiam laboris. Toringos & Burgundiones equos ad bellum aptos ob injuriarũ tolerantiam: tertio loco Phryges commendari, non minus velocitate quàm continuatione curſus invictos. quos ipse *Frigiſcos*, appellat. Unde appareat fuiſſe eos, dum in avitis ſedibus degerent, Conſtantinopoli notiores, ubi Vegetius librum illum conſcripſit quantum conjicio. Proinde quod apud Paulum Diaconum legitur de populis Attilæ ſubjectis, *Fortiſſimæ nihilominus gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi, præterea, Heruli, Turcilingi ſive Tungri.* Scribo, *ſive Turingi.* Nam pro Turingis doctus quiſpiã, cui nomen gentis notum non erat, ſuppoſuit, *ſive Tungri.* Horum enim crebrior fit in hiſtoriis præſertim Romanis mentio. Reperio Toringos Longobardis fuiſſe vicinos & affineis. Theodoricus Gotthorum rex ſororis ſuæ neptem Amalbergam Hermenfrido Toringorum regi in matrimonium collocavit, huius gentis amicitiam expetens. Extant in variis Caſſiodori ſcriptæ ad Hermenfredum epiſtolæ nomine Theodorici Vuiſogotthorum principis. Huc adde, quod Franci tametſi feliciſſimi ſemper bellatores, multũ tamen ſudoris exhauſerunt in ſubjugandis Toringis, dum neminem in conſortium regni Galliarũ admittere volunt. Unde colligere licet Toringorũ præſtantiam. Tradunt annales Francorum, Hildericum patrem

P. Diaconi locus.

in ſe comprehendiſſe. Nam Alemannis Suevi, Cheruſci, Chatti: Frãcis Chauci Chamaviq́;, ſimilesq́; populi immixti erant. Odoacrum Saxonem, quem Hildericus Francorum rex Merovei F. Aureliam uſque perſecutus eſt, inſignem piratam fuiſſe cõjicio. Vunnefridus Anglus (cui poſtea Romæ Bonifacii nomen obtigit, Latinũ pro Barbarico) ſcribit in epiſtola ad Edoaldum Anglorum Principem, in antiqua Saxonia, ubi nulla ſit Chriſti cognitio, ſi virgo in paterna domo ſtuprata, vel matrona fuerit adulterio polluta, ſtrangulatam illam cremari, & ſupra ſepulchri foveam ſuſpendi violatorem aut cingulotenus veſtibus reciſis flagellari, caſtis matronis oppidatim pungentibus donec interimant. Appellat autem hic *antiquam Saxoniam* quæ in Germania ſita eſt, velut Anglica Saxonia nova ſit. Porrò Saxones Francis cõfines fuiſſe Marcellinus autor eſt libro vigeſimoſeptimo: Gallicanos vero tractus Franci & Saxones iidem confines, quò quiſque erumpere potuit, terram vel mare prædis acerbis, incendiisque & captivorum funeribus omnium violabant.

Saxones Francis confines

TORINGI ET MISNI IN CHERUSCOS.

BOna pars Cheruſcorum cum Alemannis diſceſſerat. Itaque in horum ſedes Toringi & Miſni immigrarunt, populi Septentrionalis illius Germaniæ. Sanè Toringorum Apollinaris meminit inter gentes quæ ſunt Attilam ſecutæ, *Chunus, Bellonotus, Neurus, Baſtarna, Toringus*. Equos Toringos commendat Vegetius in opere

Equi Thuringi.

De medi-

De medicina veterinaria, Scribit enim equos tribus uſibus eſſe neceſſarios, prælis videlicet, circo, & ſellis, id eſt vectioni. Atque equorum Hunnicorum primam utilitatem eſſe ad bellũ, propter patientiam laboris. Toringos & Burgundiones equos ad bellum aptos ob injuriarũ tolerantiam: tertio loco Phryges commendari, non minus velocitate quàm continuatione curſus invictos. quos ipſe *Frigiſcos*, appellat. Unde appareat fuiſſe eos, dum in avitis ſedibus degerent, Conſtantinopoli notiores, ubi Vegetius librum illum conſcripſit quantum conjicio. Proinde quod apud Paúlum Diaconum legitur de populis Attilæ ſubjectis, *Fortiſſimæ nihilominus gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi, præterea, Heruli, Turcilingi ſive Tungri.* Scribo, *ſive Turingi.* Nam pro Turingis doctus quiſpiã, cui nomen gentis notum non erat, ſuppoſuit, *ſive Tungri.* Horum enim crebrior fit in hiſtoriis præſertim Romanis mentio. Reperio Toringos Longobardis fuiſſe vicinos & affineis. Theudoricus Gotthorum rex ſororis ſuæ neptem Amalbergam Hermenfrido Toringorum regi in matrimonium collocavit, huius gentis amicitiam expetens. Extant in variis Caſſiodori ſcriptæ ad Hermenfredum epiſtolæ nomine Theodorici Vuiſogotthorum principis. Huc adde, quod Franci tametſi feliciſſimi ſemper bellatores, multũ tamen ſudoris exhauſerunt in ſubjugandis Toringis, dum neminem in conſortium regni Galliarũ admittere volunt. Unde colligere licet Toringorũ præſtantiam. Tradunt Annales Francorum, Hildericum patrem

P. Diacon. locus.

Lutuuichi (quem Gallia Clodoveum appellat) quum à ſuis proſcriptus eſſet, apud Biſſinũ Toringorum regem exulaſſe. Quæ res veterem Toringorum ac Francorum amicitiã teſtatur. Hermenfridus nobiliſſimus Princeps victus ad flumẽ quod Oneſtrut vocant, deinde ad colloquiũ amicum vocatus, Tolbiaci prope Coloniã Agrippinã de muro præcipitatus eſt à Theodorico Hildeberti Francorum regis fratre. Porrò Miſnos veriſimile eſt etiam à Septentrione veniſſe.

HESSI IN CATTHOS.

ARbitror advenam Heſſorum nationem ex ulteriore Germania partim Catthorum veterum ſedes occupaſſe, qui vel bellis erant abſumpti, vel cum Alanis in Hiſpaniam, cum Alemannis in Martianam ſylvam, conceſſerant. Nam Catthos Meliboci montis accolas remanſiſſe, reliquias gentis, nomen nobis argumento eſt, Siquidem pro Cattmelibocis, hoc eſt Catthis Melibocis vernacula ſimplicitas *Catzenelenbogios* hodie eos vocat, ridicula ſane appellatione, ſi ad Germanicam etymologiam trahatur, ſignificat enim cubitum felis: Subinde verò contingit ut g. pro c. uſurpetur. Debet nobis gratiã Catthorum Melibocorũ natio, quòd nomen ſuum poſtliminiò mea induſtria receperit, Meliboci montis meminit Ptolomæus. Et eſt nunc facile videre ubi ſit: quando Catthorum Melibocenſium ditio nemini ignota. Dii boni ſi docti viri in hanc partem incumberent,

Catthi Meliboci.

rent, quantum lucis afferri poſſet rebus antiquis? Hoc vere eſſet illuſtrare Germaniam.

SLESII IN QUADOS.

INdubium eſt hanc gentem alicunde ex remotiore Aquilonaris Germaniæ parte emerſiſſe, & Quadorum interiora partim loca tenere. Equidem Quados adhuc Danubii ripæ prætexi contra Vindobonam (quam truncato vocabulo Viennam appellamus,) à vero non abhorret, & ex hiis quæ pòſt dicturi ſumus, magis liquebit, tametſi nomen obſoluerit. *Vienna.*

PRUSSII, POMERANI, ET LIVONII IN *loca Burgundionum, Toringorum, Miſnorum & Heſſorum.*

SIcut in amnibus, aquis aquæ perpetuò ſuccedunt, ita aliò digreſſarum gentium agri vacui ſemper novos cultores invenere. Mirè fœcunda populorum parens Aquilonaris Germaniæ regio. Maris Germanici inſulæ ut innumeræ ſunt, ita populoſiſſimæ. Ex illis igitur ultimis tractibus, Pruſſii, quos quidam Pruthenos & Boruſſios vocant: & Livonii, quorundam Vandalorum, Burgundionum, Toringorum, Miſnorum, Heſſorumque vacuis terris ſeſe ſuperfudere.

DANI IN CIMBRICAM CHER-*ſoneſum.*

DAnos ex inſulis Oceani Germanici in Cimbrorum veterum ſedes advenisse ſatis conſtat. Ab hiis Normanni ſunt progreſſi,

nobiles illi terra marique Galliarum vaſtatores, ſed exceptis Hungaris recentiſſimi. Danorum exercitum fineis Mediomatricorum populantem, delevit Theodebertus Theoderici regis F.

GERMANORUM COLLABENTIBUS rebus Romanis, in provincias immigrationes.

GOTTHI IN ITALIAM, ET mox in Galliam.

Gotthi multis annis Romanorum provincias Mœſiam Thraciamque vexavere, priuſquam in Italiam proficiſcerentur. Id factū Honorio demum Principe, dum Stilico Vandilus totum ferè Imperium adminiſtrans, Gotthis quos ſibi devinçire parabat, nihil non permittit, Eucherio filio faſces Imperiales vendicaturus. Poſt Radagaiſi copias deletas, ipſum ducem captum, ſupervenit Alaricus, agros ab Honorio petens, in quibus cum gente ſua domicilium figeret. Datæ ſunt Galliæ. Euntes eos, nec inſidias veritos, adortus Saulus quidam Honorii præfectus, bonam eorum partem ſua ſponte cedentem profligavit. nam religio Gotthis, ut puta Chriſtianis, erat arma tractare eo die qui Reſurrectioni ſervatoris noſtri dicatus erat. Sed quum acceptum damnum eos commoveret, ſumptis armis Saulum in fugam vertunt, & ex amicis jam hoſtes facti, ferro & igni vaſtant omnia. Romam contendunt: Urbem capiunt diripiuntque. Deinde Campaniam Brutiumq;

depopu-

depopulantur. Tum demum tempus fuit, ut Barbaris fides ſervaretur. Igitur Valliæ Gotthorum regi, qui Alarico Conſentiæ extincto ſuffectus erat, Aquitaniam Galliæ provinciam cum aliquot vicinis civitatibus habitandam Honorius concedit. Unde Gotthiæ regnum in Gallia à Gotthis conſtitutum, ſicut & à Francis, Franciæ. *Gotthia regnum.* Meminit Gotthiæ Sidonius ad Baſilium Epiſcopum, fortem eam appellans. *Agite,* inquit, *quatenus hæc ſit amicitiæ concordia principalis, ut Epiſcopali ordinatione præmiſſa, populos Galliarum quòs limes Gotthiæ fortis incluſerit, teneamus ex fide, etſi non tenemus ex fœdere.* Erat autem Sidonius, patre, avo, proavo & ſocero præfectoriis viris clarus, priuſquam Chriſto nomen daret. Judicis functus officio, tum Arvernorum epiſcopus, quod oppidum adhuc Romanis erat ſubjectum. De quo populo ſic ad Græcum epiſcopum ſcribit, *Arverni,* inquit, *ij ſunt qui viribus proprijs hoſtium publicorum arma remorati ſunt. Cui ſæpe populo Gotthus non fuit clauſo intra mœnia formidini, quum viciſſim ipſe fieret oppugnatoribus poſitis intra caſtra terrori.* Idem ad Agretium Senonenſem præſulem ait, de urbibus Aquitaniæ primæ ſolum oppidum Arvernum Romanis reliquum partibus bella feciſſe. Idem ad Tonantium Ferreolum præfectum prætorio Galliarum ſub Valentiniano tertio, ceu ſuſpicor, *Prætermiſit,* inquit, *regem Gotthiæ ferociſſimum, inflexum affatu tuo mellito, gravi, arguto, inuſitato, & ab Arelatenſium portis quem virtus non potuiſſet prælio, te prandio re-*

moviſſe. Deſcribit ad Avitum in panegyrico carmine Gotthiam, hiis verſiculis.

Gotthica Gallia deſcriptio

Iamq́ ad populos & rura feroci
Tenta Getæ, protendit iter, quâ pulſus ab æſtu
In flumen currente mari. tranſcendit amarus
Blanda fluenta latex. fluviiq́ impacta per alveũ
Salſa peregrinum ſibi navigat unda profundum.

Gotthiæ civitates alio loco receſet, Burdegalam, Petrogorios, Rutenos, Lemovices, Gabalitanos, Heluſanos, Vaſates, Convenas, Auſenſeis. Nec tamen (ut hominibus propagandæ ſemper ditionis eſt inſita à natura cupiditas) præſcriptis ab Imperatore limitibus erant contenti Gotthi, quin proximas terras invaderent.

Panegyriſtæ locus

Ad Avitum, *Vel Gotthis*, inquit, *credito, qui ſæpenumero etiam Septimaniam ſuam faſtidiunt, vel renuunt* (ſic enim lego) *modò invidioſi huius anguli deſolata proprietate potiantur. Sed fas eſt, præſule deo, vobis inter eos & Rempublicam mediis, animo quietiora concipere. Quia etſi illi veterum finium limitibus effractis, omni vel virtute vel mole, poſſeſſionis turbidæ metas in Rhodanum Ligerimq́ proterminant: veſtra tamen autoritas pro dignitate ſententiæ ſic partem utramq́ moderabitur, ut & noſtra diſcat quid debeat negare quũ petitur, & poſcere adverſa deſinat quum negatur.* Rurſum ad Mamercum Claudianum Viennenſem epiſcopum: *Rumor eſt*, inquit *Gotthos in Romanum ſolum caſtra moviſſe. Huic ſemper irruptioni nos miſeri Arverni janua ſumus. Namq́ odiis inimicorum hinc peculiaria fomenta, quia nec dum terminos ſuos ab Oceano in Rhodanum*

Ligeris

Ligeris alveo limitaverunt, ſolam ſub ope Chriſti moram de noſtro tantum obice patiuntur. Circūjectarum verò ſpacia tractumq; regionum jampridem regni minacis importuna devoravit impreſſio. Non ſiluit hoc Paulus Diaconus, *Interea Gotthi*, inquit, *pacis placita perturbant, & pleraq; municipia vicina ſuis ſedib. occupant.* De hac re Sidonius in Panegyrico Aviti,

In Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum, nec erat pugnare neceſſe,
Sed migrare Gethis.

Porrò Vuiſigotthi iſti erant, hoc eſt Occidētales Gotthi, quod hodie Germani dicerent Vueſtigotthi, à *Vueſt* vento. Oſtrogotthorum enim regnum fuit in Italia. Hinc Apollinaris Veſos eos appellat in Panegyrico carmine de laudibus Aviti, *Vuiſigotthi.* *Oſtrogotthi.*

Hic jam diſpoſito laxantes frena duello
Veſorum proceres.

Idem in Panegyrico Majoriani

Bellonotus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites.

Theodoricum Vuiſigotthorum regem idem commendat in Encomio Narbonenſis oppidi, quod à Gotthis diu fuit obſeſſum oppugnatumque.

Hinc te Martius ille rector, atq;
Magno patre prior, decus Getharum,
Romanæ columen ſalusq; gentis
Theodoricus, amat, ſibiq; fidum
Adverſos probat ante per tumultus.

In Panegyrico ad Avitum quem modo citavimus, Theodoricus fatetur Avito ſe debere, quòd

quòd literis adoleſcens ſit adhibitus,

Mihi Romula dudum
Per te jura placent, parvumq́; ediſcere juſſit
Ad tua verba pater, docili quo priſca Maronis
Carmine leniret Scythico mihi pagina mores.

Sic enim lego.

Extat huius autoris epiſtola ad Agricolam de moribus & ſtatura Theodorici regis Viſigothorum. Hæc gens è Gallia tandem in Hiſpaniã conceſſit. De Gotthis ſcripſere Procopius, Ablabius & Jornandes.

BURGUNDIONES IN SEQUANORUM *et Heduorum provinciam, ac tractum Aventicenſem.*

SUb Theodoſio Arcadii filio, quem Juniorẽ vocant, Burgundiones primi in Sequanos & Heduos è Germania tranſgreſſi ſunt. Nam hos propemodùm extruſerunt Alemanni, qui ſuos agros in quibus illi violenter cõſederant in Capellatio (hodie Palatini Comitis ditio eſt circa Heidelbergam) aſſidue repetebant, quemadmodum ſcribit Mamertinus. Cæterum Nuithones quorum Tacitus meminit, arbitror prius in Germaniam, deinde in Maximam Sequanorum unà cum Burgundionibus tranſcendiſſe, à quibus tractus Aventicenſis appellatur hodie *Nuithlandia*. Sed & eadem regiuncula Burgũdiæ nomen habet, ut appareat Nuithones partẽ fuiſſe Burgundionum. illis namque ſe conjunxerant. Porrò Burgundiones occupatis novis ſedibus inſoleſcentes, & vicinas civitates cottidianis excurſionibus vexantes, Aëtius aggreſſus eſt, &

Nuithones.

eſt, & profligatis eorum copiis, Regeque Gundirano capto, pacem cum illis firmavit. Quāobrem auxilio venere Ætio cū Gotthis adverſum Hunnos in Catalaunicis campis pugnaturo. Multo maximum vero fuit olim huius gentis in Galliis imperium. Nam & partem vallis Pœninæ Sedunosque & quam Sabaudiam vocant, præterea Lugdunum & Viennam & alias item civitates Burgundia complectebatur. Nec *Burgundia* Gotthis conveniebat cū Burgundionibus quorū erat potentia ſuſpecta. Unde perpetui materia belli. Significat hoc ſatis Apollinaris ad Felicē, de Arvernis loquens. *Oppidum ſiquidem noſtrū,* inquit, *quaſi quendam ſui limitis oppoſiti obicem circumfuſarum nobis gentium arma terrificant. Sic æmulorum ſibi in medio poſiti populorum lachrymabilis præda ſuſpecti Burgundionibus, proximi Gotthis, nec impugnantum ira, nec propugnantum caremus invidia.* Idem ad Vincentiū de Arvando Præfectorio læſæ majeſtatis reo, literas interceptas fuiſſe ſcribit, quibus ille Theodorico Gotthorum regi ſuadebat, cum Burgundionibus jure gentiū Gallias dividi debere. Quæ res declarat potentiam Burgundionum. At poſtquam & Franci in Galliam tranſiere, & devictis Alemannis Romanos undique è civitatib. quas adhuc tenebant, ejecerunt, non deſtiterunt cum Burgundionibus belligerari multis ſeculis, donec vires eorum imminuerent, ut ſuccreſcit Francorum felicitas. Proximis ſeculis ducatus eſſe cœpit, olim regnum. Nec poſſunt ipſi Franci negare Burgundionum potentiam, cum quibus tamen æternum diſcordant, ut de

Catthis & Cheruſcis ſcripſit Tacitus. Nam in annalibus Frãcorum hæc verba leguntur: *Burgundiones ſequenti tempore, Sequanos, Allobroges, provinciamq́; partim Narbonenſem & Lugdunum occupavere. Arelate ſiquidem atq; Aureliæ regni ſui ſedem aliquando poſuerunt. Nam Otho quartus Germanus Imperator ſe Arelatenſem regem appellavit, & poßedit.* Hæc illic.

FRANCI IN GERMANIAM SECUN-
dam & utrinſq; Belgicæ partem.

SIdonius Apollinaris aſtruit, Francos Germaniam primam Belgicamque ſecundam id temporis vaſtaſſe, dum Attila rex Hunnorum cum Gotthis pugnaturus in Galliam interiorem proficiſcitur. Ejus verſiculi hi ſunt in Panegyrico Aviti,

Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos ſe Belga tuos. Deinde de Francis,
Francus Germanum primum Belgamq; ſecundũ
Sternebat. Id ſic accidiſſe arbitror. Attila habebat in animo ſubvertere totum Romanum imperium, adjutoribus Gotthis qui in Gallia habitabant. Sed hoc præſenſit Ætius unicum columen rerum Romanarum. Itaque miſit Avitum ad Gotthos, ſuaſurum ut Hunnis reſiſtant. Hoc enim Attilæ eſſe conſilium ut inprimis Romanorum vires exſcindantur, ſed non quieturum, niſi paulo poſt & Gotthos ipſos penitus obterat. De monarchia namque cogitare Attilam. Gotthus hiis auditis auxilium Ætio pollicetur. Dum hæ aguntur, & legatos ſuos ad tentandum Gotthum miſſos opperitur Attila, ſi-

Attila expeditio.

ille ſimul animaturus eos quorum ſocietatem ambiebat, & territurus Romanos, Belgicam Galliam miſerè devaſtat, hoc eſt, Germanias provincias primam & ſecundam, & Belgicam primam, quas præcipuè maxima crudelitate populatus eſt. Nam non fruſtra Attilam *Rheni bibentem* appellat Sidonius in Epiſtola ad Tonantium Ferreolum. Dixi præcipuè, quòd non ignorem urbem Aurelianenſem ab eodem obſeſſam, oppugnatam, irruptam, nec direptam, ut ad Proſperum idem autor ſcribit. Utinam vero nobis abſolviſſet Attilæ bellum Sidonius; quod inchoarat ſcribere. Potuiſſet enim exactè omnia tradere, multarum rerum non tantum auritus ſed etiam oculatus teſtis. Deinde poſt Attilam in interiorem Galliam digreſſum, quicquid ſupererat quod ille nō perdidiſſet, in proximis Rheno provinciis, hoc eſt in Germania prima atque ſecunda, & Maxima Sequanorum, Franci & Alemanni Hunnum ſtatim ſubſecuti prorſus everterunt. Nihilominus tota vaſtatio, populatori Attilę aſcribitur. Tū Colonia Agrippina, Tungrorū oppidū, Noveſium, Utriceſiū, Caſtra Herculis, Vetera, Aſciburgium, Noviomagus, Antonnacum, Bingium, Magonciacū, Borbetomagus, Sebuſium, Saletio, Brocomagus, Argentoratum, Elcebus, Argentuaria, Augusta Rauricorum, Vindoniſſa, Forum Tyberii, Viturdurum, Aventicum, & multa alia oppida funditus deſtructa ſunt. Non diu poſt Ætius auxiliantibus Gotthis profligavit Attilam apud Catalaunos. Et eſt veriſimile ſic afflictum Hunnum ſu-

num ſu-

nuni ſugientemque non multum temporis in provinciis Romanis quæ ad Rhenum erant, fuiſſe moratum, hoſtium inſequentium timore, ſed curſim etiam alias terras tranſiſſe, dum redit in Pannoniam. Francis tametſi provincias nuper depopulati forent, nihilominus Ætius veniam dedit, & illorum auxiliis contra Hunnũ uſus eſt. Nã cogebat extrema neceſſitas ad multa connivere. Et incuſſerat etiam Barbaris timorem Attila, prævidentibus futurum ut victoriæ compoti nemo non ſervire adigeretur. Accepta vigilantiſſimi Galliarũ tutoris Ætii morte, qui toties Barbaros repreſſit, alia mercede dignus quàm ut à Valentiniano huius nominis tertio immeritò occideretur, Franci (quod felix eſſet ac fauſtum) tranſito Rheno Germaniã ſecundam cum utriuſque Belgicæ parte primũ occupant, nunquam amplius ceſſuri. Nam ita poſt Valentinianum labare cœpit in Occidente Romani Imperii majeſtas, ut paulo pòſt ſub Auguſtulo, Odoacre Herulo perturbante, tota concideret. Quod ſi Franci præſciſſent, ſtatim ſe Gallicarum aliquot provinciarum dominos futuros, mitius cum Germania ſecunda & Belgica prima fuiſſet actum: & ſtarent adhuc eximia Romanorum in provinciis opera, quorum hodie ne tantillum quidem ſupereſt, quando omnia à fundamentis everſa ſunt à Francis & Alemannis, reditum Romanorum metuentibus, quod antè erant ſæpe experti. Igitur Franci Germania ſecunda, & prima Belgica cum parte ſecundæ feliciter potiti, paulatim interiores

Galliæ

Galliæ civitates ſubjugant. Nam inſigniores urbes adhuc à præfectis Romanis tenebantur, ut Sueſſio à Gillone & mox à Syagrio, Aurelia à Paulo, ab aliis aliæ. Sicque mira felicitate regnum ſuum Franci indies propagabant. Vix enim integræ Romanorum vires ſuffeciſſent ad reſiſtendum Burgundionibus antè tranſgreſſis, tum Francis iſtis, & qui ſub idem tempus habitaturi tranſierant Alemannis (quemadmodum mox oſtendemus) ut nihil dicam de Vuiſigotthis, qui nec ipſi quieſcebant. Cum Burgundionibus multis ſeculis contendere Franci de finibus. Alemannos ad Tolbiacum vicum in Ubiis ſuperarunt, propagatis ad Pœninam uſque vallem Franciæ limitibus, quantum ad ditionẽ attinebat. Nam Alemanni qui Germaniam primam, Elcebenſem tractum & Maximam Sequanorũ occuparant, in jus & nomen Francorum cõceſſere: quemadmodũ mox de Alemãnis dicturi latius cõmemorabimus. Enimverò Germania ſecunda & utriuſq; Belgicæ, pars ubi cõſedere Franci cum uxoribus & liberis, appellata eſt *Francia Teutonica*; quod Franci Teutones eſſent, hoc eſt Germani, Teutoniceque loquerentur. Idem nomen Germaniam primam poſtea complecti cœpit. Unde legimus Spiram inter oppida Franciæ numeratam, intellige Teutonicæ ſive Germanicæ. Unde & in hac Francia præcipuas ſedes habuerunt priſci Francorum reges omnes; & Carolus ipſe Magnus ac huius nepotes. Declarant hoc regia ædificia, Aquenſe Palatium, Ingelheimũ

Francia Teutonica.

prope Magonciacum. Præterea Kircheimum inter Scleſtadium & Argentoratum verſus Voſagum. Rufacũ ſuprà Colmariã. Nam (ut modo diximus,) poſt victoriam Tolbiacenſem quicquid provinciarum Gallicarum occuparant Alemanni, totum id in jus Francorum trãſierat. Interior vero Gallia cujus dominium indies auctum eſt, *Francia Romana* dicebatur, quòd homines Romanè ibi loquerentur, hoc eſt Gallicè. Hæc vocabula reperimus apud Luitprandum Ticinenſem, qui ſub Othone primo ſcripſit. Teutonica Francia Auſtraſiæ quoque nomen habuit. quod vocabulum Gallicani ſcribæ effinxerunt, quum à Francis ipſis dubio procul *Oſtrich* vocaretur, id eſt, Orientale regnum. Sicut & Francia Romana, hoc eſt Gallica, *Vueſtrich* dicebatur, id eſt, Occidentale regnum. Pro Vueſtria neſcio an Galli Neuſtriam uſurparint: à ventis hæc nomina ſunt deducta. Nemo verò miretur quod dixi, Alemanniam novam & Ciſrhenanam in nomen & jus Franciæ Germanicæ ceſſiſſe, quando poſt ſubjugatos Bojeros & Saxones Francia Germanica totum regnum Germanicum complecti cœpit, quod hodie Romanum Imperium appellatur, propter titulum quem Germanorum reges habent. De Francis & Alemannis accipiendum quod D. Hieronymus ſcribit, quum inquit, *Remorum urbs prapotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam.* Sanè per hoc quod dicit, *translati in Germaniã*

Fr. Romana.

Auſtraſia.

Neuſtria.

oſtendit in hiis locis domicilium gentes iſtas fixiſſe. Poſtremæ duæ civitates ab Alemannis occupatæ ſunt, priores omnès à Francis. Sed tamen Ætius illos ſemel atque iterum repulit. Verum paulò poſt mortem D. Hieronymi ſolidam provinciarum poſſeſſionem adepti ſunt, trucidato per Valentinianum Ætio, quemadmodum ſuprà docuimus. Porrò nemo putet à Romanis non tentatum, ut Francos è Galliis exturbarent, ſed deerant juſtæ vires. Majoranus certè qui poſt Avitum Imperio præfuit, adortus eſt cum patre ſuo Francos, apud vicum Helenam in Attrebatibus, nuptiale convivium agitanteis, & quia nec opinato ſuper illos irruerat, in fugam vertit omneis. Quam rem Sidonius in Panegyrico Majoriani hiis verſibus celebrat,

-Poſt tempore parvo
Pugnaſtis pariter Francis, quâ Cloio patentes
Attrebatum terras pervaſerat. Hinc coeuntes
Claudebant anguſta vias, arcuq; ſubactum
Vicum Helenã flumenq; ſimul ſub tramite longo,
Arcu ſuppoſitis trabibus transmiſerat agger.
Illic te poſito, pugnabat ponte ſub ipſo
Majoranus eques. Fors ripæ colle propinquo
Barbaricus reſonabat hymen, Scythicisq; choreis
Nubebat flavo ſimilis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibẽt, ſtravit. Crepitabat ad ictus
Caſſis, & appoſitis haſtarum verbera thorax
Arcebat ſquamis, donec converſa fugatus
Hoſtis terga dedit. Plauſtris rutilare videres

Barbarici vaga feſta thori, conjectaq́; paſſim
Fercula capturisq́; dapes, cirrosq́; madentes
Ferre coronatos redolentia ſerta lebetas.
Ilicet increſcit Mavors, thalamiq́; refringit
Plus ardens Bellona faces. Rapit eſſeda victor
Nubentemq́; nurum.

Quæ de Francis prodit Agathias, de illis ſunt accipienda poſt iſtam in Gallias immigrationē, & Alemannis jam ſubjugatis.

ALEMANNI TRANS RHENUM IN GERmaniam *Primam & partem Maximæ Sequanorum, hoc eſt, Helvetiorum & Rauricorum, ac in ſuperiores ad Rhenum agros ac Turgaviam vallemq́; Pœninam, & trans Danubium in Rhetiam primam.*

NEc Alemanni cunctātur, poſteriores minimè laturi ubi de Imperio Galliarum dividendo ageretur. Mors Ætij certam & duraturam provinciarum poſſeſſionem ſpondebat. Igitur ruinas urbium verius quàm urbes, quas ſæpe ſuis ipſi manibus, ſed poſt Attilam funditus exciderant, occupare pergunt. Tranſgreſſi Rhenū Germaniam primam invadūt, & Maximę Sequanorū partem uſq; ad Burgundiones, qui prius tranſcenderant: item ſuperiores ad Rhenū agros, & Turgaviam, ac vallem Pœninam, quam Valeſiam vulgus nominat. Trans Danubium vero latiſſimam illam Rhetiam primam, & hanc antè ſæpe tentatam nunc tandē ſibi vendicant. Nunquā florentiores fuere Alemannorū res quàm eo tempore, tam latè prolatis di-

tis ditionis ſuæ pomerijs. Invidit Alemannis fortuna. Dum cogitant de ſumma rerũ & exigendis è novo Galliarum regno Francis, cum quibus ut adamatæ Galliæ rivalibus convenire non poterãt, inauſpicatã pugnam cum Francis apud Tolbiacũ in Ubiis (quæ jam Francia Germanica erat) commiſerunt. Victi illic Ludovico Francis imperante, partim ſervitute damnati ſunt, cuius adhuc occurrunt veſtigia. Alemannia Ciſrhenana in jus & nomen Franciæ Germanicæ conceſſit. Quum rem alibi proſequemur. De vaſtatione provinciarum ſub adventum Attilæ per Alemannos facta, ſic Sidonius,

Rhenumq; ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & utroq; ſuperbus in agro
Vel civis vel victor eras.

Sic enim lego, non, *vel cunnus*. Per hoc autem quod dicit, *Romanis ripis bibiſſe*, ſignificat fuiſſe tranſgreſſum in Galliam, cujus ripæ erant Romanæ, quoniã provincia Romanis parebat. Proinde in Rheno Gallica ripa modo *Romana* vocatur, modo *noſtra*, à ſcriptoribus Italis, modo *ſiniſtra*: ſicut contraria ripa, *hoſtilis* appellatur, & *Barbara*, ac *dextra*. Claudianus, *Sidonii locus*,

geminasq; viator
Quum videat ripas, quæ ſit Romana requirat.

Idem de Honorio,

Et hoſtileis, tanta eſt fiducia, ripas
Incomitatus adit.

Idem ad Manlium Theodorum,

O quoties doluit Rhenus, quâ Barbarus ibat,
Quòd te non geminis frueretur Judice ripis,

In Danubio dextra ripa Romana erat, ſiniſtra Barbarica. Sic de Juliano Cæſare per Danubium navigante Mamertinus: *Proh ſancta divinitas, quæ navigationis illius fuit pompa, quum dexteriorem inclyti fluminis ripam, utriuſq; ſexus, omnium ordinum, armatorum atq; inermiũ perpetuus ordo prætexeret, Deſpiceretur ad lævã in miſerabileis preces genu nixa Barbaria.* Quod vero dicit Sidonius, *Vel civis vel victor eras*, veriſſimum eſt. nam Alemanni in agro Germanico, hoc eſt ſuo cives erant, in Gallico velut victores agebant. Porrò nunc licebit intelligere quur Urſpergenſis abbas (qui ex varijs autorib. Chronica ſua conſarcinavit) Alemanniã à Baioaria Lyco flumine dirimi ſcribat. Nã de Tranſdanubianis provincijs Rhetiã primã tantũ occuparunt Alemanni, cujus terminus eſt Lycus, ſeparans hãc à Vindelicia ſive Rhetia ſecunda. Atq; ex hoc apparet eam Martianorũ nemorũ partem quæ ad Danubium vergit, Suevos cum Hermunduris veteribus cultoribus (quorũ in hoc tractu meminit Tacitus, qui ſub Trajano ſcripſit) habitaſſe. Nam contra Rhetiam primam hij habitabant, intra cujus ſplendidiſſimã coloniam veluti amici ñdique Romanis, benignè admittebantur eodẽ autore, nempe Auguſtam. Rhetia prima à Suevis novis cultoribus Sueviæ nomen accepit. Apud hiſtoricos qui citra emigrationem illam ſcripſerunt, præſertim vetuſtiores, & in diplomatis antiquis, *Alemannia* appellatur. quòd Alemannorum pars (ceu ſuprà diximus) Suevi fuerint. Hinc Turegum oppidum

Leck. *Suevia.* *Alamannia.*

oppidũ Sueviæ vendicatur, quod Suevi, id eſt, Alemanni pagum Turgauenſem poſſederint, in quo ſitũ eſt Turegum. Reges Francorũ in diplomatis veteribus totã Alemanniã, id eſt tam Rheticam quàm Germanicam, vocabulo Ducatus Alemannici intelligunt. Carolus Magnus in diplomate quodam, quod Volradus abbas Cœnobij Dionyſiani (quod non procul Lutetia Pariſiorũ abeſt) impetravit de mõaſteriolis annectendis, *Similiter*, inquit, *in Ducatu Alemanniæ cellã quæ vocatur Haubertinga, cum rebus & mancipijs ad ſe pertinentibus, & aliam cellam nomine Ezilingam, & Adalungam cellam, ſimiliter & Gamundiam.* Fuerat autem Volradus ille quondam à ſacris Caroli Magni, nobili familia natus, cœnobiolaq; iſta de patrimonio ſuo in Alemannia, hoc eſt Suevia inſtituerat. In literis Baſilicæ martyrum Turegienſium, Ludovicus rex, *Curtim*, inquit, *noſtram Turegum in Ducatu Alemannico in pago Turgauenſi.* In Lexico quod Iſidori titulo circũfertur, in capite de veſtibus gentiũ, aſcriptũ eſt *Alemannos eſſe ſagatos.* *Ducatus Alam.*

QUADI IN PANNONIAM PRIMAM *& Valeriam.*

AB Julio Capitolino relatum eſt in literas, M. Antoninum Aug. Pannonias, Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, ſimul etiam Quadis extinctis ſervitio liberaſſe. Et Ammianus autor eſt, Conſtantium Auguſt. Conſtantini Fil. quum diutius Romæ manere cuperet, ubi non fuerit antea, aſſiduis nuncijs territum

& certis, indicantibus. Suevos Rhetias incurſare, Quadoſque Valeriam (ſic enim ibi legendum) & Sarmatas, latrocinandi peritiſſimũ genus, ſuperiorem Mœſiam & ſecundã populari Pannoniam. Eſt autem, eodem teſte, Valeria Pannoniæ pars inter Danubium & Dravum, ad honorem Valeriæ Diocletiani filiæ & inſtituta & cognominata, hodie Croatiam appellamus. Alio loco, *Conſtantio quieſcenti*, inquit, *per hyemem apud Sirmium, indicabant nuncij graves & crebri, permixtos Sarmatas & Quados, vicinitate & ſimilitudine morũ concordes, Pannonias Mœſiarumq́ alterã cuneis incurſare diſperſis: quibus ad latrocinia magis quàm aperto habilibus Marti haſtæ ſunt longiores, & loricæ ex cornibus raſis & levigatis plumarũ ſpecie, linteis indumẽtis intextæ, equorumq́ plurimi ex uſu caſtrati, ne aut feminarum viſu exagitati cunctentur, aut in ſubſidijs ferocientes prodant hinnitu denſiore vectores. Et per ſpacia diſcurrunt ampliſſima ſequentes alios, vel ipſi terga vertentes, inſidendo velocibus equis & morigeris, trahenteſq́ ſingulos interdum & binos, uti permutatio vires foveat jumentorũ, vigorque ocio integretur alterno.* Hactenus ille. Conſtantius Aug. è Sirmio movens poſt æquinoctium vernum, ponte ex navibus facto Danubium tranſit, vaſtataque ea Sarmatiæ parte quæ ſecundam proſpectat Pannoniam & direpta, nonnullis hoſtiũ cæſis, alijs in ſylvas profugientibus, quum ſuperveniſſent ob rerum amiſſarum recuperationem Valeriani, hoc eſt, Valeriæ Pannonicæ cultores, toties ab hoſtibus iſtis

Ammiani locus.

Quadorũ haſta & lorica: & cur equi caſtrati.

Diſcurſus velociſsimus.

Equos vacuos poſt ſe trahunt.

illis nihil non calamitatis perpeſſi, pertexit in regna Quadorum, qui Sarmatis locorum confinijs & feritate junctiſſimi ſunt. Quadis ſanguine regio ortus juvenis Zizais nomine pacem impetravit, redditis prius captivis & datis obſidibus. Quo exemplo motus Araharius Transgutilanorum Quadorumque rex (ſic enim legendū arbitror in Marcellino, niſi mavis *Tranſviſtulanorum*) & adhuc alius Sarmatarum rex qui parebat Arahario, veniam petitum venerunt, quam tandem obtinuere. Poſt hos alij multi reges pacem adepti ſunt, obſides ex intimis regni filios procerum offerentes. Unde Quadorum regionis immenſitatem colligere licet, nec enim fruſtra dixit Marcellinus; *regna Quadorum.* Hic rebus confectis in Germania, trans Danubiū redijt Conſtantius. nam pars Quadorum juxta Brigetionem oppidum Pannoniæ primæ ſedes fixerant, quos in fidem Auguſtus recepit, & in provincia habitare permiſit. Quam rem fideliter narrat Marcellinus ſuperioribus hiſtoriam attexens, *Hijs*, inquit, *in Barbarico geſtis, Brigetionem caſtra commota ſunt, ut etiam belli Quadorum reliquias circa illos agitantium tractus lachrymæ vel ſanguis extingueret. Quorum Regalis Viduarij filius regis, & Agilimundus Subregalis, alijq; optimates & Judices variis populis præſidentes, viſo exercitu in gremio regni ſoliq; genitalis, ſub greſſibus jacuere militum, & adepti veniam juſſa fecerunt, ſobolemq; ſuam obſidatus pignore, & obſequuturi conditionibus impoſitis tradiderunt. Eductiſq; mu-*

Marcellini locus

cronibus, quos pro numinibus colunt, juravere ſe permanſuros in fide. Hæc ille. Apertius penè renarrat Marcellinus quod diximus, in epilogô quo Cōſtantius milites alloquitur. *Cōmunitis,* inquit, *aditibus Rheticis, tutelaq; pervigili Galliarū ſecuritate fundata, terrore nullo relicto poſt terga, venimus in Pannoniam, textis pontis compagibus tranſgreſſi: obſtinatis ad mortem animis conatos reſiſtere Sarmatas, absq; noſtrorū diſpendio ſtravimus, pariq; petulantia ruenteis in agmina nobilium legionum Quados Sarmatis adjumenta ferentes attrivimus? qui poſt ærumnoſa diſpendia inter diſcurſus & repugnandi minaceis anhelitus, quid noſtra valeat virtus experti, manus ad dimicandū aptatas, armorū abjecto munimine fune texto vinxerunt, reſtareq; ſolam ſalutē cōtemplantes in precibus, affuſi ſunt veſtigijs Auguſti clementis, cujus prælia ſæpe compererāt exitus habuiſſe felices.* Et hæc ille. Rurſum Valentiniano principe Marcellinus idē autor eſt, Quados Rhetias incurſaſſe: *Gallias,* inquit, *Rhetiasq; ſimul Alemanni populabantur, Sarmatæ Pannonias, & Quadi Rhetias.* Niſi quis ita legendū & diſtinguendū putet, *Sarmatæ Pannonias & Quadi, Rhetiasq;.* Jam hæc omnia nobis evidentiſſimū argumentum præſtant, collabenti jam imperio, Quados in Pannoniā primam ſive ſuperiorem emigraſſe, qui incolumi dum re Romana prope Brigetionē domicilium figerē fuerant auſi, quando Sextus quoque Rufus Quados de locis Valeriæ, quæ ſint inter Danubium & Dravum, auſpicijs D. Auguſti pulſos ſcribit, cujus rei

Quadi per nudos enſes iurant.

rei ſuprà meminimus. Proinde dubium mihi non eſt, eos qui hodie ſuperiorem Pannoniam incolunt, quam Auſtriã Germani vocant, ipſiſſimos eſſe Quados. Julius Capitolinus tradit M. Antonium Aug. poſt Marcomannicũ illud bellũ (quod verius Germanicum dici debebat) adhuc triennium poſtea cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis & Quadis etiam belligeratum eſſe, ut non mirum ſit eum exclamaſſe, fœtentium Judæorũ & ſubinde tumultuantium tædio commotum, quum per Palæſtinã iter faceret in Ægyptum proficiſcens, *O Marcomanni, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inertiores inveni.*

MARCOMANNI CUM NARISCIS ET *Hermunduris in Noricum, & Rhetiam ſecundam, quæ & Vindelicia.*

BOjos illos priſcos, qui in Italiam olim ex Gallia tranſcenderant, cum aliis quibusdam nationibus jam victores Conſule Marcello oppreſſo, Furius alter Conſul ad unum ferè occidit. Iterum à Scipione manus alia Bojorum deletur. Eam vero Bojorum partem quæ in Hercynio nemore conſederat (unde adhuc loco Bojohemi nomen) inclytus ille Marcomannorum populus ejecit. qui trans Danubium pulſi quum Noreiam fruſtra oppugnaſſent, errore vago tandem ad Helvetios delati ſunt excidium Galliarum meditanteis. Verba Cæſaris ſunt, *Bojoſq; qui trans Rhenum,* inquit, *incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Norejamq;*

Notatur hic à Velſero Boic. 14. p. 113.

jamq; oppugnarant, receptos ad ſe ſocios ſibi aſciſcunt. Dicit eos in agrum Noricum tranſiſſe, Norejamque oppugnaſſe, ne quis domicilium eos in Norico fixiſſe putet. Vicit Helvetios Cæſar cum univerſo commilitio. Bojos in finibus Heduorum collocavit. Horum meminit poſtea Tacitus in Hiſtoria Auguſta. Nullus vero ſcriptorum veterum de hiis ullam amplius facit in Germania mentionem. Nec veriſimile eſt fertiliſſimos in Heduis agros unquam eos deſeruiſſe. Jam collabente imperio Romano, num putamus Quados, Marcomannos, Nariſcos Hermunduros & Alemannorum Suevos, qui ripam Danubii tenebant, Gallicam gentem in conſortium admiſſuros fuiſſe? gentem inquam validiſſimæ Marcomannorum nationi inviſam, & olim ab ipſis ejectam. Quòd ſi quis ex Aquilonari tractu hunc populum deducere velit, mirum eſt ab omnibus ignóratos. Neque Sidonius inter Septentrionales nationes horum meminit, neque Claudianus, nec quiſpiam alius. Præterea quum Gallica gens fuerit, Gallico ſermone eſt uſa, quem facile retinere potuit quum Hercynii nemoris ſaltu undiq; includeretur, quemadmodum & hodie Sclavini Bohemi faciunt. Poſtremo gentium origines plerunque ſunt fabuloſæ: de Francis, Scotis, Sclavinis Bohemis, & aliis item populis quæ figmenta afferuntur, in propriis illorum annalibus? ut non ſim hic cuilibet autori facile crediturus, niſi teſtimoniis utenti. Quare expeditiſſimum videtur dicere, Marcomannos cum proximis

Nariſcis, & Hermundurorum parte, Danubium transgreſſos, Noricum & Vindeliciam, id eſt Rhetiam ſecundam cum Alpibus occupaſſe. Sed unde Bojerorum nomen? Dicam quid ego coniiciam. Marcomannos qui Bojohemum incolebant, ſuſpicor è loco Bojeros, id eſt non Bojos ſed Boicos eſſe dictos. Unde etiamnum Bojoariorum nomen & ditio cis Danubium. Certè auſim jurare Marcomannorum linguam eſſe qua Noricum utitur hodie & Rhetia ſecunda, & quicquid eſt illorum tractuum Alpibus vicinum. Hoc quod dixi, fortaſſe non omnibus perſuaſero, nec de hac re ſum ſolicitus. Nolui tamen ſtudioſos celare mentem meam. Quia vero Nariſcorum ante meminimus, libet hic monere, eſſe depravatum in Capitolino vocabulum in vita Marci Antonini. Nam ubi vulgo legitur, *Marcomanni, Variſtæ, Hermunduri, & Quadi:* ſcribendum, *Marcomanni, Nariſci, Hermunduri, & Quadi,* Fuere vero Hermunduris finitimi Nariſci. Porrò Tiberius Cæſar aggreſſurus Marcomannos, juſſit Sentium Saturninum per Catthos exciſis continentibus Herciniæ ſylvis, legiones Bojohemum ducere. Id enim regioni quam Marcomanni incolebant, nomen eſt: ipſe à Carnunto, qui locus Norici regni proximus erat, movit. Autor Velleius. Tandem Druſo res in Germania gerente, Marcomannorum rex Maroboduus Catualda perſequente, quum à ſuis undique deſertus eſſet, tranſgreſſus Danubium qua Noricam provinciam præterfluit, ad Tiberium Cæſarem ſe contulit

Nariſci.

Capitolini locus.

tulit

tulit in Italiam. Triennium etiam in Carnunto conſumpſit M. Antonius adverſus Marcomannos belligerans. Hæc propterea citavi, ut appareat commoditas ſitus, & ſolitus tranſitus à Marcomannis in Noricum.

VICTOPHALI IN DACIAM.

DAci montibus inhærent. Quoties concretus Danubius vinxerat ripas, decurrere ſolebant & vicina populari. Viſum eſt Cæſari Auguſto gentem aditu difficilimam ſubmovere. Miſſo igitur Lentulo ultra ulteriorem repulit ripam, citrà præſidia conſtituit. Sic tunc Dacia non victa, ſed ſummota atque dilata eſt. Florus ex Livio. Daciam poſtea Decibalo rege iterum victo Trajanus Aug. provinciam fecit, idque in ſolo Barbarico. De ea re extat vetus illic inſcriptio, ſed proximis annis effoſſa.

IOVI STATORI
HERCVLI VICTORI. M. VLP. NERVA
TRAIANVS CAESAR, VICTO DECEBALO,
DOMITA DACIA, VOTVM SOLVIT.
ASPICE ROMVLE PATER, GAVDETE QVIRITES,
VESTRA ISTA EST GLORIA

Proinde Trajanus urbes in Dacia condidit, deduxit colonias. Sanè Zarmizam illam inclytam, ubi Decebalus ſedem ſuam habuerat in Ulpiam Trajanam coloniam mutato nomine convertit. Ei rei teſtimonio eſt vetus lapis hujuſmodi verbis illic inſculptus.

I. O. M.

I. O. M.
ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI,
FELICIBVS AVSPICIIS CAESARIS
DIVI NERVAE TRAIANI
AVGVSTI CONDITA
COLONIA
DACIA ZARMIZ
PER
M. SCAVRIANVM
EIVS PROPR.

Quinetiam in novæ provinciæ tutelam fornicatum pontem in Danubio fecit, operis admirandi. Is habebat viginti pilas lapideas, altas centum & quinquaginta pedes, latas ſexaginta; diſtanteis inter ſe centum & ſeptuaginta pedibus. Diverſum veritus Adrianus Aug. ne Barbaris pateret aditus per pontem ad depopulandas Mœſias, quicquid ſtructurarum eminebat ſupra aquam, demolitus eſt. Nec inſcriptione pons caruit, ſanè perquam eleganti, nempe hac.

PROVIDENTIA AVG.
VERE PONTIFICIS, VIRTVS ROMANA
QVID NON DOMET? SVB IVGVM ECCE
RAPITVR ET DANVVIVS.

Studioſus autem admodum fuit hujuſmodi monumentorum Trajanus, ad propagandam nominis ſui memoriam. Itaque quum Decebali theſauros ſubter vada amnis Sargatiæ defoſſos, per indicium captivi cujuſdam reperiſſet, ſaxum cum hujuſmodi epigrammate erigendum curavit, cujus Taurinus quoque meminit.

IOVI INVENTORI, DITI PATRI, TERRAE MATRI,
DETECTIS DACIAE THESAVRIS
CAESAR NERVA TRAIANVS
AVG.
SAC. P.

Dacia provincia amiſſa eſt imperante Gallieno, Gottharum nationibus illã occupantibus: Nam de Dacia ſic meminit Eutropius, qui hiſtoriam ſuam Valenti Auguſto dicavit, *Daciã*, inquit, *Decibalo victo ſubegit. Provincia trans Danubium facta, in hiis agris quos nunc Taiphali, nunc Victovali & Tervigi habent.* Porrò Teruigos & Taiphalos eſſe Gotthorum populos, Mamertinus panegyriſta docet, *Itemq; Tervigi*, inquit, *pars alia Gotthorum adjuncta manu Taiphalorum, adverſum Vandalos Gepidesq; concurrunt.* Ammianus refert, ſervos Sarmatarum, quum hæc gens cum Conſtantio Aug. pacem firmaret, ad Victobalos longius diſcretos confugiſſe. Caſtiga Capitolini locum in vita M. Antonini, ubi legitur in enumeratione gentium quæ Marcomannico bello nomen dederant, *Et Burei, hi aliiq; cum Victuali Soſibes.* Tu ſcribe, *Et Buri, Taiphaliq; cum Victophalis.* Cæterum Imp. Aurelianus quod Romanorum colonorum ſupererat, trans Danubium reduxit, & in Mœſiæ regionibus duas Dacias conſtituit, Ripenſem & Mediterraneam, quas ante commemoravimus inter provincias Romanas.

Capitolini locus.

HERULI ET RUGI IN ITALIAM.

RES Romana tendens ad interitum miſerè fluctuabat in Italia, Anthemium ſocerum

Ricimere

Ricimere perimente, & nunc poſt Olybrium & Liberium Glycerio, nunc Nepote patricio, ſibi certatim Imperii titulum vendicante, quũ Odoacer (à populandis agris nomen habens) ingentibus Herulorum copiis Turcilingorum quoque ſive Scyrorum auxiliaria manu, è Pannoniæ extremis finibus per Noricum in Italiam contendit: obviumque in Liguria factum Oreſtem, qui tum pulſo Nepote Imperator dictus erat, primum retrocedere coegit, mox Ticini mœnibus incluſum cepit, & adductum Placentiæ capite truncavit. Tum expugnatis urbibus, & ſi quæ fortius reſtitiſſent everſis, brevi totam ſibi ſubdidit Italiam, & ſe Regem appellavit. Quare motus Auguſtulus Oreſtæ F. Imperialem purpuram abiecit. Mox in Urbẽ venit Odoacer, tenuitque xiiij. annis Italiam, Sed tandem à Theodorico Oſtrogothorum rege, qui Italiam à Zenone Græco Imperatore hac conditione impetraverat, non tamen abſque longis multiſque certaminibus jugulatus eſt. Sub hæc Rugi Ticinum Gotthorum ſedẽ qui tunc erant digreſſi, vicinumque tractum, non minus quàm biennium vaſtant. Docet Sidonius Herulos eſſe Germanici maris incolas, quum de regia Theodorici Vuiſigotthorum regis apud Burdegalam ſcribens, canit,

Hic glaucis Herulus genis vagatur,
Imos Oceani colens receſſus,
Algoſo prope concolor profundo.

Velocitatem alibi tribuit Herulis; quum inquit,

Tibi vincitur illic
Curſu Herulus, Chunus jaculis, Frãcusq́; natatu.

Nam ajunt Herulos tantum campeſtribus indutos olim ſolitos pugnare. Vicini fuere Langobardis. Rugos vero pugnacium titulo ornat, Septentrionaleis populos deſcribens,

Pugnacem Rugum, comitante Gelono,
Gepida trux ſequitur. Et alibi,
Bello notus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites.

Eorum regio Rugilandia dicta fuit.

LANGOBARDI IN PANNONIAM, *& dein in Italiam.*

LAngobardos inter Suevorum gentes refert Tacitus, & nobilitate cæteris antecellere dicit: Velleius Germana feritate ferociores eſſe ſcribit, nec ita procul ponit à Chaucis cis Albim, ut mirer ex terreſtribus aut littoralibus inſulares factos. Sed fortè fuere propulſi à Francis ſive aliis gentibus. Ptolomæus Rheno proximos facit. Dii boni quæ fuit illis gentibus mutandarum ſedium libido? Quòd autem Germanico ſermone fuerint uſi, declarat, quòd vivarium piſcium *Qualamam* vocant à ſcaturigine. Sic enim ego legendum reor. Deinde quòd pateram *Schalam* appellant. Nam in geſtis Langobardorum narratur Alboinus ex craneo Chunimundi Gepidarum regis ſchalam feciſſe. Ajunt & Vuinilis fuiſſe nomen, & de Scandinavia in Scoringam, Maringam, Gotthlandiam, Rugilandiam, & poſt profligatos Herulos in Pannoniam eos tranſcendiſſe.

Quella. *Schale.*

Hos

Hos tum Narſes muneribus & beneficijs ſibi conciliavit, cogitans hanc gentem uſui ſibi poſſe eſſe in opprimendis Gotthis, quod id temporis agi ſciebat, propter inſolentiam illorum in Italia prorſus intolerabilem. Nam malo nodo malus quærendus erat cuneus, juxta proverbiū. Odoacarem Herulum delerant Gotthi, ad hos opprimendos alia natione forti opus erat. Itaque paulo poſt Langobardorum auxiliaribus copiis, quos jam fœderatos habebat Narſes, Gotthos cum rege Totila felici prælio obtrivit. Remiſitque eos omneis qui ſuppetias venerant, cum præda luculentisque ſtipendiis in Pannoniam, operam ſuam in poſterum pollicenteis. Exciſis Gotthis quum ob partem Reipublicæ quietem duces militares (quorum quæſtus eſt ex diuturnis bellis) Narſetem odiſſe cœpiſſent, aggrediuntur hominem variis calumniis apud Juſtinianum Aug. & Sophiam ejus uxorem traducere, partim de avaricia, partim de ambitione eum inſimulantes. Quæ res creduli principis animum (ut omnes deteriora pronis auribus accipimus) à Narſete prorſus alienavit. Mittitur igitur Longinus qui Italiam gubernet, illo in ordinem redacto. Nec abſtinuit ab intempeſtivo contumelioſoque joco Sophia Auguſta, ridens hominem quod exectus eſſet: mādat enim illi, *ut domum redeat, & penſa puellarū in gynecejo diſpenſet.* cui renunciari juſſit Narſes; jocum triſti joco referiens, *Talem ſe telam exorſurum, quam ipſa finire nequiret.* Proinde Langobardos miſſis hornis fructibus quibus vulgus

alliceretur, cum conjugibus ac liberis in Italiã vocat, pro Pannonia poſſidendam, regionem fertiliſſimam opulentiſſimamque. Hos deinde Græci Imperatores opera Francorum opprimere fruſtra conati ſunt, donec Pipinum & Carolum Magnum ad hanc rem querelæ Romanorum Pontificum extimulaſſent. Tamdiu regnarunt in Italia. Licet hic videre Germanos ſemper Germanorum viribus ex Italia depulſos. Tantum cæteræ nationes ingenio prævalent. Herulos profligavere Oſtrogotthi, Langobardi Oſtrogotthos, Langobardos Franci.

SCOTI ET PICTI, AC ACTAcotti, *in Britanniam.*

AMmianus libro xxvj. geſta ſub Valentiniano deſcribens, *Hoc*, inquit, *tempore velut per univerſum orbem Romanum, bellicum canentib. buccinis, extitere eventus ſæviſſimi. Limites ſibi proximos perſultabãt, Gallias Rhetiasq́ſimul Alemãni populabãtur, Sarmatæ Pãnonias, & Quadi Rhetias: Saxones, & Scoti, Actacotti, Britannos ærumnis vexare continuis, Armoricæq́ aliæ gentes Aphricam ſolito acrius incurſant, & Thracias diripiebant prædarii globi Gotthorum, Perſarum rex manus Armeniis injectabat, easq́ in ſuam ditionem ex integro vocare.* Hactenus ille. Habes hic paucis verbis, Provinciarum Romanarum ſortem velut in tabella depictam. Notæ vero ſunt incurſiones fermè omnes ex ſuperioribus. Nunc propter Saxones, Scotos, & Actacottos tantum citavimus. Ammianus

tur-

rurſus libro xxvij. *Illud tamen*, inquit, *ſufficiet dici, quòd hoc tempore Picti in duas gentes diviſi, Calidonas & Vecturionas, demq́; Attacotti bellicoſa hominum natio, & Scoti per diverſa vagantes multa populabantur.* Panegyriſtes ad Maximianum Aug. *Adhuc*, inquit, *natio etiam tũ rudis, & ſolis Britannia Pictis modo & Hybernis aſſueta hoſtibus adhuc ſeminudis, facile Romanis armis ſignisq́; ceſſerunt*. Pacatus ad Theodoſium *Attritam pedeſtribus prælijs Bataviam referam? Saxo conſumptus bellis navalibus offeretur. Redactum ad paludes ſuas Scotum loquar? compulſus in ſolitudines avias, omnis Alemannus, & uterq́; Maurus occurrent.* Autor eſt Beda, à Maximo Tyranno non ſolum legionibus, ſed & juventute, habito ibi militum delectu ſpoliatã Britanniam. Quæ res moverit transmarinas gentes ſæviſſimas, Scotos à Circio, Pictos ab Aquilone, ut deſtitutam inſulam obruerent? Quam ſic vaſtatam direptamq́;, multos annos vexavere. Semel tamen atque iterum à legionibus Romanis repulſi ſunt, primum inter duo maria è ceſpitibus terreo muro, deinde quum rurſum hoſtis irruiſſet, Saxeo oppoſito, additis meridiano mari per intervalla turrib. Sed poſt diſceſsũ legionariorũ redit hoſtis, & ſolito crudelius ſævit, Scribũt Britãni in hũc modũ Etio.

ETIO VIRO ILLVSTRI AC PATRITIO, III *Conſuli, gemitus Britannorum.*

Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera fune-

rum:aut jugulamur,aut mergimur. Nullā ab eo opē ſenſere. Tandē fame coacti ſunt ſe Pictis dedere, qui extremā inſulæ partē occuparant. Revertuntur & Scoti, in Britanniæq; tractu domicilium figunt. Poſt iſtos, ſupervenerunt Angli, Saxonū erat natio, ad tuendam regionē & ejiciendos hoſtes promiſſa mercede evocati, quemadmodū proximo loco narrabitur. Claudianus de gētibus quæ Britannias vexabāt, ad Honoriū Aug. canit Romam loquentem inducens,

Quantum te principe poſſim,
Non longinqua docēt, domito quòd Saxone Tethis
Mitior, aut fracto ſecura Britannia Picto,
Ante pedes humili Franco, triſtiq; Suevo
Perfruor. Idem alibi de avo Honorii.
Ille leveis Mauros, nec falſo nomine Pictos
Edomuit, Scotumq; vago mucrone ſecutus
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.
Idem de eodem alibi,
Ille Caledoniis poſuit qui caſtra pruinis,
Qui medios Libyæ ſub caſſide pertulit æſtus,
Terribilis Mauro, debellatorq; Britanni
Littoris, ac pariter Boreæ vaſtator & Auſtri.
Quid rigor æternus, cœli quid ſidera proſunt,
Ignotumq; fretum? maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule.
Scotorumq; cumulos flevit glacialis Hyberne.

Apud eundē Britannia de Stilicone Vandilo loquitur,
Inde Caledonio velata Britannia monſtro,
Ferro picta genas, cujus veſtigia verrit
Cærulus, Oceaniq; æſtum mentitur amictus,
Me quoq; vicinis pereuntem gentibus, inquit,

Munivit Stilico, totam quum Scotus Hybernam
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys,
Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Proſpicerem dubijs venturum Saxona ventis.

Idem rurſum ad Stiliconem,

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat frena truci, ferroq; notatas
Perlegit exanimeis Picto moriente figuras.

Qui poſtremi verſiculi melius intelligentur, & ꝙ ex eodẽ ſupra citavimus, *Nec falſo nomine Pictos, ſi de Pictis* ex Iſidori lexico gẽtis morem aſcripſerimus: apud quẽ ſic legendũ arbitror, *Nec abeſt à Pictorũ corpore minutis opifex acus pũctis. Hæc expreſſos nativi graminis ſuccos includit, ut has ad ſui ſpecimen cicatrices ferat pictis artubus maculoſa nobilitas.*

Meminit rurſus harũ gentium Claudianus, de patre Serenæ loquens quæ Palladio nupſerat,

Regnorum tractat numeros, cuneosq; recenſet,
Sparſas Imperij vires conſtringit in unum
Depoſitum, quæ Sarmaticis cuſtodia ripis,
Quæ ſævis objecta Getis, quæ Saxona frenat
Vel Scotum regio.

Meminit & Sidonius Apollinaris in Panegyrico carmine, quod de laudibus Aviti ſcripſit.

Fulgentibus armis
Tot maria intravi duce te, longeq; remotas
Sole ſub occiduo gentes. Victricia Cæſar
Signa Caledonios tranſvexit adusq; Britannos.
Fuderit & quanquam Scotũ, & cũ Saxone Pictũ,
Hoſtes quæſivit, quem jam natura vetabat

Quærere plus homines.

Significat Prudentius, Scotos in præliis uti canib. ſolitos, quũ adverſũ Sabellianos canit,

Semifer & Scotus ſentit, cane milite peior.

Potuit illis etiam eſſe canum uſus in inveſtigandis hominibus, qui in ſylvas & alios receſſus ſeſe metu hoſtium abdebant. Nam erant piratæ Scoti. In Iſidori lexico legimus, *Horrent & malis tecti cum latrantibus linguis Scoti.* Scribo, *Horrent heteromallis tecti.* Vt accipias pro veſtibus altera tantum parte villoſis.

Heteromalla.

ANGLI SAXONES IN BRItanniam

BRitanni tot jam annis à piratis vexati, quũ nulla ſupereſſet ſpes ullius à Romanis auxilii, jamquè hoſtes inſulæ partem occupaſſent, cogitant de Saxonibus conducendis, quorum præſidio occupatores iſtos Actacotos, Pictos & Scotos exturbare poſſent. Advehitur igitur cum innumera multitudine per legatos accitus Vortigernus Anglorum (hoc nationi nomen erat) regulus. Jamque victoriam adverſum hoſtes ſperabant, nec infeliciter res procedebat: quum à defenſoribus amœnæ inſulæ & divitis amore captis, conſilium occultum initur de invadendo illius imperio. Prætexunt itaque ſtipendia non ſoluta, ſicque nato tumultu, facillime ſumma rerum potiuntur civibus oppreſſis. Verum cum advenis, qui tamen propemodum erant iſtis conſanguinei, diuturnum bellum geſtum eſt. Annales Anglorum ex-

tant, indigena Beda autore, Vunnefridus Anglus, qui Bonifacius Romæ transnominatus eſt, Archiepiſcopus Magonciacenſis poſtea ac Martyr, in epiſtola ad Zachariam pontificem Romanum, Angliam vocat Transmarinam Saxoniam. *Anglia transmarina Saxonia.*

Britanni in Galliam.

Quum aſſiduis Pictorum, Scotorum, & Saxonum incurſionibus concuteretur Britannia, ingens veterum incolarum numerus in oppoſitum Armoricum Galliæ tractum navigavit, & multo quietiori loco ſedes fixit. Sic autem in Galliam tranſgreſſi ſunt, ut olim Galli in Britanniam, autore Tacito. Hos quidam diſcriminis cauſa mutilato nomine *Britones* vocant. Retinent etiamnum linguam ſuam antiquam Britannicam, quemadmodum Sclavini Bohemi & Poloni ſuam apud Germanos. Meminit horum Sidonius, loquens de Arvando læſæ majeſtatis reo, cujus forent interceptæ literæ ad Theodoricum Vuiſogotthorum regem, inter alia ſuadentes, Britannos ſuper Ligerim ſitos impugnari debere. Rurſum meminit, quũ Riochamo quendam commendat, cujus mancipia Britannis clàm ſollicitantib. erant abducta. Gallis incommodaſſe Britannos indicant Leges Francorum in quibus advenæ recipi jubentur, à Nortmannis vel Britannis oppreſſi, Contra hos & Hildericus Francorum rex Luitharii F, bella geſſit.

NORTMANNI IN GALLIAM.

NOrtmanni Danorum pars fuere, ſic dicti quòd Septentrionales homines eſſent. nam *Nort* lingua Germanica Septentrionem ſignificat, & *man* virum. Horum piratarum nomen ultimis Magni Caroli annis primum auditum eſt, quum Friſia ac proximis inſulis evaſtatis ductu Gotefridi regis, etiam Aquenſi Palatio celeberrimo minarentur. Et fortè perrexiſſent, ni ſuorum manu Gotefridus cecidiſſet. Gallias non minus quàm annos quadraginta vexâvere. In Germaniam ſuperiorem adverſo Rheno navigiis delati, quâ ſacra, quâ prophana depopulantes omnia, per Lotharingiam in Campaniã Catalaunenſem incurſarunt, occiſo Mediomatricorum antiſtite Saillo. Sub Carolo Simplice quum in Neuſtriam (quam ego Vueſtricham appellatam ſuſpicor) irruiſſent magna claſſe Nortmanni, per oſtium Sequanæ fluminis ſæpe conati irrumpere, dedenteis ſe Rothomagenſeis in fidem accipiunt: deinde per Ligerim amnem, Naneten urbem expugnant, mox Andegavium incendunt, Turonum deſtruunt, & totam Aquitaniam depopulantur. Alia manus Sequana adverſo vecta Pariſienſem agrum, & Senonenſem vaſtant. poſtremo è Burgundia per Aratim in Arvernos excurſionem faciunt. Vix unquam ſimilem ſævitiam vel à Francis vel ab Alemannis hoſtibus eſt experta Gallia, quũ adhuc inter Provincias Romanas numeraretur. Quæ res Carolum Galliarum regem movit, ut

Franco-

Franconem Rothomagenſem præſulem ad Nortmannorum ducem, cui Rolloni nomen erat, mitteret, perſuaſurum illi, Chriſtianã pietatem amplecteretur, habiturus uxorem regiã filiam Gillam, & totam Neuſtriam cum Britannis ſuper Ligerim dotali titulo poſſeſſurus. Placuere Barbaro conditiones. Tinctus eſt ſacris aquis, Robertique vocabulo nominatus pro Rollone, duxit uxorem, & donatam regionẽ à novæ gentis appellatione Nortmanniam vocavit. In præfatione quadam de Meldenſi ſynodo, quæ Anno ſalutis D. CCC. XLV. Caroli vero regis anno ſexto celebrata eſt, ſic legitur in Legibus Francorum, quas Anſegiſus abbas conportavit. *Quia divinas*, inquit, *juſſiones non eſt ſecuta obedientia, dedit dominus ab Aquilone, unde juxta Prophetam pandetur malum, dignos meritis noſtris Apoſtolos: crudeleis videlicet & immaniſſimos Chriſtianitatis perſecutores Nortmãnos, qui Pariſios uſq; veniẽtes, quod juſſit Dominus monſtraverũt*. Theodebrechtus Theoderici regis F. Ludeuuichi, quẽ Galli Clodoveũ appellant, nepos, Danos Mediomatricorum agrum incurſanteis devicit. Tum Nortmannorum nomen nondum fortè natum erat.

Meldenſis. Synodus.

VITÆ SAXONES IN HELVETIOS.

Unde ſit natum Suitenſium vocabulum, à multis quæri ſcio. Nam quæ rationes à quibuſdam afferuntur, naſutioribus non ſatis faciunt. Ego nodum hunc feliciter, ni fallor expediam. In populoſiſſima Saxonum gente & Vi-

& Vitarum natio fuit. horum pars, quam ob cauſam neſcio, mutatis ſedibus in Helvetiis conſedit proximè Tigurinos, quorum hodie pagus mutilato vocabulo, *Uri* dicitur. Nam Turegum à Turo fluvio nomen habet, quaſi Turgavienſis tractus extremitas aut angulus. Major pars cum Anglis in Britanniam antè fuerat tranſgreſſa. Nec ab re cæteris quoque hæc indita appellatio, vel Subſylvanis, vel Lucernatibus, tametſi uni pago, cujus caput Kilchgaſſium, peculiaris. Suiteros ipſi vocant. S. literam adiecit amans ſibili lingua vulgaris. Adjuvat noſtram opinionem, quòd ipſi Suitenſes, à majorib. acceptum tradunt, à Suitis Germanici maris incolis originem ſe ducere, quos ingens orta fames domicilium mutare coegerit. Hos peritiores interpretantur Suedos, quorum hodie fama celebris. Ad Beda docet, *inter Saxones regionem Vitarum eſſe deſertam*, nimirum propter iſtam emigrationem de qua nunc agimus, & quòd antè pars illorum cum Anglis in Britanniam tranſcenderit. Aſſerit autē tres fortiſſimos Germaniæ populos fuiſſe, Saxones, Anglos, & Vitas. Enimvero magna fuit Helvetiorum veterum in bellis fortitudo: ſed poſteaquam Provinciales facti ſunt, paci magis ſtuduerunt, Innuit hoc ſatis in hiſtoria Auguſta Tacitus, *Helvetij*, inquit, *Gallica gens, olim armis viriſq́, mox memoria nominis clara*, Sic enim illic legendum, non, *ſoli in armis*. Nam adverbium, *mox*, ad olim refertur. Cæterum noviſſi incolæ tantum ſibi laudis intra ducentos annos

Suitzer.

Taciti locus.

annos peperere, tot adoreis ſunt inſignes, ut veteres illos non æquent modo, ſed longè ſuperent.

SAXONES IN GERMANIAM *Secundam.*

QUum Saxones rebellandi finem non facerent, Carolus Magnus ad decem milia Albingorum, hoc eſt, eorum qui utramque ripam Albis fluvii colebant, in Brabantiam, Flãdriam, & vicina loca traduxit. Unde regionib illis adhuc ea virorum proceritas, qualem à Langobardis etiamnum referunt Inſubres. Tũ acceſſione novorum habitatorum frequentior facta, Germania ſecunda. Equidem facile adducor ut credam, ob portuum commoditatem urbes iſtas, quas illic ætas noſtra maximas videt, è modicis vicis ad iſtam viſendam amplitudinem opulentiamque intra quingentorum annorum ſpacium paulatim perveniſſe. Nam in hiſtoriis mediæ ætatis pagi Gandavenſis mẽtionem fieri video, ſicut & Flandrienſis, ac Menapiſci, vici Muntæ, Anduuerparum, Oſtburgi civitatis in littore Oceani ſitæ, præterea portus Gandavenſis, nec non Brugenſis, ſed & Tornacenſis, & ejus cui Einhama nomen eſt.

UNGARI IN PANNONIAM *ſecundam.*

HUnnos, qui & Avares, extructis novem Hagis, hoc eſt circulis, in Pannonia habitanteis octennali bello Carolus Magnus edomuit,

muit, exciditque prorſus. Horum vero natio-nem unam cui Ugrorum & Ungarorum no-men (nam multos ſecum è Scythia populos eduxerant Hunni) velut nihil nocituram illis extinctis, ſubmovit tantum, & vallo quodam obſtruxit. Verum quum Arnulfus Cæſar bel-lum gereret adverſus Zuentenbaldum Mora-vanenſium Sclavinorum principem, in Care periculum facturus (quemadmodum Græcis eſt in proverbio) ſubnotam iſtam Hunnicarum reliquiarũ gentem, quæ tot annis quieverat, in ſubſidium reſeratis aditibus evocat. Et victori-am quidem de Zuentenbaldo reportavit Un-garorum auxiliis, ſed quem hoſtem regnare præſtitiſſet, illis non excitis. Siquidem poſt eam Imperatori navatam operam, rurſum ad depo-pulandum orbem animati majorum ſuorum exemplo, & jam viæ patebant, aſſiduis vaſtatio-nibus, Bajoariam, Alemanniam, Saxoniam & utramque Franciam exhauſerunt, in Pannonia ſecunda fixis ſedibus, donec D. Henricus Aug. ejus nominis ſecundus, regi ferociſſimæ natio-nis ſororẽ Giſelam in matrimoniũ collocaret, Chriſtianis ſacris prius initiato, cui Stephani vocabulum inditum. Porrò fuerant ſubmoti intra anguſtias quaſdam, quales erant anguſtiæ Thracias dirimentes & Daciam, quarum Mar-cellinus meminit libro vigeſimo ſeptimo. Ubi quidam ſic conantur legere, *Cujus in ſummitate occidentali, montibus prærupta denſitatis, Ucro-rum pateſcunt anguſtiæ, Thracias dirimentes & Daciam.* Talia quoque fuerunt *clauſtra Sueu-*

cunnorum

cunnorum apud eundem autorem, aut eadem fortaſſis. Inde *Clauſtrini* dicti.

EXTERNAE NATIONES IN GERMANIAM *veterem. Galli in Hercynium ſaltum.*

PRiſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperij fuit. Hij regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit, virtute fortunaq; quum ſua tũ publica præpollens, quòd in imperio ejus Gallia adeo frugum hominumq; fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe: hic magno natu ipſe jam exonerare prægravante turba regnum cupiens, Belloveſum ac Sigoveſum ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas dij dediſſent augurijs ſedes, oſtendit. quantum ipſi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenienteis poſſet. Tum Sigoveſo ſortibus dati Hercynei ſaltus. Livius lib. v. ab urbe condita.

TECTOSAGES EODEM.

FUit antea tempus quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agriq; inopiam tranſ Rhenum colonias mitterent. Itaq; ea, quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Hercyniã ſylvã (quã Eratoſtheni, & quibuſdã Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orcyniam appellant vulgo.) Tectoſages occuparunt atq; ibi conſederunt. Quæ gens ad hoc tempus hijs ſedibus ſe continet,

net, ſummãq; habet juſtitiæ, & bellicæ laudis opinionem. Nunc quòd in eadem inopia, egeſtate, patientiaq; Germani permanent, eodem victu & cultu corporis utuntur: Gallis autem propinquitas, & tranſmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atq; uſus largitur. paulatim aſſuefacti ſuperari, multisq; victi prælys, ne ſe quidem ipſi cum illis virtute comparant. Hæc Cæſar commentariorum lib. VI. Iſtam Tectoſagum gentem arbitror Nicri ripam accoluiſſe, quo loco vetuſta adhuc arx viſitur quæ Deccenſibus poſtea ducibus nomẽ dedit. Ea Teck appellatur vulgo, quæ prima Tectoſagum eſt ſyllaba.

HELVETII IN GERMANIAM.

VAlidiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus autorum D. Julius tradit. Eoque tedicbile eſt etiã Gallos in Germaniã tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque ſedes promiſcuas adhuc, & nulla regnorum potentia diviſas? Igitur inter Hercyniam ſylvam, Rhenumq; & Mœnim amnes Helvetii incolunt. Hæc Tacitus in de ſitu Germaniæ. Hic Ptolomæus Eremum Helvetiorum conſtituit.

BOII IN GERMANIAM.

DE Helvetiis ita locutus Tacitus, ſubdens, *Ulteriora Boij*, inquit, *Gallica utraq; gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen, ſignificatq; loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus*

ribus. Ubi ſciendum, non ſic Tacito vel Helvetios vel Boios dici Gallos, quemadmodum vetuſtiſſimi Græcorum autores, quos Diodorus Siculus, Herodotus, Ariſtoteles, & hiſtorici cæteri ſequuntur, Celtarum nomen uſurpant, quod promiſcuè quum Germanis tum Gallis accommodant. Nam non ſolum iſtæ noſtræ & vicinæ noſtris regiones priſcis illis Græcis ignotæ fuere, ſed & Italia atque adeo Roma ipſa parum cognita extitit, id quod Joſephus adverſum Appionem abunde teſtatur, cujus nobis copiam ſuperioribus annis fecit Joannes à Laſco Polonus, Græcum exemplar impertitus. Nam Latinè ſic verſum, imò perverſum habemus, ut nullus intelligere poſſit. Quo magis appareat nothum & ſubdititium eſſe libellum, qui Beroſi illius Chaldæi & Manethonis titulo circumfertur. At Tacitus, qui ſub Veſpaſiano militavit in Germaniis Provinciis, & ſub Traiano ad ſcribendum ſe contulit, ut ſit nobis veriſimile, ac Livius hoc paulo vetuſtior, diſtinctè de populis loquuntur, neminem appellantes Gallum, niſi qui inſtitutis, ſermone, moribus denique Gallus dici mereatur. Proinde ſatis admirari non poſſum ambitioſos illos Germanorum dilaudatores, qui etiam Senonum Gallorum ſpecioſos triumphos ſtudeant vendicare Germaniæ, hoc tantum prætextu, quòd Celtarum vocabulum amplum ſit, & quòd Sennonũ Suevorum meminerint Chorographi. Satis laudum habet Germania, quantum ad bellicã gloriam attinet, etiamſi ſuas Gallis nulli ſuffu-

Celtæ.

Beroſus.

remur. Quin potius Livio credendum, qui libro quinto ab Urbe condita, *Celtarum*, inquit, *quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit. hii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit.* Vide qua exactè rem diſtinguat. Poſtea de Beloveſo Ambigati nepote loquens, quē avunculus in Italiam miſſurus erat, *Is*, inquit, *quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos excivit.* Mox de tranſitu cæterorum Gallorum in Italiam ſubjugens, *Deinde Boji*, inquit, *Lingonesq; tranſgreſſi, quum jam inter Padum atq; Alpeis omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pellunt: intra Apenninum tamen ſeſe tenuere. Tum Senones recentiſſimi advenarum ab Uſente flumine uſq; ad Atheſim fineis habuere.* Hæc Livius. Igitur Senones eos qui Romam ceperunt, nemo Germanos eſſe putet, nemo Bojos. tametſi hij trans Rhenum conſederunt, medium fermè Germaniæ tractum incolentes, quem Hercynius ſaltus circumquaque obſepit. A quibus regio, Bojohemi nomen accepit. Hos (ut alio loco narravimus) illinc potentiſſimus ille Marcomannorum populus depulit paulo ante adventum Julij Cæſaris, quæ fuit illis cauſa vel neceſſitas potius in Noricum tranſeundi, & cū Helvetijs ex turis jungendæ ſocietatis. Atque hoc eſt quod Tacitus refert de mutatis cultoribus. Exponens enim ſeipſum infra, *Præcipua Marcomannorum*, inquit, *gloria viresq;, atq; ipſa etiam ſedes pulſis olim Bojis virtute parta.*

Boeheim.

Quòd

Quod vero manere dixit *Bojemi* nomen, ſatis indicare queat, Marcomannos non in locum ſolum, ſed etiam in appellationem ſucceſſiſſe. quos ego Bojeros inde dictos, ſuſpicor in Noricum & ſecundam Rhetiam unà cum Nariſcis Hermundurorum parte tranſgreſſos. Si quis enim hodie earum provinciarum aliquem incolam è vulgo medio roget, cuiàs ſit? Bojerum ſe eſſe dicet, non Bavarum, non Bojoarium, quorum prius ab imperitis natum eſt, à naſutioribus alterum. Tametſi inter Bojerum & Bojoarium parum eſt. Non minus autem hallucinari puto, qui illud ab Avaribus deducant, quàm qui hoc à Bojis Gallis. Utrique enim populi jam olim evanuere. Sed de hoc ſuprà ſatis teſtatiſſimus mentem noſtram. Strabo libro ſeptimo *Bubiemum* Marobodui regiam vocat, quod Tacitus *Bojemum*, & melius *Bojohemum* Paterculus. De qua re lib. tertio fuſius differemus. *Boyern.*

GOTHINI IN GERMANIAM,

GOthinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos, & quod tributa patiuntur. Partem tributorum Sarmatæ, partẽ Quadi ut alienigenis impoñut. Gothini (quo magis pudeat) & ferrum effodiunt. Tacitus in De ſitu moribusque Germanorum. Præcipuum argumentum Tacitus ducit à lingua Gallica. Vel hic locus ſatis reprehendat errorem eorum qui putant, Germanorum & Gallorum olim eandem fuiſſe linguam. Apud Tacitum lib. xx. hiſtoriæ Auguſtæ, Tencteri ſuadent Ubiis, qui nuper in

corpus nomenque Germaniæ redierant, ut inſtituta cultumque patrium reſumant. Nihil addunt de lingua. Nam hæc difficulter,& ſerò dediſcitur, non mutanda niſi populum ipſum exſcindi contingat, quod Langobardis accidit in Italia: aut temporum prolixitate paulatim abſorberi, quod Burgundionibus & aliis gentibus eveniſſe ſatis manifeſtum eſt.

Osi in Germaniam.

Ex Taciti verbis quæ mox citavimus, conſtare poteſt, Oſos in Germaniam è Pannonia veniſſe. Ubi rurſum à lingua ſumpto argumento rem probat. Significat autem Pannonios diverſum à Germania habuiſſe ſermonem. Porrò bilingueis illos extitiſſe reor, propter linguam ſuam veterem ac propriam, de qua Tacitus loquitur: & provincialem ſive Romanam, quam mixtam ſunt qui vocent. De quo fortaſſis alibi diſputabitur.

Sclavini in Boiohemum, *& Regionem quæ Moravia appellatur.*

Inter Mimos Publianos nobilis verſiculus extat, *Ab alio expectes, alteri quod feceris.* qua ſententia nihil verius. Fit autem plerunque ut quod aliis intulimus, ipſi perferre etiam cogamur. Germani Romanorum provincias vicinas perpetuis incurſionibus exhauſerunt, deinde totas occuparunt, quemadmodum ex hiis quæ diximus ſuprà, liquidò conſtat. Interim ſupervenere,

venere, qui Germaniam ipſam miſeris modis vexarent, & in fertiliſſimis regionibus domicilium figerent, nunquamque excutiendi, nempe Sclavini, quos ab occupato Boiohemo vulgus Bohemos appellat, & qui ſe Polonos à planis campis vocant, ut de Velatabis & Avaribus ſileam. An non habet hic elegantiſſimum illud Perſii carmen locum. *Bohemi, Polons.*

Cedimus, inq; vicem præbemus crura ſagittis.

Porrò Sclavinorum gens (ut arbitror) ſub Mauritio Cæſare primum innotuit, quum legati illorum cum cytharis ad Cajanum Avarum Principem proficiſcentes à Cæſarianis militibus ſunt intercepti, & mox Heracleam ab Imperatore miſſi. Subornante autem Cajano quum Thraciam invaſiſſent, & omnia igni ferroque devaſtantes uſque ad Longos muros (quos vocant) Conſtantinopoli vicinos perveniſſent, miſſus contra illos Commentiolus cum exercitu, maximas horum copias partim delevit, partim repreſſit. Adverſum hos etiã Mauritio Principe ſemel atque iterum deſtinatus Priſcus Prætor nunc ne Danubium tranſirent cohibuit, nunc ipſe tranſmiſſo fluvio feliciter cum illis pugnavit, Muſatio rege eorum capto, opimaque præda ablata. Sunt autem Sclavinî (ſic enim Græci illos appellant, quos nos vulgo Sclavos vocamus) Scythicæ originis, quorum patriæ longinquitas vel ex eo colligi poteſt, quod qui ejus gentis legati Cajanum Avarum regem adibant, quum à ſatellitibus Mauritii Cæſaris (ut diximus) intercepti, rogarentur *Sclavini.*

quam diu fuiſſent in itinere, *decem & octo menſes ajebant ſe peregrè conſumpſiſſe.* Ex Tranſdanubiana Barbaria veniſſe Sclavinos docet Suidas quũ inquit, Σκλαφηνὸν ἔθνος, τὸ πέραθεν τῶ ἴστρου. Hij finitimis Barbaris, Avaribus, & alijs quum ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratia tandem populariter Danubium tranſeuntes, quanquam antè crebro per Imperatores repreſſi, quum idem tentarent, tandem langueſcentibus Imperii viribus in Illyrico conſederunt. Parsque horum una deinde Bojohemiam occupavit, & regionem proximam quam à Maravaha fluvio Maravaniam appellant. nam Bojeri Marcomanni cum Nariſcis & Hermunduris jam pridem in Noricum & Vindeliciam tranſierant.

Moravia.

SCLAVINI IN REGIONEM *Viſtulanam, quæ hodie Polonia appellatur.*

ALtera Sclavinorum pars lõgius profecta, in deſerta Vandalorum regione circa Viſtulam amnem & Sarmatiæ confinia ſedes fixit, & eum tractum novo Poloniæ vocabulo donavit.

Polonia.

VENEDI SCLAVINI IN *Germaniam,*

VEnedi Sclavinorũ natio paſſim habitant in agris Saxonum & Toringorum, urbibus carent. Vunnefridus Anglus, qui poſtea Bonifacius appellatus eſt, & Archiepiſcopus Magonci-

Magonciaci factus, in epiſtola ad Edoaldum Anglorum Principem, tradit *Vuendos fœdiſſimũ genus hominum, hunc habere morem, ut marito mortuo mulier ſe in rogum cremandam præcipitet.* Porrò quos alij Sclavinos appellant, Germani Vuilcos vocabant. Ipſi ſe Velatabos nominabant, & Vuinidas. Varias autem nationes comprehendit Sclavinorum nomen, Hevellos, Sorabos, & ſimileis. *Vuiltzi.* *Velatabi.* *Vuinidæ.*

Rerum Germanicarum libri primi, Finis

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS RERVM GERMANICARVM Liber Secundus.

FRANCORVM ADVERSVM Alemannos victoria, apud Tolbiacum.

HActenus gentiũ aliquot Germanicarum primum mutatas tantum ſedes, deinde etiã in Romanas provincias trans Rhenum & Danubium emigrationes explicavimus: nunc quid noſtris acciderit poſtea, quá ve fortuna ſint uſi tum Franci tum Alemanni, paucis perſtringemus: hiis adjecturi nonnulla ad illuſtrandam antiquitatem pertinentia de moribus, lingua, cultuque quorundam populorum. Igitur Franci & Alemanni quamdiu intra veteris Germaniæ limites manſere, pacem utrinque ſervarunt. Mœnus fluvius horum fineis interlabens dirimebat. Verum poſteaquã provincias Romanorum extinctis Imperii viribus occuparunt, Franci Germaniam ſecundam & utriusque Belgicæ partem, primam Germaniam & Rauracos cum Helvetiis Alemanni, graves inter illos ſimultates ex æmulatione ſunt exortæ, dum alteruter populus alterius potentiam increſcentem reformidat. Nec defuiſſe

fuiſſe credo qui frigidam (quod ajunt) ſuffunderent, quibus publicè & privatim expedire videbatur, alterutram gentem exſcindi. In horũ numero præcipui erant Romanorum magiſtratus, qui inſignes aliquot in Galliis urbes adhuc defendebant, nondum amiſſa ſpe reſtituendi Imperii Romani. Burgundiones & Gotthi clanculum ad pugnam incitabant. Haud aliter olim inter Pœnos & Romanos de ſumma rerum certatum eſt. Igitur Alemanni nihil territi infelicibus pugnis cum Hildericho rege habitis (vide mirabilem gentis audaciam) priores non modo laceſſiere bellum, ſed etiam in medium illud novum Francorum regnum, nempè in ſecundã Germaniam, Tolbiacum uſque Zulpach. qui Vbiorum vicus eſt, progredi inſtructis cohortibus ſunt auſi: ubi tanto periculo Francorum pugnatum eſt, ut nihil ſuperfuerit Ludovico regi, (quem Galli Clodoveum appellant) niſi ad divinam opem confugere, cujus tum præcipua cura (ceu quidam inquit) quum ſalutis ſpes nulla eſt. Itaque promittit ſe Chriſtianæ pietati nomen daturum, ad quam Gothildis uxor Burgundionica, fruſtra toties illũ adhortata fuerat, ſi de periculoſo hoſte victoriam reportare contingat. Affuit ſtatim invocanti ex animo, Chriſti numen. Vidiſſes ibi labentes Francos rurſum erigi, verſos in fugam ad pugnã redire, conglobari diſperſos; quid multa, totas acies in prælium reſtitui. Verſa vice fatigatos Alemannos fortuna deſtituit. Terga vertunt, & innumera millia à Francis occidione occidun-

tur. Eo die cecidit univerſa gloria & libertas Alemannorum. Neque enim deſtitit perſequi victor, quam latè patet nomen Alemannicum, non ſolum Germaniam primam, cum Elcebenſi tractu, parteq; Maximæ Sequanorum, ſed etiam trajecto Rheno veterem Alemanniam & trans Danubium Rhetiam primam penetrans, nec usquam conquieſcens donec partim ferro, partim ſervitute totam Alemannorum gentem perdominiſſet. Quæ Francorum incredibilis ſævitia fecit, ut aliquammulti ex Alemannis trans Alpeis ad Theodoricum Oſtrogothorum regem perfugerent. Quos ille tuendos ſuſcipiens, epiſtolam deprecatoriam ſcripſit ad Ludvichum Francum, cultiorem mehercule ſententiis quam verbis extat autem in variis apud Caſſiodorum, nos partem apponemus quæ nobis ſervit.

LUDVICHO REGI FRANCORUM THEodoricus Rex.

GLorioſa quidem veſtræ virtutis affinitate gratulamur, quòd gentem Francorum priſca ætate reſidem feliciter in nova prælia concitaſtis, & Alemannicos populos cæſis fortioribus inclinatos victrici dextera ſubdidiſtis. Sed quoniam ſemper in autoribus perfidiæ, irreſecabilis videtur exceſſus, quinetiam primariorum plectibilis, poſt culpa cunctorum debet eſſe vindicta, motus veſtros in feſſas reliquias temperate, quia jure gratiæ merentur evadere, quos ad parentum veſtrorum defenſionem reſpicitis confugiſſe. Eſtote illis remiſſi, qui noſtris finibus celantur exterriti. Memorabilis

bili triumphus eſt. ALEMANNUM *acerrimè ſic expaviſſe, ut tibi eum cogas de vitæ munere ſupplicare. Sufficiat illum regem cum gentis cecidiſſe ſuperbia. Sufficiat innumerabilem nationē partim ferro, partim ſervitio ſubiugatam. Nam ſi cum reliquis confligis, adhuc cunctos ſuperaſſe non crederis. Accipe in talibus cauſis frequenter expertum: Illa mihi feliciter bella provenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt. Is enim vincit aſſiduè, qui novit omnia temperare. dum jucunda proſperitas illis potius blanditur, qui auſteritate nimia non rigeſcit. Cede itaq; ſuaviter genio noſtro, quod ſibi gentilitas communi remittere conſuevit exemplo. Sic enim fit, ut & meis petitionibus ſatisfeciſſe videamini, nec ſitis ſolliciti ex illa parte, quā ad nos cognoſcitis pertinere.* Et quæ ſequuntur. Significat autem ultima clauſula, ſe non tam ex officio fortaſſis & amicitia, quàm fœdere cogi, ut exules Alemannos reſtituat, ſi ille nolit à perſequendo deſiſtere. Siquidem apertè teſtatur Agathias Græcus autor, extitiſſe Gotthorum clientes Alemannos, quibus erant tributarii. Fuit vero Luduichi gener Theodericus. Humanitatem itaq; conſidera quam Alemannis oppreſſis Oſtrogotthi præſtitere. Porrò tanti fuit Luduicho viciſſe bellicoſiſſimam gentem, ut non detrectaret doctrina Chriſtianæ pietatis imbutus baptiſmo tingi, Remigio ſacrorum antiſtite. Nam victoriam ſuperis planè ferebat acceptā. Exemplū regis proceres æmulati ſunt, & cœpit Francia paulatim tota Chriſtiana fieri. Nā pluribus Gallorū Chriſtus ignotus non erat, quippe Provincialibus.

STA-

Status Alemanniæ post eam *Victoriam.*

Hinc ſervitus nata, tam frequens occurrit apud Alemannos, quum Alemannos dico, Provincias etiam intelligo occupatas ab illis. Equidem rectè conijciunt Iureconſulti, ſervitutem noſtratium à bello habuiſſe initium. Sed hoc illud bellum eſt, quod majoribus noſtris priſtinam libertatem ademit: non quòd tota gens fuerit ſervitute damnata, ſed quòd bonam partem ſic Franci dejecerint, ne reſumere poſſent arma, ne ſe in libertatem avitam vendicare. Nec enim fruſtra ſcripſit in literis ſuis Theodoricus, *multo maximum gentis partem, quum ferro tum ſervitio ſubjugatam.* Sanè hoc Francis ſummo ſtudio fuit ut Alemannos premerent, quorū rebellionem ſummopere extimeſcebant. quid autem poſſint pauciores liberi inter innumeros ſervos? Atque adeo fuit multis admiſſis pœna conſtituta, ſervitus. Hij

Fiſcalini. ſervi Fiſcales, & ſimpliciter Fiſcalini vocantur,

Regii. quod res & corpus Fiſco Regis ceſſiſſet. unde & Regijs ſervis nomen. Erant inſuper

Eccleſia-ſtum. Eccleſiaſtici ſervi, quos ipſe Rex, aut Dux, aut Comes monaſterio donaſſet. Hinc videmus Abbates noſtrates ad hunc talia manere, ia poſſidere ex liberalitate Francorum Principū. Hinc illæ penſitationes originem habent, quibus multos ſcimus obnoxios, ut mortuo patrefa-

Beſt heupt milias præſtantiſſimum jumentum è ſtabulo procurator Abbatis abducat, vel veſtium pretioſiſ-

tioſiſſimam auferat. Quidam etiam in illo recenti Chriſtianiſmo res ſuas Eccleſiæ donabat, & rurſum agros aut domum in beneficij modũ recipiebant ad vitæ ſuæ tempus, non citra tamen penſitationem. nec filius poſt mortem patris aut hæres vendicare hic donata poterat. Hij coloni eccleſiaſtici dicebantur. Erant & regij coloni. Si qua libera puella colono regio vel eccleſiaſtico nupſiſſet, nulli agri paterni partẽ accipiebat propter inæquale conjugiũ. extat hoc in legibus Alemannorum. Tum regnum quod olim in complureis reges diviſum erat (quemadmodum ex Ammiano licet intelligere) verſum eſt in Ducatum. In hoc Romanos imitati ſunt Franci. nã illi Provinciarũ rectores, Duces appellabant. id quod ex libro Magiſtratuum Romanorum ſatis liquet. Unde *Formula Ducatus Rhetiarum* apud Caſſiodorum in Varijs. Deligebant autem Ducem ex nobili familia. Sic Bojeris Agilolfingorum antiqua gens diu Duces dedit: è qua Vuelphones prodiiſſe ſuſpicor, quos Ottho Friſingenſis ab Aldulfo cognominat. Ubi quidam putant legendum, *ab Aldorpio*. Hoc autem privilegium habebat ea familia à priſcis Francorum regibus, ut ſiquis fidus regno prudensq́ue ex eadẽ progenitus compertus fuiſſet, non aliunde quiſquam aſciſceretur in Ducem. Teſtatur hoc in legibus Bojoariorũ ipſe legislator Theodericus. Nec tantam poteſtatem habebant Duces, quantam hodie videmus habere. Siquidem perſæpe ſe tantum Duces militum nomina-

mina-

minabant, quemadmodum in vetuſtiſſimo diplomate apud D. Leodegarium Lucernatem ſcriptum eſt, *Ego Vuighardus, & frater meus Ruopertus Dux militum regis Luduuichi*, & quæ ſequuntur. Fuit autem is Ruopertus Alemãniæ Dux ſive Sueviæ. Ergo prima dignationẽ ſub Francis in Alemãnia habebat Dux, proximã Comites. Regiones ipſę per Centenas diſtinctæ erant, unde Centenarii nomen. Is magiſtratus Cẽtenæ præſidebat Comiti ſubjectus. Proximè Heidelbergã adhuc apparet Centenæ veſtigiũ in aliquot pagis, & mãſit vocabulum. Nã Franci in gubernanda plebe Romanorum conſuetudinem in Galliis repertam, etiam ad alios populos unà cum ipſis vocabulis tranſtulerunt. Ludeuuichus rex, *Volumus*, inquit, *atq; jubemus, ut miſſi noſtri diligenter inquirant, quot Liberi homines in ſingulis Comitatibus maneant. Hinc verò ea diligentia & ratio examinetur per ſingulas Centenas, ut veraciter ſciant illos atq; deſcribant, qui in Exercitalem ire poſſunt expeditionem.* Hæc illic. Nam quæ de Centenariis apud Germanos ſcribit Tacitus, non ſunt huc trahenda. Nec Duci Vicarius deerat, nec Comiti. Qui in conſiliũ adhibebantur, Ratzenburgii ſunt appellati Germanica dictione. Novum Francorum imperium etiam cultum Chriſtiani nominis in Alemanniam invexit. Nam (ut antè diximus) Ludeuuichus, quem Clodoveum appellant, jam Chriſto nomen dederat. Nec inauditum erat ſacratiſſimæ religionis nomen in Galliis & Germaniis provinciis, ſicut nec in cæteris, videli-

Centena. *Zenten.* *al. Rachimburgii.*

[illegible] que Rhetia, Norico & Pannonia, [illegible] Maternus, qui hic D. Petri juſſu doctri-nam [illegible] primum enunciavit, non [illegible] eſſe [illegible]. Apud Hellũ [illegible] illuc [illegible], in quo jacuerit mortuus [illegible] vitæ reſtitutus, ut adhuc Treveros [illegible] erudiret. De tem-[illegible] certus. Irenæus nam-que [illegible] ſcriptores Chriſtianos, qui [illegible], proximuſque temporibus [illegible] (nam auditor Polycarpi illius [illegible] Evangeliſtæ verſatu) ſatis in-[illegible] ad Chriſtum cito cõverſam, [illegible] fuit & in primam & ſecundam dividitur, ſic ſcribens in primo libro [illegible] hæreſes. *Nam etſi*, inquit, *[illegible] ſunt, ſed tamen virtus [illegible] eſt. Et neque hæ quæ in [illegible], Eccleſiæ aliter credunt [illegible] neque hæ quæ in Hiberis neque hæ [illegible], hæ quæ in Oriente neque hæ quæ in [illegible], hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in me-dio [illegible] conſtitutæ. Sed ſicut ſol creatura [illegible] unus & idem eſt, ſic & lumen [illegible] veritatis ubique lucet, & illuminat o-[illegible] qui volunt ad cognitionẽ veritatis venire.*

[illegible] retulimus In Rhetia [illegible] Afram, Largio-[illegible] In Norico [illegible] Florianũ quorũ ſup-

ſupplicia ſatis declarant Chriſtianam ibi pietatem pullulaſſe, non ita diu poſt Apoſtolorũ tẽpora Sic enim Rhetos Narciſſus docuit, ut Servatius Tungros & Utricesiẽſeis (quos Traiectẽſeis dicimus)Beatus Agaunẽſeis. Sanè de Magõciaco nota eſt D. Hieronymi ſentẽtia, qui tradit *quondã civitatem captã atq; ſubverſam* ſcribit (de Francorũ & Alemannorum in Galliam immigrationibus loquens) *& in Eccleſia multa hominum millia trucidata*. Per hoc enim ſignificat, multos illic Chriſtianos occubuiſſe. At in ipſam Germaniam, quam ego diſcriminis cauſa veterem appello, nemo facile fuiſſet admiſſus, qui contra receptas gentium ſuperſtitiones aliquid ſe dicturum foret pollicitus. Rudiores enim erant quàm qui nova doctrina caperentur, aut à deliriis avocari poſſent. Sic tum Deo viſum eſt, qui gratiam hominibus impertitur pro voluntate ſua. Provinciales prius amplexi ſunt Chriſtum, ut puta civiliores, & linguam callentes Romanam: qua divini verbi præcones utebantur, ex urbe Roma ſi non ab Apoſtolis, certè ab Apoſtolicis viris ſummiſſi. Nam Occidentalia illa regna Chriſti cognitionem Romanæ ſedi debent. Provincialibus immixti prius Burgundiones (nam maturius Rhenum tranſgreſſi ſunt) poſterius Franci inſtigante Gothilde Burgundionica Ludeuuichi uxore, Chriſtum adorare cœperunt. Ab hiis Alemanni, & qui poſt hos à Francis devicti ſunt, ut Toringi, Boioarii, Saxones, Sclavini, Nortmanni. Poſtremo, Heſſi, Friſſii, & cæteri religionem ſuſcepere. Nam
apud

apud Magunciacum Vunefridus Anglus, qui & Bonifacius, Amandus, Florentius, & Arbogaſtus, apud Argentoratũ, apud Augiam majorem Gallus & Pirminus, inſtauratores dici debent, non autores primarii Chriſtianæ religionis. Sed ne quis de Alemannis me putet hæc fingere, Agathiæ verba aſcribam, vel potius interpretis: nihil aũt novit is aũtor, ut homo Græcus, de conflictu Tolbiacenſi: ſed tantũ ſcribit Alemannos à Gotthis quibus tributarii erant (quod tamen ego minime credo) propter bella difficillima quæ in Italia gerebant, dimiſſos; & poſtea à Francis ſuſceptos. Scilicet Alemanni fortiſſimi Germanorum elatiſſimiq;, ſua ſponte ſe Francis, quibus non modo pares, ſed etiã ſuperiores eſſe volebant, ſubmiſiſſent. Sic itaq; *Alemannorũ gentem*, inquit, *per Gotthos dimiſſam Theodebertus in ditione accepit, Quo mortuo, ut ſupra jam diximus, ad Theodebaldũ filiũ, cum cæteris & his ſimul in poteſtatem ceſſerunt. Huic gẽti legitima quædam & patria ſunt inſtituta. Siquidẽ in rebus publicis adminiſtrãdis & magiſtratib. Francorum politiã ſectantur & leges. In hiis tamẽ quæ ad religionẽ ac deũ ſpectant, ab hiis longe diſſentiunt, nimirum qui arbores quaſdã adorent propitientq;, nec ſecus & fluminum aquas, colleſq; & valles, quibus perinde ac religioſe id agant, equos & boves & infinita huiuſmodi pecora deſectis cervicibus immolant. Sed cum Francis aſſidua converſatio maximum hiis in modum conducit, & emolumenti plurimum affert, ad ſeq; cottidie trahit, qui ſui compotes ſint. Et ſpero fore ut non lõgo*

pòſt temporis intervallo, iſtorũ pervictura ſit pertinaciam. Hactenus interpres. Attendendũ verò quod dicit, ab Alemannis arbores & ſaltus adorari. Sic narrat Tacitus, Suevos in ſylvã quãdam ſtato tempore coire, & alterius nemoris meminit in Oceani inſula. Sed & de Germanis omnibus generatim loquens, *Lucos*, inquit, *ac nemora conſecrant, deorũq; nominib. appellant ſecretum illud quod ſola reverentia vident.* Item de ſacerdotibus. *Effigiesq; & ſigna quædam detracta lucis in prælium ferunt.* Porrò quod ait, Francorum politiam ab Alemannis receptam, hoc arguit jam ſubjugatos fuiſſe. Sic & Ripariis & Bojeris præſcriptæ leges. At difficile fuit delitia ſuperſtitionum relinquere. Metu pœnarum erant adigendi. Nam extat lex non ferianti die dominico perpetuã interminans ſervitutẽ. Antiquiores Alemanniæ Duces non reperio quàm duos fratres huius nationis, Leutharium & Buccelinũ, quos Agathias Leutharim & Bultinum appellat. Miſit hos Theouualdus rex Luitmeri F. quem Galli Clodomirũ vocant, cum ſeptuaginta duobus millibus Alemannorũ & Francorũ in Italiam pro Gotthorum ſubſidio quos Narſes delere parabat. Nam legatos miſerant in Franciam Gotthi. Campania ab hiis vaſtata eſt, Apulia, & Calabria. Parcebant templis Franci, jam Chriſtiani. Secus agebant Alemanni ſacroſanctæ religionis adhuc expertes, ne à loculis quidem mortuorum violandis manus abſtinẽdo. Leutharius cum opima præda domũ rediens in tractu Venetiæ periit. Buccelinus ab Aligerno Got-

Alemannorum Duce, quorum propugnandorū gratia in Italiam venerat, & Sinduuale Herulorum præfecto, qui Narſetis partes adjuvabant, occiſus eſt. Erant in exercitu vates Alemannici, qui prædicebant incipiendi prælii tempus, & eventum. Auctor Agathias. Taliū fatidicarum mulierū apud Germanos, meminit Tacitus, & Cæſar libro primo commentariorū. Porrò Carolus Martellus Luitfridū Alemanniæ Ducem rebellantē profligavit, Suevis denuo ſubjugatis.

FRANCORUM CUM BURGUNDIONIBUS *Bellum & Victoria.*

Gundeuualdus Burgundionum rex, ille Liguriæ populator, dum Oſtrogotthorum Herulorum Italici regni poſſeſſores exturbantium armis ſurſum atq; deorſum omnia miſcentur, à Ludouuicho Francorum rege profligatus in campo, obſeſſus poſt & deditus, annuo tributo promiſſo liber dimiſſus eſt. Luitmerus (qui & Clodomirus) Ludouuichi F. in Sigiſmundum, qui poſt Gundeuualdi patris mortem Burgundionum regnum ſuſceperat, movit, & fugatum aſſecutus, interjectis aliquot diebus una cum liberis jugulatum in puteum abjecit. Hujus crudelitatis cauſa fuit, quòd ipſe Gundeuualdus neptis ſuæ Gothildis quæ Ludeuuichum nupſerat, parentes ſuſtuliſſet, ſicque regnū uſurpaſſet. At Clodomirus poſtea cum Gundobaldo Burgundione congrediens, qui regnū ad ſe trahebat, interfectus eſt, cognitus hoſtibus à promiſſa cæſarie, cum cecidiſſet: nam

hoc Francorũ regum inſigne erat cæteris omnibus attonſis. Burgũdiones abſciſſum Clodomiri caput Francis oſtendentes, tantam illis incuſſere formidinẽ, ut acceptis conditionibus, qui daturi venerant, diſcederent. Huius pugnæ meminit Agathias. Non diu pòſt Luitharius & Hildebertus cæſum fratrem ulturi cũ magnis copiis in Burgundiam proficiſcuntur, Gundomarum cum uxore capiunt, toto Burgundiæ regno potiti. Cæterum in annalibus Francorum relatum eſt, Burgundiam centum & xxx. annos paruiſſe Francis, ſed ætate Henrici regis ad Chunradum Auguſtum reſpicere cœpiſſe, ſicque diviſam, ut regionis partem quæ Campaniæ eſt vicina, Franci: quæ ad Veſontionem adjacet, Germani ſibi vendicent. Hæc diviſio bellorum ſeminarium fuit. De latiſſimis Burgundiæ finibus monuimus ſuprà. Nam Aureliam & Ligeris partem, & totum ferè Rhodanum complectebatur. Unde D. Mauritii cœnobium Agaunenſe, proximè Octodorum, à Sigiſmundi Burgundionum regis fratre extructum eſt. nam illuc uſq; & longius multo Burgundiæ regnum protendebatur.

FRANCORUM ADVERSUS TORINGOS *bellum & victoria.*

HIrminfridũ Toringorũ regem, cui Theodorici regis Oſtrogotthorum ex Almafrida ſorore neptis Amalberga nupta erat, Hildebertus Ludeuuichi (qui & Clodoveus) F. ad Oneſtrotũ amnẽ fudit caſtriſq; exuit. mox Tolbiacum,

h[illegible], qui vicus [illegible]orum eſt, per blanditias ad ſe [illegible], de pergula mœnium in qua colloquentes obambulabant, nimis ſecurū hoſpitem præcipitat, univerſo Toringiæ regno potitus, poſtquam Hirminfridi liberos trucidaſſet. De hac re longam hiſtoriam narrat Abbas Urſpergenſis, belli cauſam exprimens. Eodem tempore ſororem Theodorici Francorum regis Hirminfridi fuiſſe conjugem apparet: fortè poſt mortem alterius, de qua antè meminimus. Is vero ſcriptor omnia refert ad Theodoricum, qui fuit Heldeberti frater germanus. Toringi poſtea cum Saxonibus ductu Ludeuuici provinciarum Orientalium regis, Carolū cui Calvi cognomen fuit, in ipſis Rheni ripis [illegible], in fœdam fugam relictis impedimentis & rebus omnibus verterunt.

FRANCORUM ADVERSUS SAXONAS *diutinum bellum, & victoria.*

CUm hac gente Franci multis ſeculis bella geſſerunt. Luitharius Hildeberti frater, Ludouuici F. domitos a ſe Saxones quum pro miſſum tributum (id erat quingentorū boum) non perſolverent, bello repetens, absque gloria, ſed non absque damno, Sueſſionem redit. [illegible] quum poſt aliquot temporum intervalla [illegible] alterius Luitharii F. moviſſet, [illegible] commiſſa pugna grave vulnus [illegible] immotus adoleſcens, ſed tamen [illegible] Luitharius accepta, filio

ſuppetias venit. Berchtoldum Saxonum principem obtruncat in fuga comprehenſum, & penetrata regione, vaſtatiſque cunctis, mares pueros omneis occidit, quos gladio ſuo reperit longiores. Sub Carolo Martello rebellarunt. Pipinus eos adegit, ut ſingulis quibusque annis trecentos equos velut tributum penderent. Sed edomantæ gentis vera laus Carolo Magno Pipini F. reſervabatur. Is tandem XXXIII anno hoc bellum confecit, quo nullum neque difficilius neque longius unquam a Francis geſtum eſt. Tranſtulit decem milia Saxonum cum uxoribus & liberis in Germaniam inferiorem, hoc eſt in Flandriam & Brabantiam ex magna parte. Columnam vero ligneam illam quam ſub dio poſitam gentiliter adorabant, evertit. *Hirmin-ſul* ab illis appellabatur. Et Vuitikindus Saxonū princeps Chriſtianam pietatem profeſſus eſt, ſuſceptore Carolo Aug. ſalutaribus aquis ablutus, plebe ducis exemplum haud ſegniter æmulante.

Francorum adversus Fri-*ſios victoria.*

FRiſii Gallias incurſabant: quare Carolus Martellus rex expeditione navali Radbotonem ducem eorum adortus, victoriam de hoſtibus reportavit.

Franco-

Francorum adversus Baioarios victoria.

Bajoarios olim à Francis fuiſſe ſubjugatos, Theodoricus Francorum rex Ludeuuichi F. argumento nobis eſt. Nam is leges ei genti dedit. In quibus Agilolfingorum familia celebri elogio ornatur. In Bajoarios, fortaſſe tumultuantes, legimus Carolum Martellum moviſſe. Sed Taſſilonē rebellantem uxoris inſtigatione, cui dolebat pater regno pulſus & exul, nempe Deſiderius Langobardorum rex, & promittentibus auxilia Avares proximi, Carolus Magnus facile compeſcuit. Læſæ majeſtatis reus Taſſilo cum Theodone F. quem obſidem Carolo dederat, in monaſterium * mutato cultu detruſus eſt, & provincia aliquandiu per Comites Francorum adminiſtrata. * Lauriſ-ſam.

Francorum adversus Langobardos victoria.

Pipinus Hilderico dejecto Francorum rex, hortatu Stephani Romani Pontificis contra Haiſtolphum Langobardorum regem trans Alpes profectus eſt, & tandiu Papiæ illum obſeſſum tenuit, donec obſides quadraginta daret, non dimittendos niſi Romano præſuli foret ſatisfactum. Anno evoluto quum nihil eorum præſtitiſſet, quæ fuerat pollicitus, iterum à Pipino obſeſſus eſt, & Exarchatu Ravennate ſpoliatus. Huius filium Deſiderium Carolus Pipini F. in deditionem receptũ poſt longam obſidionẽ, ex-

ulare juſſit, eius quoq; filio Adalgiſo extra Italiam ſummoto. Tum Italiæ rex datus Pipinius, quem ex Hildigarde Sueva Carolus Magnus ſuſceperat.

FRANCORUM DE SCLAVINIS *victoria.*

SClavinos quos hodie Bohemos, Polonos & Wendos, hoc eſt Venedos appellamus, qui totam Germaniam turbabant, una tantum expeditione domuit Carolus Magnus, ductu Caroli filij, ſed non ſine Saxonum auxilijs. In Toringiam irrupiſſe Sclavini Dagoberto principe leguntur. Henricus, ſecundus Germaniarum rex, qui Chonrado Franco ſucceſſit, Sclavinos Bohemos tributarios regno Germanico fecit, quod hodie Romanum Imperium appellatur.

STATVS GALLIARVM, ET Germaniarũ ſub Francis regibus & Impp.

OMnia redundabant ſervis (ut diximus ſuprà) tã fiſcalinis ſive regiis, quam Eccleſiaſticis. Proinde tędio ſervitutis multi monaſticã vitã profitebantur. Unde lex extat, eatenus hoc fieri permittens, ne pagi juſtis cultoribus deſtituãtur. Erant & Tabularii ſive chartularii libertorũ genus, In hos jus habebat eccleſia. Sed Fiſcalini privilegiis eccleſiaſticos vincebant. Nã liber homo habens uxorem Fiſcalinam regiam, aut mulier libera habens Fiſcalinum maritum,

nihilo

nihilo deterioris conditionis hoc nomine effi-
ciebantur. Quin ipſi nobiles & cives habebant
mancipia. unde de conjuratione ſervorum in
Flandris, Menapiſco, & cæteris ad mare locis fa-
cta, meminerunt leges Francorũ. Unicuiq; ferè
civitati Comes præſidebat. Is velut advocatum
quendam Epiſcopi agere cogebatur. nominatur
aliquando Judex Fiſcalis, Centenarios à Cente-
no dictos (quarum antè meminimus) Vicarios,
& Scabinos ſub ſe habebat. Erant præterea Co-
mites ad cuſtodiam maritimam, item ad Mar-
cam tuendam deputati, quos hodie Marchiones
vocamus, Germanicè *Marcgrafios*. Nobiles be-
neficiis regiis ornabantur, & Alodiis. Hii proprii *Allodia.*
juris erant, fortaſſe Germanico vocabulo ſic
dicti, quod familiæ velut coagmentata ſint &
conjuncta, hoc eſt, inſeparabilia à familia, *ein An-
lod*. Unde plerũq; negligebãtur beneficia regia,
Alodia curabantur, quæ res ædita lege prohibe-
tur. Divites interdũ colonis agros locabant ſub
reditu Tertiarũ. Præſcriptio xxx. annorũ robur
habebat. Civitates quædã Romanis legibus ute-
bantur. Ipſi Franci nunc Salicam legẽ, nunc Ro-
manã, nũc Gũbatã præferebãt. Salici Franci ma-
jus privilegiũ habebant. Nam hii ſolidum xii.
denariorum pro mulcta ſolvebant. Si Friſius aut
Saxo offendiſſet Salicũ Francum xl. denariorũ
ſolido mulctabatur. Res eccleſiarũ in beneficiis
ex liberalitate regia poſſidebant nobiles, etiam
dominicas decimas quæ ad ſacella regia perti-
nebant, diverſas à Parochianis. Sed adverſus
hunc abuſum nõ deſinebant clamare Epiſcopi.

Vel libero homini non licebat ſeſe addicere monaſterio, niſi conſulto principe. Nam quidā hoc faciebant, non ſtudio pietatis, ſed ut pericula bellorum & civilium functionum moleſtias evitarent: quidam quód opibus pollerent, à callidis monachis circumveniebantur, illos velut piſcem in naſſam pellicientibus. Quam ob cauſam legitimis teſtibus opus erat, ſi quis aliquid Eccleſiæ donare voluiſſet. In puniēdis facinoroſis multo dementiores fuerunt, quàm hodie ſumus. Illis enim etiam tonderi pœna erat. Deſeruiſſe exercitum inter capitalia numerabatur. Id flagitium Franci vocabant *Heriſcl.tz*, quaſi dicas exercitus ſciſſionem. Utebantur judicio aquæ frigidæ, aquæ ferventis, novem vomerum candentium, & examine Sanctæ Crucis: quæ omnia póſt prohibita fuere. Saxonum devictorum auxiliis multa geſta ſunt. Si in remotas regiones proficiſcendum erat, puta Hiſpaniam aut Avariam, quæ Norico ab Alpibus contingebat, quinque Saxones ſextum inſtruebant. Si contra Sclavinos Bohemos duo tertium inſtructum mittebant. Si in Sorabos, omnes venire cogebantur. Sic ſex Friſii tenuiores ſeptimum armabant. Sed infinitum eſſet omnia perſequi. Volumen legum Francicarum in vetuſtis bibliothecis extat: ex quo nos unam aut alteram adhuc apponemus.

Leges aliquot Francorum

Mendici per regiones vagari non permittuntor. Suos pauperes quæque civitas alito.

ſeo. Illis niſi manibus operentur, nullus quicquam dato.

Mangones vagabundi & Cotiones, qui impoſturis homines ludunt, coercentor. Mangonum adhuc nomen & res apud Germanos manet. *die Mengen*.

Nemo pluris vendito aut emito, quàm ſagũ optimum & duplum xx. ſolidis. Simplex x. Vilis autem minoris. Roccum Martrinum ſeu Lutrinum optimum xxx. ſolidis. Sismuſinum optimum x. ſolidis. Qui ſecus faxit, xl. ſolidis mulctator, & delatori xx. ſolidos exſolvito. Hæc lex ſatis declarat qua lingua ſint uſi Franci. Gaudebant autem pellibus.

Facinoroſus oculum pro prima culpa perdito, culpam iterans naſum truncator, Tertio deprehenſus capitalem pœnam luito.

Qui faidam deſerere noluerit, ad regem mittitor. Faidam vocabant Franci ſimultatem apertam, qua unus aliquis uni vel pluribus bellũ denunciat. Ab hac Gallicani ſcribæ Faidoſum appellant qui faidam exercet. Germanis notum nimis vocabulum eſt. *Fhedo.*

Nemo militiæ ſocium ſuum aut quemlibet alium ad potandum invitato. Quòd ſi quis ebrius repertus fuerit, ejectus quoad culpam agnoſcat, aquam bibito.

Ad regem vel in bellum proficiſcens aut rediens, à vectigali quod Straſturam vocant, immunis eſto. Straſturam Germani hodie, & Vegſturam appellant. *Straſſeur. VVegſteur.*

De rebus quæ ad victum pertinent, niſi quis hu-

huiuſmodi negotiationem exerceat, & de Saumis, nullus teloneum pendito. Hac immunitate & qui ſacra loca adeunt gaudento. Saumarum nomine clitellaria iumenta intelliguntur.

PIETAS FRANCORUM. ET DE TEMplis ac hoſpitalibus Scotorum.

STudium ſuum erga Chriſtianam religionem vix alia re magis declararunt priſci Francorum reges, quàm quòd inſignia templa Chriſto Opt. Max. paſſim dicarunt, adiunctis cœnobijs & ſodalitijs, quæ veluti ſeminaria quædam eſſent ac præſidia religionis, ut ſi ferarum nationum incurſionibus contigiſſet nos opprimi, ſupereſſent qui pietatem extinctam reſtituerent. Itaque poſt Tolbiacenſem victoriam Chriſtianis myſterijs nuper initiatus rex Ludevuichus (qui & Clodoveus) nihil prius habuit, quàm apud Argentoratum oppidum Alemannorum populatione ſæpius antè vexatum, ſed ſuperiori tempore ſub Attilanicam irruptionem funditus everſum, divæ Virgini matri templum extruere. Sic enim iactat fama. Nec dubito quin Magonciaci idem *Moguntia.* fecerit. Nam ſcribit D. Hieronymus, *Magonciacum quondam nobilem civitatem captam atq; ſubverſam*, quod Alemannis patratum arbitror, Francis Agrippinam & Tungros potius aggreſſis. quanquam Moguntiacum gentis utriuſque confinia aſpectabat. Quis verò crediditſſet futurum, ut quod tanta rabie erant demoliti, tanto

rurſum

rurſum ardore reſtituerēt? Jam ipſa tēpla cœnobialis anſam præſtitere reædificādis oppidis. Verbi gratia. Multis annis habitatū eſt in ruinis veteris Argentorati, & locus à palatiolo regis, qui ibi nonnunquā agebat, nam jam erat vicus, aut à prædio, *Kunigeshofen* dictus. Verū monaſteriū ipſum nonnihil diſtante ædificatum loco, cui cupiebat optimus quiſq; ædes habere conjunctiſſimas, muniri cœpit & muro claudi. Itaque ex oppidulo cœnobiali, nam cœnobium potior pars erat, contractis eò vicis proximis tanta poſteriori tempore eſt urbs conſtituta. Eadem ratione nunc propius Rhenum viſitur Magonciacum, quod olim pluſculum diſtabat. Idem accidiſſe Spiræ conjicio, quem ego locum à Romanis militibus, *ad Pirum* olim vocitatum ſuſpicor. Nam Neomagus Nemetum (ni fallor) fuit, ubi divi Germani templum aliquādo ſtetit Igitur occaſione cœnobiorum in Germaniis provinciis oppida iſta fieri cœpta. Cæterum non minorem laudem meruere pii Reges extructis Xenodochiis ampliſſimis in Gallia, quæ luculento reditu donarunt. Sed & ea tempeſtate Scoti monachi multa xenodochia paſſim erexere, locupletiorum hominum auxiliis, qui res ſuas in rem tam ſanctam non gravatim communicabant. Hujus generis diverſorium fuit apud D. Thomam Argentorati, multique inde ad epiſcopi munus aſciti ſunt. Extat in volumine legum Francicarū, caput Meldenſis ſynodi, quo rex admonetur, *ut hoſpitalibus tam regiis quā Scoticis proſpiciat, quorum res in longe*

Argentoratum.

Spira.

Scoti monachi.

alinum

alium uſum ab improbis hominibus vertantur. Huc pertinet quod Dagobertus rex novas diœceſeis epiſcoporum inſtituit, ut Argentoratenſem, quum Mediomatricorum ditio olim ad Rhenum uſque protenderetur, & Conſtantienſem, quam à Vindoniſſa antè nomen habuiſſe ſunt qui tradant, ubi primum ea ſedes fuerit. Sanè reperi in quodam vetuſto codice, qui de conciliis antiquis Galliarum tractat, inter ſubſcribentes ſic annotatum, *Bubulcus epiſcopus Vindoniſſenſis.* Item *Conſtantius epiſcopus Octodurenſis*, quæ tamen ſedes hodie non eſt Octodori (quod vulgo Martenacum appellatur) ſed in oppido Sedunorum. Nec inſtituit modo, ſed & proventibus & prædiis exornavit. Nã ꝙ hodie Ruvahenſi tractu fruitur Argentoratenſis antiſtes, Dagoberti munus eſt. *Manthatum* vernacula lingua Franci vocabant, à mannis, hoc eſt clientibus ſive beneficiariis qui illic agros colebant. Neque enim Romanè Franci loquebantur, ut *Munus datum* interpretari debeamus, ceu multi fecere. Conſtantienſi ſedi prædia ſua & tributum ſive vectigal, quod in vico Colmarienſi dotis nomine poſſidebat, liberaliter largita eſt Berthrada regina: cujus filius Carolus cognomento Magnus veterum beneficentiam longe vicit. Nam quum octavo demum anno bellum Hunnicum perfeciſſet, theſauris Cajani principis potitus (quos ea gens id temporis in Pannonia habitans, ex toto orbe ſpoliato convexerat, nec unquam opimiorem prædam nactos Francos legimus) in primis

Mundat.

pium

pium exiſtimavit epiſcopalibus cœnobiis, & cæteris monaſteriis bonorum acquiſitarum opum partem decidere. Hinc illæ divitiæ templi Maguntinenſis, ubi crux ex auro ſolido fuit nomine Benna, pondere mille & ducentarum marcarum, in qua verſiculus hujuſmodi inſcriptus viſebatur.

Crux ex auro ſolido Maguntiaci.

Auri ſexcentas habet hæc crux aurea libras.

Continet unaquæque autem libram duę marcæ. Fuerunt illic inſuper duo calices aurei, quorū minor decem & octo marcas auri optimi habebat major longè plures, adhæc anſatus uterque & tam ſupernè quam infernè gemmis pretioſiſſimis ornatus, craſſitudine digitali, altitudine ulnæ, non multum diſſimilis mortario, capiebatque vini ſextarium dimidiatum. Sed longū eſſet ornamenta cætera recenſere, puta pallas pretioſiſſimas, quarum altera centum, altera ſexaginta marcis æſtimabatur: præterea Grues argenteas, quæ pro maxima ara ſtantes fumum reddebant, item thuribula ac acerras & cola argentea pro vino propter ſacrificium. Verum primus theſaurum iſtum imminuit Rudulfus Clobelouchius frater ducis Zeringenſis, quem Arnoldo cæſo populus Maguntiacenſis ſubſtituit, dum regalibus (ut vocant) ſuſcipiendis & pallio redimendo quærit pecuniam, nam Bennæ (crucifixi nomen eſt) alterum brachium abſtulit. Porrò facile eſt perſpectu, tam immenſam auri vim à privatis donatoribus non veniſſe, ſed à magnis principibus, in primis autem à Carolo Magno, poſtquā Hūnorū opib. potitus

eſt,

eſt. Cæterum epiſcopaleis ſedes etiam in Metropoliticas curarunt provehendas Franci veteres. Sic Maguncíacum ad hoc faſtigium pervenit, ſic Agrippina, quum Vunefridum Anglũ in agro Londinenſi natum, qui Romæ Bonifacius transnominatus eſt, ad inſtaurandum in Germaniis Chriſtianum cultum, Francorum principibus, & Epiſcopis Alemanniæ, id eſt, Auguſtano, Conſtantienſi Curienſique Romanus antiſtes commendaret. Siquidem ad Bonifacium eum ſcribens Zacharias pontifex, *De civitate*, inquit, *illa quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta Francorum petitionem, Metropolim confirmamus*. Sic idem Chriſtianiſmi inſtaurator apud Germanos, faventibus Francis & aſſentiente duce Odilone, treis adhuc in Bojoaria conſtituit epiſcopos, quum antea fuiſſet unicus, nomine Unulo, diviſitque provinciam in quatuor partes, quo facilius Chriſtianum vivendi morem populus acciperet, & Paganiſmi reliquias abijceret. Apud Erphesfurdiam quoq; tum ruſticanam ſed ethnicam urbem, idem epiſcopalem ſedem inſtituiſſe ſe ſcribit in epiſtola gratulatoria ad Zachariã pontificem recens electum. Fuerat autem is à Gregorio ſecundo miſſus in Germaniam, ut populos quoſdam antea Chriſtianos, ſed in paganiſmum paulatim relabenteis, ſalubri doctrina ad puritatem Chriſtianiſmi reduceret, quales erant Toringi, Bojoarii, quales Friſii, qui (ut Gregorii ſecundi verbis utar) veluti ſub regione Chriſtiana, idolorũ cultui ſerviebant, à Vui-

Erffurt.

à Vuilbrordo per Sergiũ pontificem illuc miſſo [illegible]e primum converſi: quoſdam nihildum de Chriſto edoctos noſtræ doctrina religionis imbueret, ut Saxones, & Friſiorum ac Turingorum aliquam partem. Hic eſt ille Bonifacius, qui rogatus an liceret ligneis calicibus ſacrificare, reſpondit, *olim aureos ſacerdotes ligneis vaſculis litaſſe, nunc verſa vice ligneos aureis vti*. Cuius dicti memorabilis, in Decretis canonicis fit mentio, ſed verbis inverſis. *c. vaſa 42. Diſt. 1. De conſecrat.*

DIUTURNITAS VETERUM *Francorum.*

FRanci qui in Gallias è Germania tranſcenderunt, diutiſſimè regnum adminiſtravere, quum Gallicum tum Germanicum, per duas familias, unam Merovingorum, alteram Carlingorum. Priori initium dedit Meroveus, *Meroveus.* quem ego Meruuichum Germanico vocabulo nominatum fuiſſe conjicio, nam ſic ex Ludeuicho nobis Galli Chlodoveum fecerunt. Eſt autem *Mer* idem quod *Mater*. Inde Merovingi vernacula derivatione, quemadmodum à Sala Salingi, ab Harelo Harlingi, quorum olim fuit Bil[illegible]um, & ab Albi fluvio, Albingi. Nota eſt gens Nordalbingorum. Eadem forma à Carolo Carlingi dicti ſunt quia à Pipino & Carolo Magno deſcendere. *Karlingi.*

GERMANICUM REGNUM.

VErum quum Carlingorum ſtirps defeciſſet, Ludouico Arnulfi F. ſine liberis vita

functo, Germanicæ Franciæ populus, & Saxones, Othonem Luitholdi F. Saxoniæ ducem in regem eligere voluerunt Germanicarum provinciarum, hoc eſt, Germanica utentiū lingua, quæ tamen antè nunc uni & eidem Gallicum regnum & Germanicum ſimul adminiſtranti paruerant, nunc proprium habuerant regem, ſed ex Carlingorum genere, hoc eſt, Germanici ſanguinis. Ideo vero regem deligere ſtatuerant, quòd Francis Germanicis jam planè in Gallia abſorptis, parum decorum cenſebant imperio Gallicano ſubdi. Sed is Otho diadema regni Germanici noluit ſuſcipere, propter ſenium jam ingravaſcens. Indicavit tamen quiſnam regno foret præficiendus., nempe Chunradum Orientalium Francorum ducem. Is quum ſeptem annis regnaſſet, & ſentiret inſtare mortem, præterito fratre Germano Eberhardo, ſuaſit, Francis & Saxonibus, ut Henricum Saxonum & Toringorum Ducem, Othonis F. Luitholdi nepótem, moderandis regni habenis admoverent. Hunc quum ab archiepiſcopo Magonciacenſi Herigero ad unctionem & coronam Aquis ſuſcipiendam invitaretur, reſpondiſſe ferunt; *Abunde ſibi ſufficere quòd faventibus ſuperis & ſciſcente populo rex eſſet conſtitutus, hac gloria majores ſuos ſuperaturo quam primus in familiam ſuam inferret. Alius eas pompas captaret, nempe præſtantior. Se enim tanto honore parum dignum.* Movit deinde in Rudolfum Alemanniæ ducem, & Arnoldum ducem Bojoariæ, quorum uterque libenter Germanici

Henricus R.

nici

niſi regni faſtigium invaſiſſet, Sed facili negocio victi ſunt, ſe ſuaque omnia Henrico ſubjiciendo. Quum hæc fieri viderent civitates quædam in Gallis quæ non ſerviebant, ſed tantum certis conditionibus agnoſcebant Francos, de quarum numero præcipua fuit Arelas cum circumjacentibus oppidis, Geneva ad Lacum Lemannum, in Sequanis Viſontio, Tullum in Leucis, in Nerviis Tornacum, & ſimiles, ad Germanicum imperium reſpicere cœperunt, ut ſic libertatis compotes permanſuræ. Nam cum pluſculæ civitates Romanis præfectis uſæ, Viſigothis & Burgundionibus pertinaciſſime reſtiterunt, ut boni conſulerent Barbari quod certis pactis & fœderibus haberent obnoxias. Unde regnum Arelatenſe natum, cujus ſe Cancellarium ſcribit antiſtes Trevirorum, unus è Septemviris quibus Imperatoris deligendi commiſſa cura. Arelatenſis regni pars fuit Sabaudia. Proinde ei tractui primum Comitem oriundum è Saxonia dedit Imp. Cæſ. Otho. A quo familia iſta Ducum deſcendit, quæ titulum Sigiſmundo Cæſari debent. Verum Carolus Lucelburgius eius nominis quartus Imperator, quum aliquando Lutetiam Pariſiorum veniſſet ad Carolum Galliarum monarcham, comite filio ſuo Romanorum rege Wenceslao, magnificeq; & benignè fuiſſet exceptus, filiũ regis Vicarium Imperialem in regno Arelatenſi inſtituit, & aliquot caſtella donavit. Sic enim in annalibus Gallorum proditum eſt. Porrò duo iſti Germanici

Arelatenſe regnum.

regni monarchæ Chūradus & Henricus, primi per Franciam Germanicam & totam Germaniam regnarunt. Sanè Chunradus apud Aquaſgrani, quam primariam regni ſedem cis Alpes Carolus Magnus inſtituerat, unctus eſt & coronatus ab archiepiſcopo Maguntiacenſi. Henricus eam rem neglexit, ut antè diximus.

ROMANUM IMPERIUM.

Otho M. HUjus Henrici filius Otho rex eſt ab Saxonibus & Francis Germanis electus, ut patri vita functo ſuccederet. Hunc enim ex Mathilde genitum priuſquam regia gubernacula capeſſeret, quòd primogenitus eſſet & virtute excelleret (nam *Mundi amor* dictus eſt) cæteris filiis prætulit. Unctus eſt apud Aquas ab Hildiberto Maguntiacenſi præſule. Pugnavit vero cum Ungaris feliciter in campis Lyci fluvii non procul Auguſta, treisque devictorum hoſtium duces laqueo ſtrangulavit. Terminos Germanici regni promoturus, in Burgundiam profectus, & Regem cum regno in ſuam accepit poteſtatem. Ad preces Gozelini Leucorum antiſtitis oppidum Tullum evaſtatum cum templo reſtituit. In Saxonia argenti fodinas aperuit. Hugonem ducem (neſcio an Capetus ſit, qui Galliarum regnum uſurpavit) miſſis legatis irridentem Germanos, ut qui ſeptem Saxonica tela uno hauſtu ſe deglutire poſſe jactaret, & de copiarum multitudine quantam Otho nunquã vidiſſet, inſolenter gloriantem, una expeditione compeſcuit, Nam illi referri juſſerat, tantum ſe nu-

ſenumetum ſtramentitiorum galerorum adductum, quantum nec ille vidiſſet unquam. Utebantur autem Saxones pileis huiuſmodi textilibus, cujus rei quoque Ratherius Veronenſis meminit. In eo exercitu ſolus abbas Corbeienſis cum tribus clientibus, laneo capitio tectus fuit. Tandem in Italiam ivit Otho, non ſolum Joannis Romani pontificis & aliorum epiſcoporum, ſed & prophanorum principum & aliquot civitatum, querelis ac ſupplicibus literis evocatus: ibique Berengarium qui ſua tyrannide premebat Italos, biennio obſeſſum cepit & cum uxore Willa Adelbertoque filio Babenbergam abduxit. ubi regulus ille exul mortuus eſt, & monumentum habet. Ducem Beneventanum ſubegit, Græcis è Calabria & Apulia exturbatis. Italiæ liberator Otho jam Magnus, Langobardorum regno Germanis vendicato, progreſſus Romam, à ſummo pontifice Imperialem unctionem & benedictionem accepit, & Auguſtus appellatus eſt. Hinc Germanicum regnum Romani Imperii nomen ſortitum. *Imp. Rom.*

STATUS GERMANIÆ SUB IMPERATO- *ribus Saxonibus, & iis qui hos inſequuti ſunt.*

PRimus ſub veteribus Francis liberæ poteſtatis dux fuit in Saxonia Henricus Othonis pater, qui poſtea Germanico regno præfuit, ceu diximus. Idque eam ob cauſam, ut Sclavinos arceret, diligentius autem cuſtodiuntur quæ propria ſunt. Nec hoc jus cuiquam alioru

præſidum conceſſum eſt. At ſub Saxonibus libertatem nacti ſunt non ſolum provinciarum gubernatores, ſed & civitates ipſæ. Nam ut quæque plus bonorum quæ ad regnum pertinebant habuit, ita maturius & facilius ad libertatem pervenit. Verbi gratia, Seleſtadii vectigal quod in ponte & portu fluminis Elli ſolvitur (id olim propter frequentiſſimam navigationem non fuit contemnendum) partim ad res regni ſpectabat. erant & alii hic reditus eodem pertinentes. Nihilominus allodia, hoc eſt prædia propria poſſidebant Comites quidam à veteribus Frãcis donata, poſſidebant & alia jura, quæ poſtea dotium conjugaliũ nomine in Comitum Hohenſtaufenſium dominium venerunt, quos duces Suevorum poſterior ætas vidit. Ab his ad Cœnobialem præpoſitum divæ Fidei. Sed tamen bona regni vicerunt, ut ſolida libertate ſit donatus vicus, qui jam olim inter quatuor Romani vicos imperii annumeratur. Idem de cæteris oppidis accipiendum. Proinde civitates iſtis ſeculis mirum in modum crevere, & munimentis aliis ſuper alia firmiores factæ. Proximis autem annis civilitatis & literarum ornamenta acceſſerunt. Libet hoc loco referre pacis conventionem ab Elſatiæ proceribus & civitatib. olim initãm. Nam veterem eſſe vel hoc arguit, quòd Leonis Romani pontificis hic fit mentio, qui Comitum Dageſpurgenſium familia fuit progenitus. Unde cognoſcere licebit ejus tẽporis ſtatum, qui ſanè licentioſorum hominum turbis non caruit. Sed jam apponemus ipſam pacis

Sletſtat.

Quatuor Vici Romani Imperii.

pacis formula rudi illius ſeculi ſtilo perſcriptā. *Notum ſit omnibus pacem cupientibus, qualiter Alſatienſes cum ſuis primatibus ſubnotatam Pacis additionem, juxta comprovincialium ſuorum decretum conjuravere, & conjuratam perpetuo, prout homini licet, in hunc modum confirmavere. Pacem verò precipuè & ſemper & ubiq; omnibus Eccleſiis. & earum atriis, pacem Clericis omnibus & fœminis, mercatoribus, venatoribus, & cauſa orationis tranſeuntibus & agricolis dum operantur in agris, vel ad agrum exeuntibus vel redeuntibus. Hujus autem conditionis obſervantiam in dies & in tempora conſideratè diſtributā, à veſpera ſcilicet quartæ feriæ uſq; ad ortum ſolis feriæ ſecundæ, & in legitimis vigiliis, & in canonizatis ſanctorum feſtivitatibus, & in quatuor jejuniorum temporibus, & ab Adventu domini uſq; ad octavam Epiphaniæ, & à Septuageſima uſq; ad octavam Pentecoſtes, jurejurandô ſanxere, ut nullus in hujus cōditionis termino arma ferat, exceptis neceſſario tranſeuntibus, excluſis omnibus publicis regiæ majeſtatis hoſtibus. Quicunq; autem in prænominatis diebus & temporibus aliquem ſuum conjuratorem, aut rapina, aut incendio, aut captivitate, aut aliqua temeraria præſumptione infra cortis aut domus ipſius conſeptū aut temerè invaſerit, aut aliquem ad ſanguinis effuſionem temerè percuſſerit. Liber capitali ſum... mutilatur, Servus autem manu privetur. Si quis hujus conditionis reum occultaverit, vel occultatum aufugere fecerit, ipſe rei damnationi ſubjaceat. Et quiſquis furore vel aliqua hoſtili*

Coniuratorem Eo-cat, huius iuramenti fœdere cōiunctum, Eidgnos.

occaſione conjuratores ſuos injuſtè acclamaverit, vel temerè evocaverit, & liber & ſervus præfata damnatione puniatur. Et ſi quis aliqua intentione quaſi reus acclamatus fuerit, & ipſe innocentiæ ſuæ expurgationem appellaverit, liber vel perſonatus ſerviens, ſi infra patriam eſt, poſt vij dierum inducias cum totidem ſuæ comparitatis teſtibus. Plebejus autem & minoris teſtimonii ruſticus, aquæ frigidæ ſe expurget judicio. Si quis ſicli 1. aut duorum pretii furtum aut prædam fecerit, coriū cum capillis perdat. Si ſecundo vel tanti vel quinque ſiclorum furtum vel rapinam fecerit, manu privetur. Si tertio, abſq; omni dubietate ſuſpendatur. Si autem publica Imperatoris expeditione aut conditionali excitati fuerint acclamatione, tribus diebus proprio pergant victu. Si autem iter prolixius fuerit, caballorum tantum cibaria, & ad veſcendum ſumant neceſſaria. & nil præter herbam, olera, poma, ligna, & quæ ad venatoria pertinent exercitia, tollere præſumant. Equi autem admiſſarii (quod vulgariter Stuot vocatur) & vineæ, & ſegetes, ſub hac pacis conditione perpetuo permaneant. niſi forte aliquis ad paſcendum equum ſuum in tranſeundo indigeat, ſumat quod in paſcendo ſufficiat, in via tamen publicè. Quod quiſq; ante hujus conditionis decretum aliquo vel proprietatis vel regiminis jure poſſedit, & nunc eodem jure poſſideat. Si quis autem ſeſe ab hujus pacis ſacramento ſubduxerit, aut juraſſe falſo confeſſus fuerit, prænotato teſtium numero, prædictoq; teſtimonii judicio, ſi infra hujus decreti terminum converſari voluerit, affirmet. Et ſi

Imperiales, Alſatici.

affirmare noluerit, vel aliqua occaſione contradixerit, aut conditionali legi ſubjaceat, aut diſcedens diſcedat. Summopere autem omnibus hujus decreti invigilandum eſt & providendum authoribus, ne quid in hac conditione temere agatur & ſine diſcretione. Ad hujus ſacramentum juniores ſemper inducantur, vel etiam cogantur, hoc attendentes, quia quanto juniores, tanto negligentiores. Et ne tam utile tamq́; ſacroſanctæ pacis decretum odioſè negligatur, à ſacerdotibus diligenter caveatur, & quia LEONIS *papæ banno ſancitum eſt, cunctis dominicis diebus conſtanter doceatur. Et ſemper in quartæ feriæ veſpera, dei pacis adventus, ut oportet, cum ſonitu campanarum publicè indicetur.*

Leo IX. qui ante Bruno à Dagiſpurgo Comes.

BURGUNDIONES RELICTIS GALLIS *Germanico ſe regno conjungunt.*

QUũ viderent veteres Francos jã abſorptos eſſe, & rem ad Gallos rediſſe, Germanico regno (quod & Romanum dicebatur) ob eam nuper cauſam inſtituto, Burgundiones ſe conjunxerunt, Germani Germanis. Ac pridem Otho Magnus Arelatenſe regnum & Burgundiã in fidem acceperat. Verum interjectis aliquot annis Rudolphus Burgundiæ rex jam vitam cũ morte commutaturus, coronam ſuam ad Cunradum Aug. hujus nominis primum, miſit. Unde Germanis certum in Burgundiam & Arelatenſe regnum jus. Siquidem Arelate quondam Burgundionum regia fuit.

Francorum Nomen apud Ciceronem non extare, depravatumq́; eſſe fœdè locum.

APud M. Ciceronẽ Epiſtolarum lib. xiiij. quas ad Pomponium Atticum ſcripſit abſtruſis ſenſis & ænigmatis plenas, in æditione vulgata ſic legitur, *Redeo ad Theobaſſos, Suevos, Francones.* Eſt autẽ ejus epiſtolæ initium, *Pridie Iduum Fundis accepi tuas literas cœnans.* Quare plerique eruditorum hoc loco freti tradunt Francones à Cicerone nominatos. Equidem mihi perpenſis Tullii verbis, quum viderem eum de Germanis agere qui in Galliam ante Julii Cæſaris adventum tranſiiſſent, ſuſpitio naſci cœpit, totum locum eſſe depravatum. Quis enim Theobaſſorum nomen unquam aut audivit aut legit? Et quid Suevi in Gallia faciunt, adeo procul à Rheno diſſiti? Itaque volumen manu ſcriptum requiro, quod ex Laurisheimẽſi Bibliotheca Joan. Sichardus noſter nuperrime attulerat. In eo mera portenta verborum ſcripta reperi, in hunc modum, *Redeo adtebaſſos ſcacuas Frangones.* Cœpi deinde literarum ductus ſcrupuloſius rimari, deprehendique Germanam Ciceronis lectionem hanc eſſe, *Redeo ad Betaſios, Atuas, Vangiones.* Quid ſeduxerit ſcribam, non pigeret me referre, niſi lectori moleſtum id futurum putarem, nec reſpondent veterib. notulis formulæ Typographorũ. Jam ut melius Ciceronis mens intelligatur, operæprecium eſt abſcribere verba quæ præcedunt.

Ep. 10.

Cic. locus.

Ea ſunt

Ea ſunt hujuſmodi. *Idem Balbus meliora de Gallia. xiij die literas habebat, Germanos, illasq́; nationes re audita de Cæſare, legatos miſiſſe ad Aurelium, qui eſt præpoſitus ab Hircio, ſe, quod imperatum eſſet, eſſe facturos. Quid quæris? Omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.* Hucusque Cicero. Nec prorſus vanum fuit, quod ad Balbum perſcriptum erat, hinc nato rumore, quod Remi qui proximi Galliæ ex Belgis ſunt, ad Cæſarem legatos Iccium & Antebrogium primos civitatis ſuæ miſerant, qui dicerent ſe ſuaque omnia in fidem atque poteſtatem populi Rom. permittere. Verum hoc Remi tantum fecere, cæteri Belgæ non item. Multominus Germani illi qui ripas Rheni incolebant, id eſt, Triboci, Nemetes, Vangiones, & hiis propinqui, videlicet, Sebuſiani, Betaſii, Atuæ, & ſimiles. Nam de hiis Germanis loquitur Cicero qui in Gallia conſederant. *Redeo,* inquit, *ad Betaſios, Atuas, Vangiones, hos tu exiſtimas confidere ſe illa habituros ſtantibus nobis, in quibus plus putarunt virtutis quàm experti ſunt? pacis iſti ſcilicet amatores, & non latrocinii autores.* Hactenus ſurſum Tullius. Sunt autem Betaſii populi Germaniæ ſecundæ non procul ab amne Moſa habitantes. Horum meminit Tacitus lib. xx. Hiſt. Auguſtæ, *Accepta peditum,* inquit, *equitumq́; vehiculamanu, nihil apud Batavos auſus, quoſdã Nerviorum Betaſiorumq́; in arma traxit.* Rursũ eodem libro paulo pòſt, *Occupatisq́; Sunicis, & juventute eorum per cohortes compoſita, quo minus ultrà pergeret, Claudius Labeo Betaſiorum, Tungrorumq́;* Betaſii

Tungrorumq; & Nerviorum tumultuaria manu reſtitit, fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis anteceperat. Plin. lib. iij. Hiſt. Nat. *Tungri*, inquit, *Rinuci*, *Friſiabones*, *Betaſi*. Tametſi illic pro Rinuci ſcribendum, *Sunici*. Cæterum Atuæ ſunt quos Cæſar *Aduaticos* appellat, Cimbrorum Teutonorumque ſoboles. In Antonini itinerario legimus, *Aduacum Tungrorum*, ut Atuacum ſit tractũ ab Atuis pro oppido, quod Ptolæmeus Atuatucum appellat. Vangiones vero notiores ſunt quàm ut indicari debeant, quorum caput eſt Borbetomagus, quod Germani Wormaciã nominant, quaſi dicas Bormagũ ſive Vormagiam. Accipit autẽ Cicero Vangiones pro omnibus Germanis qui ripas Rheni incolebant, ſicut Betaſios & Atuas pro nationibus ulterioribus. Recteque colligit, non ſtatim ſeſe Cæſari dedituros, quin potius fortiter repugnaturos. Id quod iterum atque iterum ab illis factum eſt. Cupiebant enim occupatarum regionum, expulſis Romanis & Gallis, liberam poſſeſſionem retinere. Sed fortuna Romanis favit. Igitur Francorum non factam Ciceroni mentionem ſed Vangionum, & pro Theobaſſis & Suevis Betaſios ac Atuas reponendum, ſatis nunc puto liquere ex his quæ diximus. Nec vero *Francones* ullus idoneus autor vocavit, ſed tantum *Francos*, nam hoc diſcriminis cauſa à recentioribus inventum. Porro *Franconofurd* ſcriptum reperimus, & in verſo Evangeliorum codice ſæpe *Franconon* in genitivo plurativo, quod hodie ſcriberemus *Francken*. Quando autem

Atua. Plinus locus.

Vangiones.

Francorum nomē orbi primum innotuerit, diximus libro præcedenti. In gratiam denique ſtudioſorum hoc addere libet, eum locum in epiſtola Ciceronis ad Atticum quem nos reſtituimus, hæc verba proximè præcedere, *Tua tamen* υπηνεμιος *nauſea jam plane abiit. mihi quidem ex tuis literis tum lætãtis ita videbatur.* Quæ ſic legi debent, quemadmodum volumen manu ſcriptum teſtatur, *Tua tamen* ὄπην ἐμιος *nauſea jam ne planè abit? mihi quidem ex tuis literis conjectanti ita videbatur.* Sed innumetis erratis ſcatent Ciceronis ſcripta, quæ tamen propter divinam illius copiam ac ubertatem non ſentiuntur. Id quod & in Livianis Decadib. accidit. Hoc velut auctario lector candide fruitor. *Cic. locus.*

SPECIES, CULTUS, ET ARMATURA *veterum Francorum.*

C. Sollius Apollinaris Sidonius, vir clariſſimus, & multis honoribus ſub Majoriano & Anthemio Cæſaribus perfunctus, dum adhuc ethnicus eſſet: poſtea religionem Chriſtianam amplexus, & Arvernorum factus epiſcopus, ſua liberalitate quatuor inopum millia famis tempore fovit, eius Apollinaris nepos qui Præfectus aliquando fuit Prætorio Galliarum. Is inquam Sidonius irruptionis Francorum & Burgundionum in Gallias non ſolum auritus, ſed (quod majus eſt) oculatus teſtis, nam Remigij Remenſis contemporaneus fuit, formam, cultum, & dexteritatem bellicam ac conſtantiam Francorum, elegantiſſime deſcribit in Panegyrico

Panegyrico q Jul. Valerio Majoriano dict⁹ eſt. Quæ carmina libet hic apponere, declaratura qualis nam fuerit gens Francorum.

SPECIES.

Hic quoq; mōſtra domat, rutili quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet, nudataq; cervix
Setarum per damna nitet, cum lumine glauco
Albet aquoſa acies, ac nutibus undiq; raſis
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.

Comati. Quod vero dicit, *Nudataq; cervix Setarum per damna nitet.* accipiendum de vulgo. Nam ſolus Rex Cæſariem promittebat. Quam rem Agathius annotavit libro primo, cujus verba ſunt hujuſmodi, *Fas non erat*, inquit, *Francorum regibus comam tondere, ſed à pueris intonſi manent, atq; adeo ut à tergo hiis deſluant crines. nam à fronte diſcriminati utrinq; feruntur. Nec ſanè Turcarum more Barbarorumq; impexi & ſqualidi ſordidioresq; capilli hiis ſunt, vel aliâs calamiſtrati & indecenter perplexi, ſed varia hiis ſuperinfundunt unguenta, & diligenter pectendo expoliunt. Idq; proinde præcipuum & regium decus conſtitutum eſt, ſolis ut regib. permittatur. Nam ſubditi circumtonſi ſunt omnes, nec prolixior hiis coma conceditur* Hæc ille. Porrò morem hunc uſque ad Petri Langobardi Pariſiorum antiſtitis tempora ajunt duraſſe, quem is velut indecentem & ineptum tollendum perſuaſerit.

CULTUS FRANCORUM.

Strictius aſſutæ veſtes procera cohercent

Membra

Membra virûm, patet [illegible]s artato tegmine peplus,
Latu[illegible] angustam ſuſpendit balteus alvum.

Nimirum hoc eſt quod Tacitus de Germanis prodit: *Locupletiſſimi*, inquit, *veſte diſtinguuntur non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente.*

AGILITAS FRANCORUM IN TRA- *ctandis Armis.*

Excuſſiſſe citas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clipeosq; rotare
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas,
In[illegible] bellum veniſſe prius. puerilibus annis
Est belli maturus amor.

Has bipennes, de Gothis loquēs, ſecures miſſiles appellat.

CONSTANTIA IN PRÆLIIS *ſi forte premantur.*

Seu numero ſeu ſorte loci, mars obruit illos,
Non timor. invicti perſtant, animoq; ſuperſunt
Jam propè poſt animam.

ARMATURA FRANCORUM.

Agathias libro ſecundo de Francis loquēs, *Huic nationi*, inquit, *tenuis eſt & neglectior armatura, & quæ non varia adornatū indigeat opificum arte, niſi eorū qui ea utuntur, ſi quid forte, ut fit, corrumpatur. Non enim thoraces hi vel [illegible]norunt. plerisq; in bello detecta ſunt capita, pauci caſſide operti armis decernūt, ſed pectore nudo & tergis ad infimos renes, amiculo prætereà lineo partim, partim è corio ſuccincti, & tibias contegunt. Equis haudquaquam utuntur,*

paucos

paucos admodum, ut qui patrio more pedeſtri in pugna coaluerunt, itaq; exerciti egregie ſunt. Enſis à femore levo, ex latere ſcutum dependet, Arcus, funda & tormenta ejusmodi, cætera, tela ſaxave torquentia, inſueta hys ſunt. Sed dolabras ſecuresve ancipites geſtant, & brevia pro patria conſuetudine tela, quæ ipſi Ancones (ut diximus) vocant, & quibus res magnas quum opus eſt gerunt, ac tunc præſertim quum pede collato decertant, aut in hoſtem incurrunt.

ANCONIS DESCRITIO, *ains Frenckiſchen hackens.*

HUjus teli pars major ferro obducta eſt, ita ut ex haſta parum aliquid præter capulum totum vix proferatur. In ſuperiori autem parte circa ferri aciem ipſam, recurvæ extant utrimq; tanquam hami, lamnulæ quædam coarcuatæ peracutæq; & ad ipſius teli partem inferiorem devergunt. Id teli genus in ipſo congreſſu emittunt, ita ut ſi altius fortè inhæſerit corpori, ſubeat mox, uti par eſt, & acies ipſa hamata, unde nec qui vulnus exceperit, nec alius quiſpiam queat id telum avellere, Urget nanq; recurua acies illa, cervice latius hærens, doloresq; affert acerbiores, atq; adeo, etſi non aliâs hoſtis letali ſit vulnere ictus, ex eo tamen emoritur. Quòd ſi impactum clipeo telum id fuerit, ex eo mox pendulum hæret, & circumfertur, per ſolumq; trahitur. Unde ea eſt Francorum conſuetudo, ubi affixum ſcuto telum id viderint, impetu facto ac pede capulo conculcato, hoſtis ſcutum umbone quaſſatum perfringant. Quo fit ut & geſtantis

ſtantis manu depreſſa, caput illi nudetur & pectus. Hoc pacto hoſtem quis nactus nulla parte munitum, ſive frontem ſecuri percutiat, ſive gulam ferro trajiciat, confeſtim obtruncat. Hactenus Agathiani interpretis verba retulimus. De Gotthis agens Apollinaris videtur lanceæ uncatæ nomine Anconem innuere, *ein Hacken.*

GOTTHORUM CULTUS.

Sidonius in Panegyrico Aviti, Gotthicum cultum hiis verſibus deſcribit, ubi de ſenatu Gotthorum loquitur,

Squalent veſtes, ac ſordida macro
Lintea pingueſcunt tergo, nec tangere poſſunt
Altatæ ſuram pelles, ac poplite nudo
Peronem pauper nódus ſuſpendit equinum.

A pellibus quas geſtabant, pelliti dicuntur. Sidonius in Panegyrico Majorani,

Sub judice noſtro
Pellitus ravum præconem ſuſcipit hoſtis.

Idem in epiſtola quadam cultum Gotthicũ graphicè depingit, ubi Sigismeri juvenis regii nuptialis pompa deſcribitur, quam ſubdemus.

SIDONIUS DOMITIO SUO SALUTEM.

TU cui frequenter arma, & armatos inſpicere jocundum eſt, quam voluptatem putamus mente conciperes, ſi Sigiſmerem regium juvenem ritu atq; cultu gentilitio ornatum, utpote ſponſum ſeu petitorem, prætorium ſoceri expetere vidiſſes? Illum quidem equus phaleris comptus,

imò equi radiantibus gemmis onuſti antecedebãt, vel etiam ſubſequebantur, quum tamen hic magis ſibi decorus conſpiciebatur, quòd præcurſoribus ſuis ſive pediſſequis pedes & ipſe medius inceſſit, flammeus croco, rutilus auro, lacteus ſerico. Tum cultu tanto, coma rubore cuti concolor. Regulorum quoq; ſociorumq; comitantum forma & in pace terribilis. Quorum pedes primi, perone ſetoſo talos adusq; vinciebantur. Genua, crura, ſuræq; ſine tegmine. Præter hæc veſtis alta, ſtricta verſicolor, vix appropinquans poplitibus exertis. Manicæ ſola brachiorum principia velantes. Viridantia ſaga limbis marginata puniceis. Penduli ex humero baltei, vel gladii balteis ſupercurrentibus ſtrinxerant clauſa bullatis latera renonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur, lanceis uncatis, ſecuribusq; miſſilibus dextræ inſertæ, clypeis levam partem adumbrantibus. quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita cenſum prodebat ut ſtudium. Cuncta prorſus hujusmodi, ut in actione thalamorum non appareret minor Martis pompa quàm Veneris.

Rurſum Theodoricum Wiſogotthorũ regem in epiſtola ad Agricolã deſcribens. *Si forma quæratur,* inquit, *corpore exacto, longiſſimis brevior, procerior eminentiorq; mediocribus. Capitis apex rotundus. In patulũ a planicie frontis verticẽ cæſaries refuga criſpatur, Cervix non ſedet nervis. Geminos orbes hiſpidus ſuperciliorum coronat arcus. Si vero cilia flectantur, ad malas medias palpebrarũ margo propè pervenit. Auriũ legulæ (ſicut mos gentis eſt) criniũ ſuperjacentiũ flagellis operiuntur.*

untur Naſus venuſtiſſime incurvus, labia ſubtilia, nec dilatatis oris angulis ampliata. Pilis infra narium antra fruticantibus cottidiana ſucciſio. Barba concavis hirta temporibus, quã in ſubdita vultus parte ſurgentem ſtirpitus tonſor aſſiduus, genas aduſq;, forficibus evellit. Iſidorus in corpore propria gentiũ inſignia recenſens, Granos & Cinnabar Gotthorum annotavit:

BVRGVNDIONVM SPECIES & mores.

Extat apud Apollinarem Sidonium Hendecaſyllabon epigramma ad Catulinum ſcriptum, quo ſe excuſat quòd incultius Epithalamium miſerit de Ruricii Hiberiæque nuptiis, nimirum inter Burgundiones verſans homines Barbaros, voraces, & immodicè proceros. Nam ſeptipedes vocat, à pede Romano, quod notum eſt menſuræ genus. Ut & alibi quum canit.

Hic Burgundio ſeptipes frequenter
Flexo poplite ſupplicat quietem.

Proinde clarum eſt, hoc carmen tum à Sidonio conſcriptum, quum in Galliam primum tranſiiſſent Burgundiones, non ſolum Sequanorum tractu, ſed etiam penitioribus terris occupatis, ceu fuſe ſuprà docuimus. Sed audiantur verſiculi Sidoniani,

Quid me, etſi valeam, parare carmen
Feſcenninicolæ jubes Diones,
Inter crinigeras ſitum catervas,
Et Germanica verba ſuſtinentem,

Laudantem tetrico ſubinde vultu
Quod Burgundio cantat eſculentus,
Infundens acido comam butyro ?

Sic Julianus Aug. ait ſe vidiſſe Germanos inamœne quidem canentes, ſed mire placentes ſibi, more cantorum, quorum quanto quisque moleſtior auditorio, tanto ſibi ſuavior. Verba illius in oratione cui titulus ἀντιοχικός ἢ μισοπώγων, hæc ſunt, Ἐθεασάμην τοι καὶ τοὺς ὑπὲρ τὸν ῥῆνον Βαρβάρους, ἄγρια μὲν μέλη λέξει πεποιημένα παραπλήσια τοῖς κρωγμοῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων, καὶ εὐφραινομένους ἐν τοῖς μέλεσιν. εἶναι γὰρ οἶμαι συμβαίνει τοῖς φαύλοις τὴν μουσικὴν, λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις, φύσει δὲ αὐτοῖς ἡδίστοις.

Pergit Sidonius in carmine ſuo.

Vis dicam tibi quid poema frangat?
Ex hoc Barbaricis abacta plectris
Spernit ſemipedem ſtilum Thalia, — *Septipedes Burgundiones.*
Ex quo ſeptipedes videt patronos.
Felices oculos tuos & aures,
Felicemq; libet vocare naſum.
Cui non allia ſordidæq; cepæ, — *Apparatus Burgundionum.*
Ructant mane novo decem apparatus.
Quem non ut vetulum patris parentem
Nutricisq; virum die nec orto — *Gigantes Burgundiones*
Tot tantiq; petunt ſimul gigantes,
Quot vix Alcinoi culina ferret. — *Culina Alcinoi.*

Idem in epiſtola ad Syagrium ſcribit Burgundiones æque corporibus ac ſenſu rigidos eſſe indolatilesque.

SAXO-

SAXONUM SPECIES.

SAxonum morem in tondendis crinibus non multum diſſimilem conſuetudini Francorum (quibus etiam olim vicini fuere) deſcribit Apollinaris in carmine, quod ad Lampridium miſit ex aula Theoderici regis Vuiſigotthorum ad Burdegalam. Verſiculi de Saxonibus hi ſunt,

Iſtic Saxona cærulum videmus
Aſſuetum ante ſalo, ſolum timere.
Cujus verticis extimas per oras
Non contenta ſuos tenere morſus
Altat lamina marginem comarum.
Et ſic crinibus ad cutem recisis,
Decreſcit caput, abditurq́ vultus. **Sidonii locus.**

Sic enim legendum, non, *additurq́ vultus.* Et ſubiungit exemplum,

Hic tonſo occipiti ſenex Sicamber,
Poſtquam victus es, elicis retrorſum
Cervicem ad veterem novos capillos.

De quo Sicambrorum more rurſum alibi Sidonius ad Majorianum Cæſarem,

Sic rupe duplicis tumore fracto
Detonſus Vahalim bibat Sicamber.

HUNNORUM FORMA ac Mores.

HUnnos, quod omnes teſtantur, Barbarorum barbariſſimos turpiſſimosq́;, in Panegyrico quem Anthemio Cæſari dicavit, Sidonius exacte depingit, hiis verſibus,

Quod bellũ non parva manus, neq; carcere fracto
Ad gladiaturam tu Spartace vincte paraſti,
Sed Scythicæ vaga turba plagæ, feritatis abũdans,
Dira, rapax, vehemens, ipſis quoq; gentibus illic
Barbara Barbaricis. cujus dux Hormidac atq;
Hunnus erat. quis tale ſolum eſſe inibiq; genusq;
Credat? Hyperboreis Tanais quâ vallibus actus
Riphæa de caute cadit, jacet axe ſub Urſæ
Gens animis membriſq; minax, ita vultibus ipſis
Infantum ſuus horror ineſt. Conſurgit in arctum
Maſſa rotunda caput. geminis ſub fronte cavernis
Viſus adeſt oculis albentibus. acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux pervenit orbes,
Non tamen exluſos. Nam fornice non ſpatioſo
Magna vident ſpacia. & majorem luminis uſum
Perſpicua in puteis compenſant puncta profundis.
Tum ne per malas excreſcat fiſtula duplex,
Contundit teneras circundata faſcia nares,
Ut galeis cedant. Sic propter prælia natos
Maternus deformat amor quia tenſa genarũ
Non interjecto fit latior area naſo.
Cætera pars eſt pulchra. Viris ſtant pectora vaſtæ,
Inſignes humeri, ſuccincta ſub ilibus alvus.
Forma quidem pediti media eſt, procera ſed extat,
Si cernas equites. ſic longi ſæpe putantur
Si ſedeant. Vix matre carens ſi conſtitit infans,
Mox præbet dorſum ſonipes. Cognata reare
Membra viris, ita ſemper equo ſeu fixus, adhæret
Rector cornipedum tergo. Gens altera fertur,
Hæc habet & teretes arcus, & ſpicula cordi.
Terribiles certæq; manus, jaculiq; ferenda
Motis fixa ſudes. & non peccante ſub ictu

Edoctus

Edoctus peccare furor. gens iſta repente
Erumpens, ſolidumq; rotis tranſvecta per Hiſtrū,
Venerat, & ſectas inciderat orbita lymphas.

Porrò duritiem hujus gentis vel ex eo colligere queas, quod infantulos ſuos primo die excarnificant. Nam genas eorum novacula diſcindunt, ut priuſquam lac deguſtent, ad tolerantiam vulnerum initientur. Quæ res facit ut non barbeſcant, ob crebros cicatricum in facie ſulcos. Quod ſi infans ploraſſet, occidebatur vel ut adulterinus atque degenerans. Hinc Apollinaris in Aviti Panegyrico indubie Hunnos innuit, quum inquit,

Vulnera vel ſi quis pangit, cui fleſſe perire eſt,
Ac ferro peraraſſe genas, vultuq; minaci
Rubra cicatricum veſtigia defodiſſe,

Claudianus in Rufinum libro primo ſic deſcribit Hunnos.

Eſt genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim, quo non deformius ullū
Arctos alit, triſtes habitus obſcœnaq; viſu
Corpora, mens duro nunquam ceſſura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres, fratresq; ſecare
Ludus, & occiſos pulchrum jurare parentes.
Nec plus Nubigenas duplex natura biformeis
Cognatis aptavit equis. Acerrima nullo
Ordine mobilitas, inſperatiq; recurſus.

Idem in laudem Manlii Theodori, *Non vaga Hunnorum feritas.* ſ. te terruit. Alludit autem ad id quod modo citatis carminibus dictum eſt in fine, videlicet, *Acerrima nullo Ordine mobilitas.* Sic Sidonius vagam turbam dixit ηā

equites erant perniciſſimi. Turpeis alibi vocat Hunnos Claudianus ſic ſcribens.

Jam formidata tyranni
Tempeſtas ſubeunda mihi, qui forte nephandas
Jam parat inſidias, qui nos aut turpibus Hunnis
Aut implacatis famulos præſtabit Alanis.

Hungari. Cæterum ex multis nationibus quas Hunni ſecum in commilitium traxerant, ſoli ſuperſunt Ugri ſive Ungari, Pannoniam ſecundam incolentes, ut antè diximus, nec ipſi admodum proceri, ſi cum Sclavinis Bohemis aut Polonis comparentur. Nam in hiſtoriis legimus, Hunnos ſtatura quidem exiguos, ſed argutis motibus expeditos fuiſſe, & ad equitandum promptiſſimos, ſcapulis latis, & ad arcus ſagittasque paratis, firmisque cervicibus. Qui etiam multos ſciſſis illis & nigris vultibus in congreſſu terruerunt. Siquidem potius informis quædam mola erat, quàm facies, habebatque verius puncta quædam quàm lumina. Subjecerunt primum ſibi inter multas gentes, etiam Alanos ac Oſtrogotthos, ſed hii ſe ſeparavere ab illis, ſui rurſum juris facti.

FRANCI GERMANICA SUNT uſi Lingua.

VEteres Francos qui tranſito Rheno nobiliſſimum illud in Galliis regnum conſtituerunt, & per duas familias priorem Merovingorum, poſteriorem Carolingorum, non Galliam ſolum ſed & Germaniam poſtea non

paucis

paucis ſeculis rexere, Germanica uſos fuiſſe lingua, quum innumera alia argumenta probant, tum vero manifeſtè convincit Liber ille inſignis Evangeliorum Francicè hoc eſt Germanicè verſus, quem nos nuper dum comitia Romani Imperij Carolus Cæſar celebraret apud Auguſtam Rhetiæ ſuperioris, Fruxini in Vindelicis (quam hodie Friſingam appellant) in Bibliotheca D. Corbiniani obiter reperimus. Nam Livianarum Decadum gratia fueramus illuc profecti. Ejus codicis hic eſt titulus, *Liber Evangeliorum in Teodiſcam linguam verſus*, Conſtat autem ex rithmis totus. Atque ut antiquitatem ejus tralationis non ignores, deprehendi librum exſcriptum abhinc annos fermè ſexcentos, ut tum compoſitum credam quum Chriſto primum Franci nomen dedere. In fine enim aſcriptum erat. *Waldo me fieri juſſit. Sigefridus presbyter ſcripſi.* Numeratur autem inter Friſingenſeis epiſcopos Vualdo, ni fallor, decimus. Habet ipſum opus elegantiſſimam præfationem, cujus hoc eſt initium, nulla litera mutata,

Otfridi Monachi editum Baſileæ 1571.

Nu uuil ich ſcriban unſer heil
Evangeliono deil,
So uuir nu hiar bigunnon
In Frenkiſga zungun.

Qui Germanicè callet, ſatis intelligit iſta verba, niſi quod hodie paulo aliter ſcribimus & proferimus, non addentes alicubi tot vocales, alicubi plures adjicientes, nec *Bigunnen* verbũ pro incipere familiare eſt omnibus Germanis. *Beginnen.*

Item paulo poſt.

Hiar hores io ʒi guate
Vuaz got imo gebiete,
Thaz uuir imo hiar ſungun
In frenkiſga zungun.
Nu freuues ſihes alle
So uuerſo uuola uuolle.
Ioh uuer ſi hold in muate
Francono thute.

Item paulo pòſt comparantur Franci Romanis animoſitate, nunquam hoc negaturis Græcis.

Sie ſint ſo ſama kuani
Selpſo thio Romani.
Nu darf man thaz ouch redino,
Thaʒ kriachi nith es uuidaron.

Item alio loco prædicantur ad arma prompti, & viri fortes omnes. Nam hoc ſignificat *thegan* Francis. unde Deganberti ſive Dagoberti nomen, & Degenhardi.

Degen.

Zi uuafane ſnelle
So ſint thie thegan alle.

Nec libet plura addere. nam iſta ſatis evincunt, quod fortaſſis apud nonnullos controverſum eſſe poterat. Hoc omittere nequeo, volumen iſtud egregium eſſe theſaurum antiquitatis. Solebat olim Maximilianus Cæſar propoſita mercede ſuos provocare ad quærenda vel diplomata quæ ante quingentos eſſent annos conſcripta. nam tantum Latini ſermonis uſus apud Germanos in conficiendis tabulis receptus fuit, id quod cum cæteris nationibus

Maximilianus Imper.

communne

commune habuimus. Ab annis tamen centum & quinquaginta ſecus apud nos factum videmus. Sic Ungaricus ſermo noſtra ætate primú ſcribi cœpit. Itaque ſi quis monſtraſſet duntaxat talem codicem, non indonatus abiſſet. nam princeps fuit liberaliſſimus. Huius generis Pſalterium vidimus apud Joannem Huttichium noſtrum Argentorati. Perpetua vero laus Francorum veterum, qui ſacros libros in ſuam, hoc eſt Germanicam linguam vertendos curarint, quod nuper à Theologis quibuſdam improbatum ſcimus. Huc pertinet quod Luitharius Francorum rex periclitanti in Saxonibus filio Dagoberto opem ferens, quum ad Viſurgim amnem veniſſet, & detracta galea nudaſſet caput jam prorſus canum, nam agnoſci cupiebat quo ſui præſentia timorem hoſtibus incuteret, Berchtoldus Saxonum princeps rege ſtatim agnito, *ò vetulum*, inquit, *& canum jumentum, ades ne hic!* Qua verborum contumelia ſic eſt commotus Luitharius, ut non expectatis copiis ſuis quas præceſſerat, cum cohortibus filii fluvium tranſiret, & conviciatorem invaderet, ac in fugam verſum tandem obtruncaret. Igitur Saxonum ſermo linguæ Francorum affinis eſſe debuit, alioqui qui potuiſſet commoveri Luitharius, ſi convicium non intellexiſſet? Nam in annalibus Francorum expreſſum eſt, illum Barbara voce inclamaſſe. Vulgo quoque notum eſt, Carolum Magnum duodecim menſibus vocabula juxta propriam linguam impoſuiſſe. Nam Januarium appellavit W*intermo-* *Carolus Magnus.*

nat

nat. Februarium, *Hornung*. Martium, *Lentz-monat*. Aprilem, *Oſtermonat*. Maium, *Vunnomonat*. Et ſic de cæteris. Porrò Romanus & Provincialis ſermo, quo etiamnum interior utitur Gallia, compluſculas dictiones ab iſta Germanica Francorum lingua mutuatus eſt, quas hodieque retinet. Eas enumerare longum ſit.

BURGUNDIONUM POPULARIS ſermo fuit Germanicus.

SIdonius Apollinaris ridet Syagrium quendam Gallum, quòd homo Provincialis, & Conſulis pronepos, ac inſignis poetæ ſemine natus, atque egregiè literis excultus ipſe, tamē Germanicam Burgundionum linguam addidiciſſet. Hoc illi interprete utebantur, ſi quas forte Latinas literas vel à Cæſaribus vel à civitatum Provincialium præfectis accepiſſent. Et conſiliis etiam ſanctioribus adhibebant. Proinde feſtivè novum Burgundionum Solonem illum appellat, & novum Amphionem in citharis ſed trichordibus temperandis. Id quod dicit propter trium linguarum peritiam, Germanicæ, patriæ, hoc eſt provincialis, & Latinæ. Sed libet epiſtolam ipſam aſcribere.

SIDONIUS SYAGRIO SUO *Salutem.*

QUum ſis Conſulis pronepos, idq; per virilem ſucceſſionem, quamquam id ad cauſam ſubjiciendam minus attinet: quum ſis igitur è ſemine

mine Poetæ, cui proculdubio ſtatuas dederunt literæ, ſi trabeæ nõ dediſſent, quod etiã nũc autoris cultis verſibus verba teſtantur, à quo ſtudia poſterorũ, ne parum quidem, quippe in hac parte, degeneraverunt: immane narratu eſt, quantum ſtupeam ſermonis te Germanici notitiam tanta facilitate rapuiſſe. Atqui pueritiam tuam competenter ſcholis liberalibus memini imbutam, & ſæpenumero acriter eloquenterq́ declamaſſe coram oratore, ſatis habeo compertũ. Atq; hæc quum ita ſint, velim dicas, unde ſubito hauſerunt pectora tua euphoniam gentis alienæ, ut modo mihi poſt ferulas lectionis Maronianæ, poſtq́ deſudatam varicoſi Arpinatis abundantiam loquacitatemq́, quaſi de ilario vetere novus falco prorumpas? Æſtimari minime poteſt, quanto mihi cæterisq́ ſit riſui, quoties audio quod te præſente formidet facere linguæ ſuæ Barbarus Barbariſmum. Aſtupet tibi Epiſtolas interpretanti tacitus Germanorũ ſenatus, & negotijs mutuis arbitrũ te diſceptatoremq́ deſumit. Novus Burgundionum Solon in legibus diſſerendis, novus Amphion in citharis ſed trichordibus temperandis, amaris, frequentaris, expeteris. Oblectas, adhiberis, eligeris. Decernis, audiris. Et quanquã æquè corporibus ac ſenſu rigidi ſint, indolatileſq́, amplectũtur in te pariter & diſcunt, ſermonem patrium, cor Latinum. Reſtat hoc unũ vir facetiſſime, ut nihilo ſegnius, vel quum vacabit aliquid lectioni operæ impendas, cuſtodiasq́ hoc (prout elegantiſſimus es) temperamentum, ut iſta tibi lingua teneatur ne ridearis, illa exerceatur ut rideas. Hactenus Sidonius. Idem ad Catulinum

Germanicus ſermo.

Euphonia gentis alienæ.

Germanorum ſenatus.

Novus Burgundionũ Solon.

num, quem locum & antè citavimus,
Inter crinigeras ſitum catervas
Et Germanica verba ſuſtinentem,
Laudantem tetrico ſubinde vultu
Quod Burgundio cantat eſculentus
Infundens acido comam butyro?

LANGOBARDI GERMANICA lingua uſi.

EXtant leges Langobardorum, quæ manifeſtè declarant eam gentem uſam ſermone Germanico. Fuere verò nobiliſſimi Germanorum Langobardi. In legibus quia vocabula noſtræ linguæ ſunt paſſim inſerta, videas Juris interpretes Italos ſe miſerè torquentes, & tandem omnibus tentatis neque cœlum attingere neque terram, juxta proverbium. In Græcis & Hebraicis conſulendi ſunt earum linguarum periti: in Langobardicis erant adhibendi Germani. Diximus ſuprà de *Schala* Langobardorum vocabulo pro patera, ac *qualama* pro ſcaturigine & piſcium vivario. Opinor Bardunuuigum urbem illam ab Henrico Leone everſam Langobardorum retuliſſe nomen, & ſedes illorum veteres indicaſſe. Nam Auguſti Tyberiique principatu illic habitarunt, vel atteſtante Vellejo, qui cis Albim poſitos docet Langobardos à Rheno venienti, Chaucisque vicinos facit. Poſtea fortaſſis in inſulas Germanici maris conceſſerunt, pulſi ab aliqua validiore gente.

L. Lombarda.

PRO-

PROVINCIARUM LINGUA.

TRanſdanubianæ provinciæ Rhetia prima & ſecundua, Noricum, ac Pannonia prima & ſecunda, atque ciſrhenanæ provinciæ, Rhetiæ primæ pars, pars Maximæ Sequanorũ, Germania prima atq; ſecunda, poſtquàm à Romanis ſubactæ ſunt, ſermonem Romanum omnes acceperunt. Nam ſtudio fuit Romanis ut Provinciales Romanè addiſcerent, quo per linguæ præſidium obſequentiores & faventiores haberent nationes. quæ enim inter diſſimilis linguæ homines amicitia coaleſcere queat? Similem rem aliquando moliri in Inſubribus dicebatur Ludouicus Galliarum rex, Franciſci qui nunc regnat, ſocer. Nec tantum de vulgari lingua ſoliciti erant Romani,ſed & latinã tradi Provincialibus curarunt, unde municipales illæ ſcholæ apud Viſontionem & Lugdunum, & illa apud Cliviũ in Germania ſecunda, cui præfuit Eumenius Rhetor. Hoc enim pacto fericatem animorũ paulatim abſtergebant. Vocabatur hæc lingua Romana. Proinde quidam Galli ſe Romanos etiamnũ vocant, quum propter veterem ditionem, tum multò magis ob vernaculũ ſermonem quem adhuc retinent. Fl. Vopiſcus etiã Latinam appellat, quũ ait Apollonium illũ Tyaneum Aureliano Cæſari recipienti ſe in tentoriũ ea forma qua videtur ſubito aſſumpſiſſe, atq; hęc Latinè, ut homo Pannonius intelligeret, verba dixiſſe: *Aureliane, ſi vis vincere, nihil eſt quod de civiũ meorum nece cogites.* *Scholæ provinciales.*

Fuit

Fuit autem Aurelianus natione Pannonius, apud Sirmium ortus. Et utebantur Romano ſermone Pannoniæ, quippe Provinciæ. Sanè Velleius de bellis loquens à Tiberio Cæſare geſtis adhuc Auguſto ſuperſtite, Pannonios ſcribit non ſolum diſciplinæ, ſed & Romanæ linguæ noticiam habuiſſe. Intelligit autem diſciplinam militarem. Verba illius hæc ſunt, *In omnib. autem*, inquit, *Pannoniis non diſciplinæ tantummodo, ſed linguæ quoq; notitia Romanæ, plerisq; etiam literarum uſus, & familiaris animorum erat exercitatio.* Porrò Rhetos, Noricos, & Pānonios, quamlibet gentem proprium habuiſſe ſermonem à Germanico diverſum, nemo dubitare debet. Helvetij Gallicè loquebantur & Raurici, Mediomatricique. Verum Tribocos qui in Mediomatricorum tractu conſederunt, ubi hodie eſt Elſatia, Nemetes, Vangiones, Ubios, Tungros, Betaſios, & ſimiles populos, qui è Germania tranſgreſſi in Galliam Rheno propinquos agros occupavere, libenter crediderim bilingueis fuiſſe. Certe eos qui ipſam Rheni ripam colebant, nihil ambigo Germanicum ſermonem retinuiſſe, propter aſſidua cum tranſrhenanis Germanis commercia. Hinc Margam pro Medulla apud Plinium legimus, in Belgico habitantium Germanorum vocabulū. Tametſi dictiones quædam etiam diverſiſſimis populis communes nonnunquam exiſtunt. Unde etiam Hebraicas voces reperias in noſtrate ſermone. Nam puto hodie linguas omneis nonnihil eſſe mixtas, & puram nullam. Admonet me

Marga, Marck,

net me

nerme hic locus ut vocabulum utrique Germaniæ tam Provinciali quàm poſtea veteri forſitan olim commune, reſtituam apud C. Plinium. Is enim naturalis hiſtoriæ libro xv. cap. xxv de Cæſarum generibus loquens, *Principatum*, inquit, *Duracinis, quæ Campania Plimana appellat. In Belgica verò Luſitanis. In ripis etiam Rheni. Tertius iis colos è nigro ac rubenti viridiq́;, ſimilis matureſcentibus ſemper. Minus quinquennio eſt, quod prodiere quæ vocant laurea, non ingratæ amaritudinis, inſitæ in lauro.* Porrò contuli in hoc capite vulgatam æditionem cum manu deſcripto codice, mihique viſus ſum hãc è qualibuscunque veſtigiis & mendis eruiſſe lectionem. *Principatus Duracinis, quæ Campania Pliniana appellat, in Belgica vero Luſitanis, in ripis etiam Rheni Cerſis. Iis colos è nigro ac rubenti viridiq́;, ſimilis matureſcentib. juniperinis, ſubaudi, baccis. Quinquennium eſt, quod prodiere*, Et quæ ſequuntur. Id vero Kerſorum vocabulum adhuc apud Germanos durat, à Provincialibus indubie mutuo ſumptum. nam ut arbor ipſa, ſic quoque fructus nomen Germanis peregrinum eſt. Auſonius Burdegalenſis Moſellam amnem Belgicæ primæ, quam olim (ut conjicio) dividebat à prima Germania, deſcribens, & tractum eum miris extollens laudibus, tandem ab eo quoque commendat, quòd Romano ſermone utatur, ſic autem canit, *Kirſen.*

Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Vocat, ut vides, Provincialem ſermonem, *æmulum Latinæ linguæ.* Verum hodie Moſella-

na regio cis Mediomatricos Germanicam linguam recepit, poſtquàm eſſe provincia deſiit. Germanis terras iſtas occupantibus. Porrò non modo linguam Provinciales mutabant, ſed inſtituta quoque & cultum. Alioqui Tencteri non dicerent apud Tacitum Ubiis in corpus nomenque Germaniæ redeuntibus, *inſtituta cultumq; patrium reſumite.*

GALLORUM VETUS lingua.

SErmo quo peculiater Gallia fuit uſa, priuſquam in Provinciæ formam redigeretur à Romanis, prorſum putatur abolitus. Non ſecus ſuum amiſere & Hiſpaniæ. O miram Romanorum dexteritatem, & indicibilem felicitatem. Et non miretur quis, eripi potuiſſe Romanis provincias, quæ non minus Romanæ erant quàm ipſa Roma. Sed habent regna ſuas periodos. Cæterum non deſunt, qui putent veterem Gallorum linguam non abſimilem fuiſſe Britannorum dialecto, quos Anglia Vualos vocat. Nam in vita Agricolæ Tacitus de Britannis agens, *In univerſum tamen*, inquit, *æſtimanti, Gallos vicinum ſolum occupaſſe credibile eſt. Eorum ſacra deprehendas ſuperſtitionum perſuaſione. Sermo haud multum diverſus.* Hæc ille. Equidem ſatis conſtat, provincialem Gallorum ſermonem, ex peculiari illa veterique lingua multas adhuc habere voces immixtas, ex Germanica quam Franci intulere, quamminimum,

ſed

ſed tamen aliquid. Autor eſt Julius Cæſar, Belgas, Aquitanos, & Celtas, lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differre. Auſonius de Narbonenſi Gallia.

Quis memoret portusq; tuos, montesq;, lacusq;?
Quis populos varios diſcrimine veſtis & oris?

Porro D. Hieronymus quum *Galatarum linguam Trevericæ ſimilem eſſe* dicit, indubiè de veteri lingua ſentit. Sed hanc diverſitatem ſuſtulere Romani. Porrò veterem Gallorum linguam diverſam à ſermone Germanico fuiſſe, ſatis indicat Cæſar, quum ſcribit Arioviſtum ex longinqua conſuetudine nonnihil Gallicæ linguæ percepiſſe. Ejus verba ſunt Commentariorum lib. primo, *Commodiſſimum viſum eſt M. Valerium Procillum C. Valerij Caburi filium, ſumma virtute & humanitate adoleſcentem, cujus pater à C. Valerio Flacco civitate donatus erat, & propter fidem, & propter linguæ Gallicæ ſcientiam, qua multa jam Arioviſtus longinqua conſuetudine, & quod in eo peccandi Germanis cauſa non eſſet, ad eum mittere, & M. Titium, qui hoſpitio Arioviſti uſus erat.*

GERMANORUM LINGUA.

SErmo Germanicus longe lateque fuſus eſt. Habet tamen ſua idiomata. Gaudet vocibus primogeniis monoſyllabis, ac nonnulla à Provinciali lingua mutuatus eſt. Olim non ſcri-

bebatur, ut diximus. proinde nihil noſtratium dictionum temere reperias in vetuſtis ſpectationibus aut libris, exceptis codicibus illis Francicè verſis, quorum antè memini. Unicum duntaxat, apud Plinium occurrit vici vocabulum germanè Germanicum, nam etymologiam habet noſtræ linguæ. verum ita depravatum eſt, ut à nemine hactenus ſit intellectum. Hermolaus enim ibi fruſtra ſudavit, è Ptolemæo nomina quædam oppidorum citans. Eſt autem locus apud Plin. lib. ix. cap. xv. in hæc verba, *Silurus graſſatur ubicunq́, eſt omne animal appetens, equos innatantes ſæpe demergens, præcipuè in Mæno Germaniæ amne propter Lisboum, & in Danubio.* Deprehendi vero è veſtigijs manuſcripti codicis, ſed depravatiſſimi, legendum, *præcipue in Mœno Germaniæ amne pro Erlisbornis, & in Danubio.* Eſt autem Erlisbornis (ſic enim

Plinii locus.

inflectit Plinius vicus ille in ripa Mœni fluvij

Erlenbronn.

ſitus qui hodie *Erlenbrunnen* dicitur, tantundem Germanis ſignificans, ac ſi dicas Alnorum fontem. Dixereque Mœni veteres accolæ *bornen*, ſicut Saxones & Elſatici mei pronunciant, pro fonte, non *brunnen* cæterorum Germanorum more. Apud Erlisbornim etiamnum trajectus eſt, & vadoſus, locus pro equis abluendis & potu reficiendis: quos illic Plinij tempeſtate, qui ſub Veſpaſiano (ni fallor) militavit in Germania provincia, Siluri piſces magni demergebant, à qua non ita multum abeſt is vicus. Suſpicor autem Plinium apud Ma-

gondiacum agentem, hanc rem cognoviſſe. Sic perindictum *pro Erlusberni*, ut dicimus, *pro roſtro, & pro templo.* Porrò Germanorum litoralium quos vetuſtas Wigevonas appellavit, & Inſularium, lingua mollior, ut Francorum veterum qui Cauchorum pars fuere, Saxonum, Phriſiorumque, ac Scotorum & Danorum. Mediterraneorum verò, id eſt Herivonum durior, ut Suevorum, Quadorum Marcomannorum, & Hermundurorum, quos in tranſdanubianis hodie regionibus Pannonia prima, Norico & Rhetia utraque loquentes audimus.

Rerum Germanicarum Libri ſecundi finis.

BEATI RHENANI SELESTADIENSIS RERVM GERMANICARVM Liber Tertius.

C. PLINII SECUNDI CAPUT XIIII. Ex libro quarto repurgatum à mendis atque explicatum.

QVando hoc tertio volumine quædam de populis & oppidis dicturi ſumus, apud diverſos obſervata ſcriptores, operepræcium & ad rerum Germanicarum illuſtrationem in primis conducibile videtur, à Plinio feliciter auſpicari, quo loco Germanorum genera quinque recenſet. Nam arbitror multis jam ſeculis à nullo mortalium ibidem verba Plinii intellecta, quæ tamen ab omnibus ſcriptoribus tum veteribus tum novis nuſquam non inculcantur. In cauſa eſt, quòd illic ſunt vocabula quæ Germanicæ linguæ ſcientiam requirant. Itaque non miror hæc à nullo exterorum deprehenſa. Alia autem inſunt errata, quæ miror caſtigatores omnes feſelliſſe. Sed apponemus ipſa Plinii verba, quemadmodum vulgo leguntur.

CAPUT XIIII

R*Eliqua prope unius majore latitudine, ſanè circa exceſſum ejus ſubactæ. Nam Germania multis poſtea annis nec tota percognita eſt. Si conjectare permittitur, haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & longitudinis ab Agrippa traditæ. Genera Germanorum* v. *Vindelici, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Guttones. Alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Chaucorum gente. Proximi autem Rheno Iſtævones, quorum pars Cimbri mediterranei. Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Catthi, Cheruſci. Quinta pars Peucini, Baſternæ, ſupradictis contermini Dacis. Amnes clari in Oceanum defluunt, Guttallus, Viſtillus ſive Viſtula, Albis, Viſurgis, Amiſius, Rhenus, Moſa. Introrſus vero, nulli inferius nobilitate, Hercynium jugum prætenditur.* Hactenus Plinius.

Verumtamen non magnopere me hoc offenderet, quòd tota periodus uſque ad iſta verba, *Genera Germ.* v. ejus oſcitantia qui Plinium in capita ſecuit, huc forte inepte translata, adjicienda præcedentibus, ſi mendis careret. Nam hæc clauſula, *Si conjectare permittitur, haud multum oræ deerit Græcorum opinioni, & longitudinis ab Agrippa traditæ*, nullo ſenſu dicitur, imò contrario. Siquidem paulo antè dixit, haud explicabilem eſſe Germaniæ menſuram propter immodicam pudentium diſcordiam, ubì lego, *tradentium*. Et interpretans hoc ait, Græcos & quoſdam Latinos xxv. milium paſſuum *Plinii loci.*

oram Germaniæ tradere, Agrippam cum Rhetia & Norico longitudinem D CLXXXVI. M. paſſuum, latitudinem CCLXVIII. M. Itaque maxima diſcordia eſt inter Græcos & Agrippam. Cur igitur Plinius hic non multum oræ Græcorum opinio deeſſe dicit? Locus haud vacat mendis. E veſtigiis exemplaris manu ſcripti, ſed depravatiſſimi, viſus mihi ſum hanc eruiſſe lectionem, *Nam Germania multis poſtea annis nec tota percognita eſt. Conjectare permittitur. Vt multum abſit Græcorum opinio à longitudine ab Agrippa tradita*, Aut, *ut multum detraxerit G. opinio*. Sequitur, GENERA GERMANORUM V. VINDELICI. Quid hic faciunt Vindelici, qui Provinciales fuere ſubjecti Romanis, nã Rhetiam ſecundam inhabitarunt. Scribendum, *Vandili*. Nam Cor. Tacitus inter Germanicæ gentis appellationes & vera ac antiqua nomina Vandalios ſive Vandilos recenſet. Hii fuere Germanorum ultimi verſus Gotthos & Gepidas, à quibus poſtea ſunt in Scythiam propulſi, quemadmodum ex Procopio liquet. Nam Vandalos Gotthi miris modis exagitarunt, ut Burgundiones Vandalorum nationem in Alemanniam ire coegerint, qui in Sequanos poſtea ſunt transgreſſi, quemadmodum libro primo fuſe demonſtravimus. Hinc apparet illorum fœda hallucinatio, Vandalos nobis ex Winidis, hoc eſt Germanos ex Sclavinis Scythis facientium. Ita quibusdam non labor, non animus deeſt, ſed judicium. Vandili quibusdam etiam *Vindili* dicuntur. Porrò quos Plinius hic

Vandili.

Gutto-

Gattones appellat, Tacitus libro ſecundo Hiſt. Aug. vocat *Gotones*. Scribit enim Catualdam nobilem juvenem vi Marobodui profugum, ad Gotones veniſſe. Videlicet ex Marcomannis ad extremam Germaniam conceſſerat. in Gotones Vandalorum nationem. In libello De ſitu & moribus Germanorum. *Trans Lygios*, inquit, *Gotthones regnant*. Nec ſunt Gotones pro Gotthis accipiendi. Quin ipſi Procopio non habeo fidem, Vandilos Gothicæ nationis facienti, niſi nationes horum aliquot à Gotthis ſubactas intelligamus, quibus ut vicinis permixti fuere. Sed circa Mæotidem conſediſſe conſtat, à Gotthis pulſos, ut arbitror. Cæterum amplum fuit Gotthorum & Getarum nomen apud veteres. Nam orbis deſcriptio facta Theodoſio Cæſare jubente, docet *Germaniam omnemq́; Gotthiam ad Huiſtlam amnem usq́; extendi, qui Dacorum etiam Alanorumq́; ſit terminus.* Tibiſcum intelligo. Sequitur, ALTERUM GENUS INGÆVONES. Quidam ſcribunt, *Ingenones*. Sed neutrum recte. Nam Germanica dictio eſt, quemadmodum oſtendam, innuens eos qui ſinus maris accolant. Itaque ſciendum *Vuic* ſive *Veig* lingua Saxonum & eorum Germanorum qui circa mare habitant, ſignificare ſinum maris aut fluvii, quod ſuperior Germania *Vuog* appellat, & *uuonen* eſt habitare. Vnde Vuigeuuones dicti qui ſinus maris incolerent, quos una atque altera litera omiſſa, nam geminatis nos gaudemus, Romani Vigevones appellarũt

Vuicg. (margin)

Vuigevones. (margin)

Hos ſcribæ etymologiam vocabuli ignorantes in Ingevones verterunt, pro *VI* nobis *IN* depingentes, qui lapſus in veteribus ſcripturis creber eſt. Proinde ſatis liquet *Vigevones ſcribendum.* Hoc etiã ipſi populi probant, *Quorum*, inquit, *pars Cimbri, Teutoni.* Notum enim eſt iſtos Septentrionalis Oceani ſinus accoluiſſe. Sequitur, A CAUCHORUM GENTE. Tu repone, *Ac Cauchorum gentes.* Nam Tacitus ait Cauchos à Friſijs incipientes, partem littoris occupare. Sed & inſulas incoluere Cauchi. Quare ſunt inter Vigevones numerandi. Nec ſine cauſa dicit Plinius, *Cauchorum gentes,* populi magnitudinem oſtenſurus, quem Tacitus aſſerit immenſum terrarum ſpatium non tenere tantum, ſed & implere. Ex hiis Cauchis Franci prodiere ſine dubio, nam Cauchorum nobiliſſimam gentem Francos fuiſſe reor. Igitur olim Franci Wigevones erant. Tacitus; *Proximi,* inquit, *Oceano Vigevones.* ſic enim legendum. Plinius noſter capite præcedenti de Septentrionali Oceano loquens, *Incipit,* inquit, *inde clarior aperiri fama ab gente Ingævonum, quæ eſt prima. Inde Germaniæ Sevo mons,* Plinii locus *ibi immenſus, nec Ripheis jugis minor.* Quæ verba ſic legi diſtinguique debent. *Incipit deinde,* ſubaudi Septentrionalis Oceanus, *clariore aperiri fama ab gente Vigevonum, quæ eſt prima. Inde Germania Mons Sevo ibi immenſus.* &c. Tranſcripſit hunc locũ Solinus, *Mons,* inquit, *Sevo ipſe ingens, nec Riphæis minor collibus, initium Germaniæ facit. Hunc Ingævones tenent,*

a qui-

à quibus primis poſt Scythas nomen Germanicum conſurgit. In manu ſcripto Plinii codice legitur, *Mons Ebo.* Sequitur, PROXIMI AUTEM RHENO ISTÆVONES, præcipuum Germanorum regnum fuit ad Oceanum Septentrionalem. Illic enim Teutonorum ſedes inclytæ gentis, quibus ipſe Tuiſcon olim imperaſſe videatur. Hii igitur eos qui ad Rhenum & Danubiũ habitabant, tanquàm ultimos & remotiſſimos cultores, *Iſtevuones* vocarunt, quod ſuperior Germania durius loquens, *die eſſerſtevuuoner* diceret. Ac attendendum hic, fieri reſpectum ad maritimos illos & inſulares populos. Tacitus cæteros ſcribit Iſtævones vocari, hoc eſt, qui medii non ſunt neque Oceano proximi. Sequitur, *Quorum pars Cimbri.* Quid hic nobis delirat Plinius, Cimbros Iſtevonibus annumerans, quos antè Vigevones eſſe dixit? Hanc ob cauſam omnes legunt Cimbri mediterranei. de quibus ſuave eſt legere varias autorum recentium conjecturas, quo loco ponendi ſint neſcientiũ. Nec animadvertunt quum Iſtævones plane ripenſes ſint, nihil cum hiis cõvenire mediterraneos vel Cimbros, vel alios quoſuis. Ingens hic mendum eſt, & locus peſſimè depravatus. Tu ſic caſtiga, *Quorum pars Sicambri.* Et colon adde, nam hic ſententiæ finis eſt. Sequitur, MEDITERRANEI HERMIONES. Tacitus, *Medÿ*, inquit, *Hermiones.* Dicti ſunt Hermuuones mediterranei Germaniæ populi inter Rhenum & Danubium habitantes: Nam *Her* Septentrionalium *Hermuones*

trionalium Germanorum lingua terram ſignificat, nos hic addimus literam t, vel d. dicimus enim *Herd*, appellaturi iſtos mediterraneos *Herduuoner*. Facillimũ vero fuit *Heruuones* ſive *Hernuuones* in *Hermiones* vel *Herminones* per errorem mutare. Scribit Pomponius Mela ultra Cimbros & Teutonos ultimos Germaniæ eſſe Herminones. Nec dubium eſt, inter Cimbros Vigevones & Quados Iſtevones ad Danubium, Heruuones extitiſſe, nam illic priſcis admodum temporibus Vandalorum gentes locatas arbitror, proximè Peucinos & Baſtarnas, qui Dacis contermini ſunt. Jam Vigevonibus & Friſii debent accenſeri, Iſtevonibus poſt Sicambros in Galliam traductos, Tencteri, Uſipii, Bructeri, Chamavi, & Angrivarii, ac priuſquam Rhenum tranſirent olim Ubii. Tandem vero Franci quoque è Vigevonibus facti ſunt Iſtevones, occupatis ad Rhenum locis, quemadmodum oſtendimus libro primo: Saxonesque poſtea Iſtevones propter Veſtphaliam, & Herivones propter interiores regiones, qui prius Vigevones fuerant. Cæterum quod Tacitus tradit, Manno Tuiſconis filio tres filios aſſignari, è quorum nominibus iſti populi ſic fuerint appellati, intellige Mannum in hanc formam teſtamentum condidiſſe. *Maximo natu Vigevones, hoc eſt, littorales inſulareſq́ populi parento. Minimus natu Herivonibus, hoc eſt, mediterraneis imperato, Medium inter hos, Iſtevones, hoc eſt, ripas Rheni Danubijq́ accolentes, regem habento, A ſubjectis quiſq́ populis nomen accipito.*

Sequitur

Sequitur, VISTILLUS SIVE VISTULA ALBIS. Quid diſcriminis eſt inter Viſtillum & Viſtulam, ut vocem repetat Plinius? nihil certe. Locus eſt mutatus. Tu repone, *Viſtillus*, *Suevus*, *Albis*. Erroris cauſam dedit prior ſyllaba ſequentis dictionis, quam inepte bis ſcripſit librarius, alius tranſpoſitis ejus ſyllabæ literis legit *Suevia*, alius emendavit, *Sive Viſtula*. Suevi fluvii meminit Ptolomæus. Quidam hodie Zuenum vocari putant. Sequitur, NVLLI INFERIVS NOBILITATE. Hic leve erratum eſt, ſed tamen de hoc lectorem admonere voluimus, ut totum caput perpurgatum habeat. Itaque ſcribendum, *Nullo inferius nobilitate*, Hercynium jugum prætenditur. Porrò videre facile eſt, quantus labor ſit emendare Plinium, & quàm res neceſſaria: ut peſſimè de literis mereantur, qui hoc agentes eis non ſolum rident, ſed & conviciis proſcindunt. *Suevus fl.*

DE DIOECESIBUS EPI-ſcopalibus.

ROmanorum magiſtratuum diœceſeis (ſic enim etiam illi vocarunt quas adminiſtrationes dicere poſſumus) apud Chriſtianos epiſcopi, imitatione Ethnicorum gubernandas ſuſceperunt. Unde volumen Præfecturarum Romanarum enumerat *Vicarium diœceſeos Aſianæ*, *Vicariũ diœceſeos Ponticæ*, & *Vicariũ diœceſeos Thraciarum*. Sic vir illuſtris Præfectus prætorio Italiæ multas diœceſes ſub ſe habet. Nec pauciores præfect' prętorio Galliarũ. Con-

ſtat

ſtat autem primum in Græcia floruiſſe Chriſtianiſmum, unde & hoc nomen eſt mutuata antiquitas. Sed ut appareat, quomodo prophanam Romanorum ditionem Eccleſiaſtica ditio propemodum ſit æmulata, rem exemplo manifeſtabimus. Raurici ſive exteriores Sequani præter magiſtratum Rauricenſis Auguſtæ, Præſidem Maximæ Sequanorum olim agnoſcebant, qui apud Veſontionem habitabat. Et hodie Rauricis Sequaniſque ciſmontanis omnibus à Vocetio monte uſque ad rivum Eckenbachum, Sequanorum Triboccorumque ſive Germaniæ primæ diſcriminatorem, qui miliario ſupra Selestadium viſitur, Baſilienſis antiſtes præeſt, archiepiſcopo Veſontino ſubjectus. *Veſontin archiepiſ.* Simili pacto Tribocos ſive Triboccos ab Eckenbachio rivo terminali Saletionem uſque regit Argentoratenſis præſul, antiqua Triboccorum oppida ſummum, Elcebum, aut hujus ruinas potius, & infimum, Brocomagum ſub ſe habens: ab Argentorato vero quod etiam olim Triboccorum caput fuit, nomen ſortitus, non ſecus ac Comes ille militaris apud Romanos, cujus meminimus ſupra, ac in ſequentibus ſæpe mentionem faciemus. Dixi non ſine cauſa *propemodum*, quod fines alicubi variatos videam. Nam non dubito, quin Comes Argentoratenſis totam Triboccorum regionem ſive Germaniæ primæ partem, quæ ad Sequanos ciſmontanos, Leucos, & Mediomatricos olim pertinebat, ſub ſe habuerit. Siquidem Marcellinus Ararim ſcribit inter Germaniam

maniam

maniam primam flumen Sauconnam voca-
re, quo fluvium conſtat in Lotharingia in ex-
tremitate Voſagi montis Alpium oriri, in diœce-
ſi Leucorum, ſive Tullenſi. Proinde cernis hic
fines antiquos. Neque enim libuit Francorum
regi Dagoberto, Mediomatricorum & Leu-
corum Eccleſias occupatis jam finibus pror-
ſus ſpoliare. Idque etiam in aliis diœceſibus ac-
cidit, de variatione finium loquor, ſed hæc de-
monſtrare omnia longum eſſet. Nemetes Spirenſi
epiſcopo parent, Vangiones Borbetomagenſi
ſive Vormacienſi: Moguntiacenſis territorii
homines Moguntiacenſi: Ubii Agrippinen-
ſi: Nervii quondam Noviomagenſi tantum,
unde Noviomagum Nerviorum caput fuiſſe
colligo, nunc etiam Tornacenſi: Treviri Trevi-
renſi, Mediomatrici Mediomatricenſi, quem
nunc Metenſem vocant. Remi Remenſi. & ſic
de aliis. At rurſum ſicut Comes Argentora-
tenſis, Præfectus militum apud Nemetas &
Præfectus militum apud Vangionas, Ducem
Moguntiacenſem agnoſcebant, & Conſularem
(primæ Germaniæ), ita deinde Præſules illarū urbium Archi-
epiſcopo Moguntiacenſi ſubjecti ſunt. Et priuſ-
quam conſtituerentur (idquod ſub Francorum
regibus Dagoberto & Pipino factum arbitror)
illi, ... dubio procul in diœceſi Magunciacenſi
præſules erant. Sic Lugduni in Lugdunen-
ſi prima, Rotomagi in Lugdunenſi ſecunda,
Turonum in tertia, Senonum in quarta, Tre-
virorum in Belgica prima, Remorum in ſe-
cunda, Biturigum in Aquitanica prima, Burde-
galen-

Archiepiſ. Mogunt.

galenſium in ſecunda, Narbonenſium item in Narbonenſi prima, & Aquenſium in ſecunda. antiſtites, propter civitatum veterem primatū, (Metropoles enim ſunt) ſuæ quiſque regionis epiſcopis imperant. Atque hoc eſt quod Lucius papa dicit apud Gratianum, diſt. LXXX. *Urbes*, inquit, *& loca in quibus primates præſidere debent, non a modernis ſed multis ante adventum Chriſti ſtatuta ſunt temporibus: quorum Primatus etiã pro majoribus negociis appellabant.* Hæc ille. Quod autem de primariis Flaminibus ibidem ex Clemente refertur, minus placet. Vides igitur, ut opinor, quemadmodum eccleſiaſticæ diœceſes prophanas Romanorum diœceſeis imitatæ ſint. Porrò quum etiam tranſrhenana Germania ad Chriſti religionem converteretur, magna facta eſt acceſſio diœceſi Maguntiacenſi è Francis & vicinis advenis gentibus: Wormacienſi, Spirenſi, & Argentoratenſi, ex Alemannis, qui ſerius Chriſtianiſmum ſunt amplexi, non niſi inducti per Francos, ceu tradit Agathias, ſed tamen ante gentes iſtas advenas quorum mox meminimus. niſi velimus dicere, Maguntiacenſem antiſtitem Alemannorum aliquam cuilibet eccleſiæ partem adjeciſſe. nam arbitror Alemannos ad religionem noſtram longe antea fuiſſe converſos, priuſquam Argentorati ſedes epiſcopalis erigeretur. Cujus rei ſupra mentio nobis facta eſt. Baſilienſis eccleſia Rauricis & Sequanis ſuis contenta manſit, nec quenquam externum populum ſub ſuam recepit ditionem. At Conſtan-

tienſis,

tienſis, quæ Vindoniſſenſi ſucceſſiſſe putatur, propterea quòd olim Rhetiæ primæ fuerit attributa, eam ob cauſam magis ad Italiam quàm Galliam pertinens, præter magnam Rhetiæ primæ portionem, etiam neophytis Alemannis inſigniter aucta eſt. Eccleſia Auguſtana Rhetiæ primæ vetuſtiſſima eſt. quod docent martyres qui illic ob profeſſionem Chriſtiani nominis occubuerunt. Etenim (ut ſupra quoque diximus) Provinciæ Romanorum, ut Galliæ, quibus etiam ciſrhenana Germania annumerata quondam eſt, Pannoniæ, Noricum, & Rhetiæ, ſtatim Chriſti doctrinam acceperunt, quemadmodum Italia. Non quòd regiones totæ Chriſtianiſmum publicè amplecterentur, ſed quòd privatim ſacratiſſimæ religioni complures nomen darent. Soli Germani, & pertinaciuſcule quidem Alemanni, in paganiſmo perſtabant. Porrò Franci Chriſtiani facti, quod poſt illorum in ciſrhenanam Germaniam & penitiorem Galliam immigrationem accidit, etiam Alemannorum gentem ſibi ſubjectam paulatim Chriſtianis ſacris imbuendam curarunt, velut ex Agathia liquere poteſt. Proinde quoniam Francorum reges Alemannis imperabant, qui diu antea Rhetiam primam quæ Lico fluvio, Alpibus, & Danubio terminatur, occupaverant, veriſimile eſt doctores Chriſtianæ religionis ad illos ex Maguncìaco fuiſſe tranſmiſſos. Nam quis non credat Alemannos, quum tantopere abhorrerent à Chriſtianiſmo, ſævïſſe etiam in Chriſtianos, quoſcunque in Rhe-

tia reperiſſent. Hoc itaque pacto Eccleſia Au-guſtana Rhetiæ primæ videtur ſub ditionem veniſſe Magunciacenſis epiſcopi. Id quod de Curienſi quoque eccleſia ſentiendum. Nam de recentioribus, Vuirtzburgenſi, Eiſtetenſi, & Babinbergenſi, res ſatis conſtet. Nam omnino Francorum regibus Alemanni Chriſtianiſmū debent, & ab Alemannis occupatæ regiones, in quibus ſi non novum & qui illic antea non fuiſſet, induxerunt, ſaltem inſtaurarunt extinctū, atque rudem ac tenuem ad incrementa ſolide provexere. Nec hoc omittendum, videri tum Magunciacenſem Eccleſiam, tum Agrippinenſem, priuſquam Metropoles fierent (id quod D. Bonifacii tempeſtate factum eſt) ſub Trevirenſi fuiſſe. nam hoc nobis præeminentia loci perſuadet.

EXPOSITVS ET EMENDATVS apud Cæſarem locus de ortu ſylvæ Hercyniæ, ubi vulgò legitur, oriri id nemus à Nemetũ & Tauracorũ finibus.

C. Iulius Cæſar Commentariorum libro ſexto de Hercynia ſylva loquens. *Oritur*, inquit, *ab Helvetiorũ, & Nemetum, & Tauracorum finibus, rectaq; fluminis Danubii regione pertinet ad fines Dacorum, & Anartium.* Sed quid hic Nemetes faciunt, quos hodie pro Spirenſis diœceſeos cultoribus omnes accipiunt, & quidem rectè. Qui vero ſunt iſti Tauraci, ſive ut in ſincerioribus codicibus legitur, *Tauriaci*?

nam Curantem ab Helvetiis ſtatim ad Nemetum tetendit Cæſar, populos intermedios omittens, Rauracos, Sequanos, Tribocos ſive Mediomatricos, qui potius erant nominandi? An memoriæ lapſum dicere volumus? Crede mihi *Cæſaris locus.* Lector, locus iſte mendo non caret apud Cæſarem. Ego ſcribo pro Nemetum, *Venetum.* Sunt autem Venetes Rhetiæ populi ſui parte ad hunc Venetum lacum pertinentes, à quibus Venetus lacus dictus. Pomponius Mela: *Rhenus ab* *Lacus Venetus.* *Alpibus decidens, prope à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronum.* Illos Venetos arbitror apud Plinium dici Vennotes & Vennonetes, ubi recenſentur in inſcriptione illa Trophæi Alpium, apud Cl. Ptolemæum in deſcriptione Rhetiæ Vennontes. Unicæ vero literæ inverſio nobis illum errorem peperit. Ex Neneto enim doctor aliquis fecit Nemetum. Porrò nomine Tauricorũ accipio, Turgavos. Siquidem ſuſpicor Taurum ſive Tauriam fluvium olim fuiſſe dictum, quem hæc ætas *Turum* vocat, à quo Turgaviæ vocabulum, quam vi- *Durgau.* demus tam latè protenſam olim ut Turegum etiam complecteretur, ab amne quoque Turo ſive Turgavia nominatum, nimirum quòd Tauriaci tractus velut angulus & extremitas eſſet, ut primo libro docuimus. Turegum autem in Turgavenſi pago ſitũ ſub adminiſtratione Ducis Alemaniæ, docet diploma Ludeuuichi regis Francorum. Nam ab Alemānis Tauriacus tractus totus occupatus eſt cum vicinis regionibus, ut ſupra diximus. Nec vero me latet, Tauracos à

quibuſdam autoribus uſurpari pro Rauraci. Cæterum Acromi lacus alterius nomenclaturam (ut arbitror) refert viculus ille in lacum excurrens, quem vernaculus ſermo *Romershorn* appellat, quaſi dicas Acromi cornu ſive promontorium. Videtur autem Hercynium nemus ætate Julii Cæſaris ad lacum Venetum uſque pertinuiſſe, priuſquam videlicet inter Alemanniam & Rhetiam ſuperiorem limes conſtitueretur eo tractu ubi hodie Tujeliam arcem & Cregiam videmus, indubiè munimenta Romanorum. Juliomagum verſus, quod ego corrupte *Pfullendorff* dici conjicio, & Brigobannem, ad fontem Danubii declinando. Nam ea loca Romani repurgari curarunt, ſylvæ parte reciſa.

MARTIANA SYLVA.

MArtianam ſylvam vocavere Romani ſuperiorem partem Hercynii nemoris, quã vernaculo ſermone Germani *den Schuuartzuuald* appellant, hoc eſt, ſi quis interpretationem requirat, nigram ſylvam. Sed dubium eſt an à Marte vernaculum iſtud nomen ſit deductum olim, quandoquidem à Germanis lucos & nemora conſecrari conſueſſe, deorumque nominibus appellari ſecretum illud quod ſola reverentia videbant, Tacitus tradit. an potius (quæ mihi probatur opinio) (*Orczuuald*, hoc eſt Hercynium nemus, addita litera, s, mutatũ ſit à novis cultoribus Alemãnis in *Schuuartzuuald*. Solet enim vulgus incognitas voces detorquere in aliquod forte ſignificatum, quamlibet abſur-

abſurdum. Nam Mars (ut arbitror) apud Germanos ſuum habet nomen. Ammianus lib. xxi. de Juliano Cæſare loquens, *Profecturus itaq; per Martianas ſylvas, viasq; junctas Hiſtri fluminis ripis.* De Martiana ſylva meminimus in Alemannicis libro primo.

ORCYNHEIM

QUam ſylvam Græci Latinique Hercyniã vocant, Germani veteres appellabant Orcyniam, autore Julio Cæſare. Proinde quod oppidum ſermo vernaculus *Pfortzheim* nominat, *Orcynheim* fuit dictum ab Orcynio nemore, in cujus meditullio ſitum eſt. Sicut Bojohemum à Bojis. Nam quæ de Phorcyde Phrygiæ narrantur, ad librum Luciani pertinent, cui ille titulum fecit ἀληθοῦς ἱστορίας. Porrò Orcynium nemus, quæ poſtea Martiana ſylva dici cœpit, Julianus Auguſtus perluſtravit, ex Rauracis ad Danubium profectus, ubi hæc ætas Ulmam conditam videt. Itaque meminit hujus nemoris alicubi citante Suida, in hæc verba, πρὸς τὴν ἑρκυνίαν ὕλην ἐθέομεν. καὶ εἶδον ἐγὼ χρῆμα ἐξαίσιον, ἰδοῦ γοῦν τοι θαῤῥῶν ἐγὼ ἐγγυῶμαι μήποτε ὦφθαι τοιοῦτον, μηδὲ ὅσα ποτὲ γῆ ἡμεῖς ἴσμεν ἐν τῇ ῥωμαίων. ἀλλ᾽ εἴτε τὰ θετταλικὰ τέμπη δύσβατα νομίζει τις, εἴτε τὰς ἐν θερμοπύλαις, εἴτε τὸν μέγαν καὶ διωλύγιον ταῦρον, ἐλάχιστον ἔσω χαλεπότητος ἕνεκα πρὸς τὴν ἑρκυνίαν σύνομα. Quorum verborũ hæc eſt ſententia, *Ad ſylvam Hercyniam accur-*

Pfortzheim.

rimus. Ac vidi ego rem inſigniter magnificam. Ecce enim confidenti animo tibi pollicerer, neq; ipſe ullum nemus vidiſſe, neq; quantum ego ſane exiſtimem, in Romano orbe extare. Verum ſive quis ponat Tempe quæ in Theſſalia ſunt, ſive ſilvas Thermopylis proximas, aut vaſtum illum & ingentem Taurum, plurimum incommoditatis ad iter habere, minimum ſanè fuerit quantum ad difficultatem aſperitatemq; attinet, ſi comparatio fiat cum ſylva cui Hercyniæ nomen eſt.

NICER.

NIcer amnis eſt quem vulgus eundem omnino hodie Necharū appellat. Oritur in Martiana ſylva. Panegyriſtes ad Conſtantinum Magnum, *Sed pulchrum,* inquit, *tibi videtur, & pulchrum vere pulcherrimum eſt, ut Rhenus iſte non ſolum ſuperioribus locis, ubi aut latitudine vadoſus aut vicinia fontis exiguus, ſed etiam ibi novo ponte calcetur, ubi totus eſt, ubi jam plurimos hauſit amnes, quos hic noſter ingens fluvius, & Barbarus Nicer, & Mænus invexit.* Loquitur autem de ponte Agrippinenſi. Auſonius in Moſella.

Lupodunum,

Hoſtibus exactis Nicrum ſuper & Lupodunum.

Fl. Vopiſcus in vita Probi Cæſaris, de Germanis agens, *Et quum jam in noſtra ripa,* inquit, *imo per omnes Gallias, ſecuri vagarentur, cæſis propè quadringentis millibus qui Romanum occupaverant ſolum; reliquos ultra Nicrum fluvium & Albim removit.* Sic enim utrobiq; legendum docuimus capite De ſtatu Germaniæ veteris libro primo.

DANU-

DANUBIUS.

MArtianus Capella ſatis innuit, Danubium à monte Abnova ſic fontem habet, [illegible] quum inquit, *Hiſter fluvi-* [illegible] *in Germania de cacumine montis ad no-* [illegible] *magnitudinis amnis aſſumens, etiam Danubi-* [illegible] Tu ſcribe, *de cacumine montis* [illegible], nam librarij vitium eſt. Nec curan- dum [illegible] ſcribatur an Abnova pro B enim V [illegible]. Germani D litera aut cu- [illegible] dicebant *Danau* pro *die Abnau*, [illegible]. Equidem Germanicum [illegible] collem terrenum & cam- [illegible] noſtrates angiam vocant, [illegible] montem ſylvoſum. Et [illegible] eſt. Proinde Tacitus [illegible] montis Abnobæ [illegible]. Cæterum Herodotus ex civi- [illegible] Danubium fluere ſcribit, & è [illegible] vernaculum tractus Po- [illegible] ad Pyrrhenem. Ac Cel- [illegible] more veterum autorum [illegible], Phylarchi, Hermippi, & [illegible], Germanos intelligere opor- [illegible] [illegible] *id eſt,* [illegible] *Danubius fluvius initio ſumpto è* [illegible] *mediam ſe[c]ans* [illegible]. Marcellinus lib. [illegible]. *Amnis verò*

Capella locus.

Amn[illegible]

Danubius inquit, *oriens prope Rauracos montes, limitibus Rheticis per latiorem orbem protentus, ac ſexaginta navigabileis penè recipiens fluvios, ſeptem oſtijs per hoc Scythicum latus erumpit in mare.* Hæc ille. Tam propinquus autem fuit limiti Rhetiæ Germaniæque Danubij fons, ut quidã dixerint Danubiũ oriri in Rhetia. Claudianus,

Sublimis in Arctom
Prominet Hercyniæ confinis Rhetia ſylvæ,
Quæ ſe Danubij jactat Rhenių, parentem.

NOMINA FLUVIORUM GERmanicarum.

Aha NOmina fluviorum Germanica pleraque in *aha* deſinunt, ut in ſylva Martiana, *Kuntzaha, Schiltaha, Vuolfaha,* In ſaltu Volagi, *Lebraha, Andelaha, Haſelaha.* Apud Ruvacum, *Ruvaha,* quæ nomen oppido & arci dedit. *Suartzaha* apud Cœnobium ejuſdem appellationis in tractu Badenſi. Proxime Auguſtam in Rhetia prima, *Vuertaha,* qui Virdo olim dictus eſt, ac ſub nemore Bohemico, *Maravaha.* Huius quoque deſinentiæ fuiſſe credo fluvium quem lacus Turegienſis emittit. *Feaha* in ſuburbio Seleſtadienſi, ſed mutato prius nomine, Ello amni miſcetur.

GERMANICÆ LOCORUM APPELlationes quædam,

APud Germanos vicis & arcib. nomina pleque

ſuiq; familiæ nobiles indiderunt, ut Quendelingi in Saxonia Quēdelingeburgo. Tubingi, Reutelingi, Ezelingi, Geppingi, Geiſelingi in Alemannia memoriam ſui reliquere vicis conſtructis, quæ hodie oppida videmus. Nordlingi in Nordgauia habitantes, unde & nomen nacti ſunt, conditis domiciliis Nordlingen oppidum conſtituerunt. Et ſic de multis alijs. Non aliter oppidulum Seleſtadio proximum hodie *Gemar* dictum, in diplomate Caroli Magni quo Lebrahenſis cœnobij inſtitutionem à Volrado factum, approbat, nominatur *Gamaringa*, à nobili aliqua gente Gamaringorum. Arbitror vero Colmariam primum Colmaringam appellatā à Colmaringis. Nam hac terminatione gaudebant olim Franci & Alemanni, imò Germani omnes. *Gemar.*

JUHONUM CIVITAS APUD TACITUM.

COR. Tacitus in ipſo calce libri decimitertij Hiſtoriæ Auguſtæ, *Sed civitas Juhonū*, inquit, *ſocia nobis malo improviſo afflicta eſt. Nā ignes terra editi, villas, arva, vicos, paſſim corripiebant, ferebanturq; in ipſa conditæ nuper coloniæ mœnia. Neq; extingui poterant. Non ſi imbres caderent, non ſi fluvialib. aquis, aut quo alio humore niterentur. donec inopia remedij, & ira cladis, agreſtes quidam eminus ſaxa jacere, deinde reſidentib. flammis propius ſuggreſſi, ictu fuſtium, aliisq; verberibus, ut feras abſterrebant. Poſtremo tegmina corpori direpta injiciunt, quanto*

magis prophana uſu & viliori polluta, tanto magis oppreſſura ignes. Hactenus Tacitus. Civitatē hic uſurpat, quod & Cæſar ſubinde facit, pro toto agro omnique ditione. Coloniam pro oppido civitatis. Verbi gratia, ſi Reſpublica Seleſtadienſis vicos circumquaque ſitos pleno jure poſſideret, omnes illorum habitatores eſſent de civitate Seleſtadienſi, ſed non de oppido. Hoc obiter annotare placuit, ut ſciatur inter civitatem & oppidum differentia. Suſpicatus aliquando ſum civitatem illa Juhionum in Nordgavia fuiſſe, & coloniam ipſam eſſe quod illic oppidum hæc ætas Ala vocat, propterea quod ſciebā Hermunduros ſemper faviſſe Romanis, & apud illud municipiū Romani imperii ſubterraneos muros extare longiſſimo ſpatio vetuſtatem admirandam arguenteis. Et jactatur vulgo oppidum Alahenſe primum libertatem nactum. Sed poſtquam in mentem mihi venit, Tacitum ejus civitatis libro quoque ſecundo meminiſſe, de Germanico Cæſare loquentem qui in Cauchorum terram tempeſtate maris tandem delatus, nihilominus poſt inſignem eam mari cladem acceptam, in Chattos & Marſos exercitum duxerit, re feliciſſimè geſta, deprehendi Juhionum civitatem eſſe Friſiis & Chaucis propinquam circa amnem Amiſiam. Verba Taciti eo loco ſunt hæc, *Reductus inde Iuhiona miles.* Tametſi in æditionibus vulgatis ſcriptum eſt, *in Hiona*, diviſis dictionibus, ac aſteriſcus appoſitus, arbitrante Beroaldo legendum, *in hyberna.* Cæterum apparet apud Juhio-

Civitas & oppidum quo differant.

Ahlen.

[illegible] militum ſtativa fuiſſe & hybernacula.

PALAS SIVE CAPELLATIUM REGIONIS NOMEN *unde Comitis appellatio.*

EA regio quam hodie vernacula lingua Pfaltziam, indoctè Palatinatum vocamus, olim Capellatii vel Palas nomen habuit. Am. Marcellinus lib. XVIII. *Quum ventum fuiſſet ad regionem cui Capellatij vel Palas nomen eſt.* Ab hac itaque priſca voce Palatini vocabulum deſcendit, & non à palatio vel imperatoris, vel regis Francorum. nam ſunt qui Palatinum eſſe putant, qui à Francis olim Major domus fuerit appellatus. *Julianus Cæſar poſt Argentoratenſem pugnam, qua Alemannorum copias penitus delevit, quum ſuſpicaretur eam gentem tanto amiſſorum damno civium affectam, minimè quieturam ſed aliquid auſuram hoſtile, ut cæteris quoque terrorem incuteret recenti etiamnum nuper acceptæ cladis memoria, Maguntiaci per pontem illic conſtitutum tranſire voluit. Obſiſtunt Alemanni pontem obſervantes. At Julianus noctu trecentos milites aſtuarijs navibus quadraginta impoſitos, adeo tacitos tranſire Rhenum jubet, ut etiam remi ſuſpenderentur. Hij quum Reges & Regales* (ſunt autem Regales Regũ filij) & *Regulos ab Hortarij Regis convivio jam multa nocte venientes in fugam vertiſſent, & e ſervis qui pedibus illos ſequebantur, quæ ſola acciderant tandem cognovere Alemanni tranſiſſe Romanos, & metu perculſi quæ nocturnum tempus augebat, diffugiunt. Mox ponte con-*

conſtrato, per Hortarij regna Juliano favente tranſitum eſt in terras infeſtorum regum. Quibus hoſtiliter tractatis, ventum eſt ad regionem cui Capellatij vel Palas nomen eſt. Ubi Macriano & Hariobaudo, Vadomario, Urio, Urſicino, & Verſalpo Alemannorum regibus pacem obſecrantibus pax eſt conceſſa. In hæc fermè verba Am. Marcellinus libro XVIII. Et meminimus nos in Alemannis libro primo. Palatinæ ditioni imperat hodie clariſſimus princeps Ludovicus ex familia Bavariæ ducum, cujus partem obtinet ad Danubium. Unde Comitis illinc, hinc vero Ducis habet titulum. Hujus Heroïs gloriæ non parva facta eſt acceſſio ſuperioribus annis, profligato Franciſco Siccingio nobiliſſimo illo equite. quam rem confecit non abſque Theſeis ſuis, hoc eſt, Archiepiſcopo Treuirenſi Richardo Griphenclojo, & Philippo Cattorum Principe, expeditionis ejus & ſocietatis conſortibus.

TRAIANI BURGUM, TRANBURG. *hodie Cronburg.*

MUnimentum illud quod in Alemannorum ſolo conditum Trajanus dum Germaniam provinciam procuraret, ſuo nomine voluit appellari, reparatum à Juliano Cæſare, locato ibi præſidio, ſuſpicor eſſe ex deſcriptione Marcellini, Cronburgum prope Francofordiam. Hujus quoque meminimus in Alemannis. Trajanæ meminit Ptolemæus prope Moguntiacum, ſed in parte diverſa.

BUDORIS.

BUdorim potius credam eſſe Durlacum, quam Heidelbergam, quod veteris nominis partem referat Et præ ſe fert alioqui mirandam antiquitatem Durlacum. In cauſa poteſt eſſe, quod quicquid inter Rhenum eſt & Nicrum, velut in Provinciæ formam redactum aliquot annos Romanis paruit. Hinc tantum vetuſtatis reperias non ſolum in Nicri litore, ſed in intermediis etiam locis. Unde manavit illa apud Vuaiblingam inſcriptio, CLODIVS HOC FECIT VXORI SVÆ. Nec de Francorum rege debet intelligi, quod præfectus aliquis Romanus poſuit. Sed vulgus hiſtoricorum neſcio cujus familiæ cum Francis affinitatem hoc argumento perſuadere conatur. Hinc apud Ettelingam tabula lapidea fuit reperta, cui Neptunus erat inſculptus, quam nos Sebuſii vidimus, quo Maximilanus Cæſar afferri ſuo ſumptu juſſerat. Hodie poſſidet inſignis ille Baro Joan: Jacobus à Merſpurgo, Præfectus Cæſareus apud Hagenojam.

SALINGOSTADIUM.

A Salo fluvio Salingi dicti Franci, in ripa amnis Mœni nominatum à ſe Salingoſtadium oppidum conſtruxerunt. Hos Romani Salios appellarunt, ut ex Marcellino liquet qui hac utitur voce, Gallicani ſcribæ Salicos dixere, & Legem eorum Salicam, De hoc mentionem fecimus in Francis.

FRANCO-

FRANCOFORDIA.

HUnc trajectum Mœni fluminis Franci poſſidebant, à quo oppido nomen datum per eam occaſionem nato. Sed cogitandum an in hujus quoque ripa amnis oppida duo Schweinsfurdia & Ochſenfurdia, à Suevis & Foſis populis potius ſint dicta quàm à ſignificatarum beſtiarum tranſitu, vel conditorum cognominibus.

CATTIMELIBOCI.

CAttelebocí quos hodie Germani *Catzenelebogios* vocant, de quo vocabulo mirum quis poſſit qui veram etymologiam ignorat. Catthi ſunt Melibocum montem, cujus Ptolemæus meminit, accolentes, Annotavimus & hoc in Heſſis libro primo.

BOIEMUM TACITO, VELLEIO Bojohemum, Bubiemum ſive Bujtemum Straboni, pro loco Ptolemæo Bœmi, gens ipſa.

FAbula eſt quod vernaculi Sclavinorum Bohemorum annales produnt de regionis ejus vocabulo, propterea videlicet appellatam Bohemiam, quod Sclavini hac voce eis vaticinium ſignificante, ex nuper occupatis illis finibus, quum ea provincia non omnem caperet, in medio iſtos Orcyniæ ſylvæ ſaltus tranſgreſſi ob repertam illic fatidicam mulierem nomine Libyſſam, hujuſmodi nomenclaturã regio-

regionem indiderunt. Nam Cornelius Tacitus in libro De ſitu moribusq; Germanorum, validioribus olim Gallorum rebus exiſtentibus, D. Julio teſte, etiam Gallos in Germaniam tranſcendiſſe docens, de Bojis Gallica gente dat exemplum, quos ſcribit ulteriora Hercyniæ ſylvæ inſediſſe; manſiſſe ſua quoque tempeſtate, hoc eſt, F. Veſpaſiano Principe Bojemi nomen & ſignificare loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus. Id quod ipſe exponit paulo poſt in eodem libello, Marcomannos tradens pulſis Bojis Bojohemũ occupaſſe, quũ inquit, *Præcipua Marcomannorum gloria vireſq;, atq; ipſa etiam ſedes pulſis olim Bois virtute parta*. At Velleius Paterculus antiquior ſcriptor, ut qui ſub Tiberio Cæſare Præfectus equitum fuerit in Germania, regioni quam Maroboduus Marcomannorum rex incolebat, *Bojohemo* nomen fuiſſe dicit. Boeheim. Maroboduo namque duce Marcomannos excitos ſedibus ſuis, quæ magis ad Danubiũ vergebant, atq; in interiora refugientes, incincto Hercyniæ ſylvę campos inhabitaſſe, eo magis etiam timendos quòd quum Germaniam ad lævam & in fronte, Pannoniam ad dextram, à tergo ſedium ſuarum haberent Noricos, tanquam in omneis ſemper venturi, ab omnibus timebantur. Sic nobis Bohemiam Marcomannorum ſedem deſcribit Velleius, quã in hoc Maroboduus occupavit, ut remota procul à Romanis in Danubii ripis perpetua præſidia agentib. gente ſua potētiora quidē arma vitaret, ſua aũt faceret potētiſſima.

Nactus

Nactus ſanè Bohemiam Maroboduus, finitimos omneis, puta Catthos, Cheruſcos, Bructeros, & ab altera parte verſus Danubium Hermunduros, Quados, & vicinas Suevorum nationes, aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit. Sed & Strabo qui ſub Auguſto & Tyberio floruit, Bohemiam ſignanter deſcribit, oſtendens à Maroboduo ſua ætate occupatam. Sic autem inquit lib. ſeptimo, Ἐν ταύτῃ δ' ἐστὶ καὶ ὁ ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν σουήυων ἔθνη, τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ καθάπερ τὰ τῶν κολδύλων, ἐν οἷς ἐστι καὶ τὸ βουβίεμον τὸ τοῦ μαροβούδου βασίλειον. εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομμάνους. ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου μετὰ τὴν ἐκ ῥώμης ἐπάνοδον. νέος γὰρ ἦν ὑνθάδε, καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ σεβαστοῦ. ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε καὶ κατεκτήσατο πρὸς οἷς εἶπον, λουίους τε μέγα ἔθνος καὶ ζούμους καὶ βούτονας [illegible] ... νας καὶ σιβινοὺς, καὶ τῶν σουήυων αὐτῶν μέγα ἔθνος σέμνονας. Quæ verba ſic poſſunt Latinè reddi *In hac* (ſ. Germaniæ regione) *eſt etiam Hercynium nemus, & Suevorum nationes, partim ſanè habitantes intra nemus, quemadmodum Coldulorum gentes. In quibus extat & Bubiemum Marobudi regia. In quem ille locum quum alios complureis traduxit, tum etiam populareis ſuos Marcomannos. Siquidem hic quum antè privatus fuiſſet, poſt reditum ex urbe Roma, rebus admini-*

ſtrandis

ſtrandis præfectus eſt. adoleſcens enim illic vixit, & beneficiis ornatus eſt ab Auguſto. Reverſus autem in patriam regnare cœpit, & præter gentes quas nominavi (videlicet Marcomannos, Coldulos, & quos alios in Bojohemum tranſtulit) *etiam Luios magnam gentem, & Zumos, Butones, Mugilones, Sibinos, & ipſorum Suevorum populoſam nationem, Semnones, imperio ſuo adjecit.* Porrò depravatus eſt, nec hic tantum, Aſulanicus codex Græcus, in quo βουιάσμον legitur. Emendatius exemplar habuit Guarinus Veronenſis Strabonis interpres, qui *Bubiemum* vertit. Quanquam fortaſſis βουίεμον legendum fuerat. ſed fieri poteſt ut ipſe Strabo Germanicam dictionem ſic corruperit, ut ſunt in peregrinis etiam in Latinis incurioſiores Græci. Et alioqui quælibet natio ſuo more externa profert. Rurſus de Bohemia loquitur Strabo, quum paulo poſt inquit, ὁ δὲ ἑρκιώιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐςὶ καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς κύκλον περιλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσω δὲ ἱδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη, περὶ ἧς εἰρήκαμεν. Hoc eſt, *Hercynium nemus admodum denſum eſt, & in locis deſertis eximiæ magnitudinis arboribus præditum, ambitum magnum complectens. In meditullio verò collocata eſt regio quæ commode inhabitari poteſt, de qua locuti jam ſumus.* Porrò Ptolemæus in hoc tractu Bemos ponit, conciſum vocabulum uſurpans, qui etiam vulgo noſtrati mos eſt. Nec vero Græci in mediis dictionibus niſi per

Strabonis locus.

Bemi. Böhmen.

Αγχόθι πηγάων καλλιρόου ἠριδανοῖο.

hoc eſt,

Pyrrhenes ſequitur mons, Poſt hunc Celtica tellus
Eridani fontis contingens rauca fluenta,

Nomine Celtarum Gallos Togatos intelligit, qui Italis Ciſalpini ſunt. Hujus Pyrenæi meminit poeta quoque Baſſus in epigrammate quodam, quod in laudem Germanici Cæſaris ſcripſit, cujus cum Germanis pugnas quos ipſe vocabulo Celtarum innuit veterum more Græcorum, Pyrenæum iſtum ait aſpexiſſe. Retulit id carmẽ in primum librum Epigrammaton Maximus Planudes. Sunt autem hujusmodi verſiculi.

Οὔρεα πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθυάγγεες ἄλπεις
αἱ ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε,
Μάρτυρες ἀκτίνων, γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν
ἀστράπτων κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον.

Saxa Pyrenæi, & depreſſæ vallibus Alpes,
Quæ Rheni fontes haud procul aſpicitis,
Vidiſtis radios, Cæſar Germanicus ædit
Quos cum Teutonibus fulgure belligerans.

Pyrenæis montibus nomen inditum ajunt à crebris fulminum ignibus.

CAMPI CAVINI IN RHETIA *Prima.*

DE campis Cavinis mentionẽ facit Sidonius in Panegyrico Julij Valerij Majoriani Cæſaris, hijs verſibus,

Conſcenderat Alpes
Rhetorumq́; jugo per longa ſilentia ductus

Romano exierat populato trux Alemannus,
Perq́, Cavi quondam dictos de nomine campos
In prædam centum novies dimiſerat hoſtes.

Ammianus Marcel. lib. xv. Conſtantio Auguſto loquens, qui pagis Alemannicis bellum indixerat, ex Inſubribus in Rhetiam primam movens, *Ad quem*, inquit, *procinctum Imperator egreſſus in Rhetias, campoſq́, venit Cavinos*. Cogitandum autem an oppidum Rhetiæ primæ quod *Caufburen* hodie vocant, ab Cavinis iſtis campis habeat nomen, vel quaſi Cavinus fons dictum, vel potius à ruſticis ædibus Cavinorum camporum ſic appellatum. de Cavinis campis obiter meminimus in Alemannis lib. primo.

Kaufbaurē

ARBOR FELIX.

ARbor felix, oppidulum eſt in ripa lacus Acromi ſitum, quem veteres Brigantinū dixere, medio ferè loco inter Brigantium & Cōſtantiam. Hodie ſermo vernaculus *Arbon* appellat. Unde monachi D. Galli qui nobis aliquot divorum vitas conſcripſere, vetuſtatis ignari, Arbonam dixere. Meminit Arboris Felicis Antoninus in Itinerario. Liber Præfecturarum Romanarum oſtendit, Tribunum cohortis Herculeæ Pannoniorum aliquando ſtativa ſua habuiſſe Arbore, ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Rhetiæ primæ & ſecundæ. Sic apud Brigantiam ſive Confluentes præſidiū agitabat, Præfectus numeri Barbaricariorum.

Arbona.

FINIS

FINES.

IN ripa Turi ſive Tauriæ fluvij caſtellum extat, Ad fines à Romanis appellatum. Hodie Germani vocant *Pfin*. Nec fruſtra nomen habuit, velut limes fortaſſis inter Rhetiam primã & tractum Tauriaçum. Mentio fit hujus ab Antonino. *Pfin.*

CONSTANTIA.

SCribit Marcellinus Sequanam prope Caſtra Conſtantia fundi in mare. Quo loco hodie Conſtantiã urbẽ epiſcopalem videmus attributam Nortmanniæ. Non aliter Conſtantia noſtra ad effluentem ex Acromo lacu Rhenum & Veneto ſeſe immergentem ſita, à caſtris Conſtantiis originem habet, quæ Conſtantius illic exædificavit pro militum præſidijs, adverſum Alemannorum incurſiones excubantium. Unde conjicere licet, limitem illum Rhetiæ & Alemanniæ non ita procul abfuiſſe à Conſtantia. Hic ſtativa militum erant, hic hybernacula. Quum Ammianus ſcribit, Alemannos Arbetione Romanarum copiarum duce fugato ſublatis animis ferocib incedentes, cottidie prope munimenta Romana ſtrictis mucronibus discurriſſe, frendendo minas tumidas intendentes, iſtum indubie locum ſignificat, ubi Conſtantiam hodie cernimus. Nam in mandatis hoc ab Imperatore Conſtantio acceperat Arbetio, ut margines lacus Brigantini legeret. Huc ajunt Epiſcopalem ſedem ex Vindoniſſa tranſ-

latam. De qua re diximus ſuprà. Tabula lapidea vetus, in qua mentio fit *Impp. C. Aurel. Val. Diocletiani, & M. Aurel. Val. Maximiani, & Val. Conſtantii, & Gal. Val. Cæſ.* videtur ex Vituduro oppido propinquo Conſtantiam advecta. Fuit is Conſtantius pater Conſtantini Magni. Extat epiſtola Leonardi Aretini, qua Conſtantiam accurata deſcribit, ad Nicolaum.

INSULA LACUS VENETI, ID EST, *Brigantini Inferioris.*

LAcus Venetus inſulam habet, quæ Major augia à Chronographis monachis vocatur. *Reichenau.* Sermo vernaculus Divitem appellat. Cœnobio Benedictinorum antiquiſſimo ornatur. In hac Tyberius Cæſar aliquando caſtra habuit cũ Vindelicis bellum gerens, autore Strabone, cuius hæc ſunt verba lib. VII. *Is habet*, inquit, *inſulam qua velut arce ad invadendos Vindelicos commodiſſimè uſus in navalibus pugnis Tiberius.* Et addit paulo pòſt, *Cæterum,* inquit, *Tiberius à lacu unius diei progreſſus iter, Iſtri fontes aſpexit.*

FORUM TYBERII, ET GAUNO-*dorum.*

EO durante bello Tyberius in vico Helvetiorum non procul à ripa Rheni hyemabat, *Kayſerſtuol.* cui Forum Tyberii nomen obvenit, quod illic ſuis etiam jus redderet. Germani Tribunal Cæſaris ſua lingua vocant. Ab hoc crediderim non multum abfuiſſe Helvetiorum alterum oppidum, Ptolemæo Gaunodurum appellatũ. Sanè

Zurtzaci

Zurtzaci nomen non penitus abludit, ſic dictũ Alemannis pro Duraco. Gaunum autem vetere Gallorum lingua, qua ſunt uſi Helvetii, ſaxum ſignificat. Unde Agauno vocabulum inditum in Octodurenſi tractu. Monendum id duxi, quo certius inveſtigari locus queat. Nã propter cataractas Rheni libenter id nomen Louſenbergo tribuerem. Sed ſunt & ſuperiores cataractæ. *Gaunum.*

Schefhusium.

NOvum oppidum eſt Schefhuſium, à domibus naviculatorum nomen habens. Nam illic olim trajectus Rheni fuit, ubi pontem hodie videmus.

Castellum Thermarum, ac *Thermæ Helveticæ.*

COR. Tacitus lib. xvii hiſtoriæ Auguſtæ de Cæcina agens, qui Vitellianarum partiũ, cum Germanicis legionib. propiore trãſitu nẽpe Pœninis jugis in Italiam feſtinabat, Fabio Valente per Cottianas Alpeis & per Galliam ingrediente, ſic ſcribit, *Irritaverant*, inquit, *turbidum ingenium Helvetii Gallica gens, olim armis viriſq;* (ſic enim legendum eſt) *mox memoria nominis clara, de cæde Galbæ ignari, & Vitellii imperium abnuentes. Initiũ bello fuit avaritia ac feſtinatio undeviceſimæ legionis. Rapuerãt pecuniã miſſã in ſtipendiũ caſtelli, quod olim Helvetii ſuis militibus ac ſtipendiis tuebãtur. Ægrè id paſſi Helvetii, interceptis epiſtolis, quæ nomi* *Taciti locus.*

ne Germanici exercitus ad Pannonicas legiones ferebantur, centurionem & quoſdam militum in cuſtodia retinebant. Cæcina belli avidus, proximam quamq; culpam, antequàm pœniteret, ultum ibat. Mota properè caſtra. Vaſtati agri. Direptus longa pace in modum municipij extructus locus, amœno ſalubrium aquarum uſu frequens. Hactenus Tacitus. Arbitror caſtellum id, cujus hic fit mentio, Badenſem arcem eſſe: quam ampliorem olim fuiſſe, veſtigia murorum arguunt, antiquitatem erutis illic tabulis lapideis & inſcriptis commonſtrantibus; cujus rei fidem nobis facit Felix Hemmerlinus Turegenſis. in libello *de Thermis.* Hodie præter ſpeculam in monte ſitam parum ſupereſt. Alemannos puto, quum Maximam Sequanorum occuparent, aut paulo prioribus incurſionibus, ita vaſtaſſe. Porrò locus quem in Municipii modum extructum, id temporis direptum à militibus Cecinæ tradit, vicum reor fuiſſe qui à Thermis ipſis per acclivem monticulum uſque ad Caſtellum ipſum pertinuerit. Hodie videmus oppidum arci conjunctum, ſed nō minus quàm ea tempeſtate peramœno ſalubrium illarum aquarum uſu frequens. Nam diverſoria habet elegantiſſima, populum comem. Agnoſcit hoc tēpore vetuſtiorum octo pagorum communem Ariſtocratiam, quolibet biennio novum præfectum per vices ſubſtituentium. Proinde Caſtellum Thermarum dici poterit. Debemus Tacito, quod illius ſimulque Thermarum antiquitatem agnoſcimus, quas quidam proximis ſeculis à paſtore pecorum

Caſtelli Thermarum antiquitas.

Baden.

pecorum inventas credit. Sed tamen fieri poteſt, ut aliquam multis annis intermiſſo illarum uſu latuerint prorſus ignoratæ.

VOCECIUS MONS.

Helvetii propter vaſtatos agros (ut diximus) vicum thermarum direptum, commoti in Cæcinam & Vitellium, lecto Claudio Severo duce ſtatuerant legioni reſiſtere. Sed quum cogitarent exitioſum adverſus veteranos eſſe prælium, & intutam obſidionem Caſtelli dilapſis vetuſtate mœnibus, non auſi tentare fortunam, arma abjecerunt inter Cæcinæ exercitum & Rhæticas cohortes in medio vagabundi. Magna pars ſaucii aut palantes in Vocecium perfugere. unde depulſi, conſectantibuſque Germanis ac Rhætis per ſylvas atque in ipſis latebris trucidati. In hanc fermè ſententiã Tacitus ſcribit. Vocecium montem, ni fallor, hodie Germanicus ſermo nominat *den Bœtzberg*, B pro V uſurpans. Juraſſi pars eſt, infamis ob lamas & voragines, quas præſertim pluvio tempore tranſire ſit difficilimũ, adeo terra mollis eſt & uliginoſa. Habet adhærentem in imo viculum quem Vocetium vulgus appellat, verſus Rauracos. *Batzberg.*

VINDONISSA.

Vindoniſſa nobilis olim fuit legionum hybernaculis. Tacitus Hiſt. Auguſtæ lib. xx. *Hyberna ſubverſa crematáq;, ÿs tantum relictis quæ Maguncìaci ac Vindoniſſæ ſita ſunt.* Paulo poſt eodem libro, *Atq; interim*, inquit,

una & xx. legio Vindoniſſa, Sextilius Felix cum auxiliariys cohortibus per Rhetiam irrupere. Porrò ſita fuit ad amnem Ruzam, ubi Arulam recipit: habuitque magnam commoditatem à duobus illis navigabilibus fluviis duos trajectus ſortita, ac alteram quoque Ruzæ fluvii ripam ædificiis olim complexa. Hanc Alemanni in Maximam Sequanorum irruentes, ante ſæpius vexatam primum deſtruxerunt ſub ruinam Romani Imperii. Porrigebantur verſus Habisburgum arcē, quod nihil miri ſit ſi à Vindoniſa quoque nomen habeat. Ferunt hic epiſcopalem ſedem fuiſſe, quæ poſtea Conſtantiam, (proxima civitas erat) traducta ſit, per Hunnorum (ut arbitror) incurſionē denuo omnibus evaſtatis, ut vix hodie pagi nomē mereatur. Duos epiſcopos Vindoniſſenſes in antiquis conciliis reperio, Gammatium in Lugdunenſi, in Epaonenſi Bubulcum. Poſſibile eſt diœceſeos Vindoniſſenſis partem uſque ad Turi fluvii ripas pertingentem, qui Rhetiæ, (ni fallor) & Maximæ Sequanorum limes fuit, epiſcopo Conſtantienſi Rhetiæ primæ, qui magnam Alemanniæ portionem, magnam Rhetiæ primæ poſſidet attributam, alteram partē Lauſanenſi. Nam apparet in Helvetiis, Aventico gentis capite excepto nullam civitatem fuiſſe celebriorem, In campis Vindoniſſæ verſus arcē Habisburgiā Val. Conſtantius Conſtantini Magni pater numeroſas Alemānorū copias delevit. Unde Panegyriſtes clamat, *Quid*, inquit, *commemorem Lingonicam victoriam, Imperatoris ipſius vulnere glorioſam?*

Vuindiſch.

Quid

Quid Vindoniſſæ campos hoſtium ſtrage cõpletos. & adhuc oſſibus opertos? In libro provinciarum Gallicarum, annumeratur Vindoniſſa caſtris Maximæ Sequanorum, hoc eſt oppidis vulgaribus, & quæ epiſcopum non habent. In hunc enim ſenſum Decreta Pontificum caſtri nomẽclaturam uſurpant.

VALLIS POENINA.

VAllem Pœninam ſatis conſtat eam eſſe quam hodie priore vocabulo ſervato Valleſiam dicimus. Regio eſt Helvetiis hoc tempore fœderata, cujus caput Sedunum olim Octodorus erat. Sed vaſtato Octodoro ſedes epiſcopalis è Veragris iu civitatem Sedunenſiũ eſt translata, quemadmodum modo de Vindoniſſa factum meminimus. Nam tempore eodem & Octodorum floruit & Vindoniſſa. Cujus rei evidens argumentum eſt, quòd in iiſdem Conciliis utriuſque eccleſiæ Epiſcopus affuiſſe reperi. Nam in vetuſto quodam codice poſt decreta Lugdunenſis ſynodi in catalogo ſubſcribentium antiſtitũ ſic legitur, *Rufus epiſcopus eccleſiæ Octodorenſiũ* In Epaonenſi cõcilio ſic, *Cõſtãtius epiſcopus civitatis Octodorenſis.* Et præcedit, *Orbicius epiſcopus eccleſiæ Veſontienſis.* Cõſidera quã multis ab hinc ſæculis Synodi iſtę celebratæ ſint. nã Veſontinus tametſi metropolitanus, epiſcopum ſe tantũ nominat, non archiepiſcopum. Nec fit illic Lauſanenſis epiſcopi mẽtio, quem nondum, ut videtur, habebat ea eccleſia, Veſontinæ tantum parens. Sed libet

Octodori

Vvallis.

O.Todorum.

Octodori & Agauni deſcriptionem ex vita D. Mauritii paucis recenſere.

Octodori Descriptio.

Maximianus Cæſar ad conprimendam Bagaudarum factionem in Gallias properãs, ad Alpium Pœninarum aditum venit. Transmeantibus iter Alpium, poſt arduam & horrendam viam, ſubito æqualis loci campeſtris occurit grata planicies: quo in loco oppidum factum eſt, quod Octodorus nomen accepit. Circa quod irrigua fluminibus prata atq; agrorũ fertilis cultura porrigitur. Deinde Rhodani fluminis validus curſus offertur, qui more ſuo leniter fluens regionis ipſius grata amœnitate commendat.

Agauni Descriptio.

Thebæa legio præteriens Octodorum oppidũ, ad locũ cui Agauno nomen eſt celeriter properavit, ut duodecim millium ſpacio ab Octodoro ſeparata, neceſſitatem committendi ſacrilegium præteriret. Agaunum accolæ interpretatione Gallici ſermones ſaxum dicunt. Quo in loco ita vaſtis rupibus Rhodani fluminis curſus artatur, ut tranſeundi facultate ſubſtracta, conſtratis pontibus viam ficri itineris neceſſitas imperaret. Undiq; tamen imminentib. ſaxis parvus quidem, ſed amœnus irriguus fontib. campus includitur: ubi feſſi milites legionis Thebææ poſt laborem tanti itineris, reſederant. Ibi poſtea juſſu Maximiani bis decimati ſunt, & omnes tandem reliqui ſimul jugulati, quum ipſe princeps apud Octodorũ interim

Agaunum

eſſet,

eſſet, quod duodecim millium ſpatio diſtat ab Agauno. Deinde poſt multos annos ab illa tarde, Theodorus Octodorenſis ſive Sedunenſis epiſcopus (ut cõjicio, nam hiſtoria vocat illius loci Epiſcopũ, ego intelligo territoriũ) Baſilicã Agauni conſtruxit, quæ vaſtæ nunc adjuncta eſt rupi. Proinde liquere poteſt Agaunenſe monaſteriũ non eſſe id quod quidã hodie Octodorenſe vocandũ cenſent. nec Agaunũ & Octodorũ ejuſdem eſſe loci vocabula, quũ duodecim milliũ inter ſe diſtent, & Octodorũ (ut ſuprà didicimus) in plano campo ſitum ſit, cõtrà autem Agaunum rupibus undiq; cingatur ac ſaxis juxta Rhodanum. Porrò quum iſtã Agauni deſcriptionem lego, venit mihi in mentẽ Loufenbergi, quod oppidũ in confinio Rauricorũ & Helvetiorum poſitum non ſine cauſa arbitror Ptolemæo Gaunodurũ dictum, ut & ſupra attigimus. Nam arx quã habet, munimentũ provinciæ fuit adverſum Germanos tranſrhenanos. Deſcribit Octodorũ Julius Cæſar in initio tertii libri Commentariorum. *Galba ſecundis*, inquit, *aliquot prælis factis, caſtellisq; compluribus eorũ expugnatis, miſſis ad eum undiq; legatis, obſidibusq; datis, & pace facta, conſtituit cohortes duas in Nantuatibus* (ſic enim legendũ eſt) *collocare, & ipſe cum reliquis ejus legionis cohortibus, in vico Veragrorum, qui appellatur Octodorus, hyemare. Qui vicus poſitus in valle non magna, adjecta planicie, altiſſimis montibus undique continetur: Quum hic duas in partes flumine divideretur, alteram partem ejus vici Gallis ad hyemandum concesſit,*

Lauffenberg.

Comment. Cæſaris locus.

conceſſit, alteram vacuam ab ijs relictam cohortibus atribuit. Hæc Cæſar. Octodorū Alemanni qui in Vallem Pœninam immigrarunt, hodie Martenachum appellant. Peninas Alpeis Cæſar Summas vocat, hoc eſt partem illarum hoc donat nomine, quum ſcribit, ſe Servium Galbam cum legione duodecima, & parte equitatus in Nantuates, Veragros, Sedunosq́ue miſiſſe, qui à finibus Allobrogum & Lacu Lemano & flumine Rhodano ad ſummas Alpes pertinent. Unde Antoninus in Itinerario ſuo inter Auguſtam Prætoriã & Octodorum Summi Pœnini meminit. Idem Alpem ſummam alibi ponit in Alpibus maritimis. Tacitus Pœnina juga nominat, tradens Cæcinam per ſuperiorem Germaniam & Helvetios, propiore itinere in Italiam tranſcendiſſe, contra longiore Fab. Valentem, nempe per Galliam & Cottianas Alpeis Veniebant autem ex Ubijs. Illius verba hæc ſunt lib. xvij. *Ingens,* inquit, *viribus opibusq́; Vitellius, duos duces duo itinera bello deſtinavit. Fab. Valens allicere, vel ſi abnuerent, vaſtare Gallias, & Cottianis Alpibus Italiam irrumpere, Cæcina propiore tranſitu Pœninis jugis digredi juſſus.* Rurſum paulo poſt. *In Alpe Graja ipſe paululum conctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret, ſed reputans Noricos incerta victoriæ præmia ceſſuros, Pœnino itinere ſubſignanum militem & grave legionum agmen, hybernis adhuc nivibus traduxit.* Hactenus Tacitus. Catalogus quo provinciæ Gallicæ recenſentur cum civitatibus epiſcopalibus, civitatem

tatem Vallenſium, id eſt Octodorum, Alpibus Pœninis attribuit, Grajis Tarentaſiam. Cæterū Vallem Pœninam, Rhætiam, & Vindeliciam à Q. Cæcilio Ciſiaco Septitio Prolegato, ſimul fuiſſe gubernatas inſcriptio docet, quæ Veronæ extat apud D. Florianum, hujuſmodi verbis,

Q. CAECILIO CISIACO SEPTITIO PICAI CAICILIANO PROCVR. AVGVSTOR. ET PROLEG. PROVINTIAI RAITIAI ET VINDELIC. ET VALLIS POENIN. AVGVRI FLAMINI DIVI AVG. ET ROMAI C. LIGVRIVS L. F. VOL. ASPER. C CON. I. CR. INGENVOR.

Sed tamen re exactius perpenſa, malim hoc accipere de Valle Pœnina, quæ fontibus Atheſis & Oeni vicina eſt. Nam ſcio quàm longe porrigantur Alpes quæ Pœninæ vocari ſcriptoribus ſolent. Et Vallis Pœnina de qua nos agimus, magis ad Galliam pertinuit, Alpium Pœninarum Præſidi ſubjecta, qui Præfecto prætorio Galliarum parebat. Verum Rhetiæ erant juris Italici. Rhodanum ex Pœninis Alpibus oriri Marcellinus autor eſt.

AVENTICUM HELVETIO-*rum.*

AVenticum caput Helvetiorum fuiſſe tradit Tacitus, quū de Helvetiis à Cæcina Vitellioq; profligatis loquens, *Multa hominū*, inquit, *millia cæſa, multa ſub corona venūdata. Quū que direptis omnibus Aventicum gentis caput juſto agmine peteretur, miſſi qui dederent civitatem.* Hæc ille. Liber provinciarum Galli-

carum,

carum, in provincia Maximæ Sequanorum civitatem Helvetiorum recenſet, cui additum, *id eſt Aventicum.* Ego Vindoniſſam civitatibus Maximæ Sequanorum potius annumeravero, Caſtris Aventicum attribuens. Nemo vero miretur Ptolemæum Sequanis Aventicum aſſignare. Siquidem is Romanorum adminiſtrationem reſpexit, qua non ſolum Aventicum, ſed tota Helvetiorum regio Maximæ Sequanorum annumerata Præſidem Veſontionenſem agnoſcebat. Sicut adhuc facit, quantum ad forum Eccleſiaſticum attinet, niſi quòd Vindoniſſenſis diœceſeos pars Conſtantiæ Rheticæ eſt attributa: ceu ſupra meminimus. Vuiſerii in Helvetiis extat inſcriptio, qua *Aventicenſes incolæ T. Tertio Severo ob ejus erga ſe merita donum ſe poſuiſſe* teſtantur. Ibidem *Donatus exactor tributorum in Helvetiis*, elogium habet. Inſcriptiones quæ inter ruinas Aventici reperiuntur, non viſum eſt apponere. Subditum id hodie Friburgenſium ditioni. Aventicenſis pagi devaſtati ab Alemannis Oudarius ſemilatinus autor mentionem facit, quem in hiſtoria ſua Paulus Æmilius inter primos ſecutus eſt.

NUITHONUM REGIO.

BUrgundiones Vandalici generis autore Plinio, quid vetat credere quum meliores agros quæſitum irent, rapuiſſe ſecum Nuithones, quorum niſi apud Tacitum nulla amplius memoria, qui tranſgreſſi cum illis in Sequanos, citra Juram conſederint in Helvetiis, ubi hodie

Bernam

Bernam & Friburgum oppida cultiſſima cernimus. Nam is tractus hodie Nuithlandia appellatur, & Minor Burgundia. Meminimus de hac re in Burgundionibus lib. I. De origine vulgatæ iſtius appellationis multæ conjecturæ ſũt, inter quas fortaſſe & hæc noſtra locũ habebit. *Niuchiland.*

VERBIGENUS HELVETIORUM PA-
gus apud Cæſarem.

JUl. Cæſar lib. I. Commentariorũ ſuorũ, de deditione Helvetiorum loquutus, *Dum ea conquirantur, & conferuntur,* inquit, *nocte intermiſſa circiter hominum millia ſex ejus pagi, qui Verbigenus appellatur, ſive timore perterriti, ne armis traditis ſupplicio afficerentur, ſive ſpe ſalutis inducti, quod in tanta multitudine dedititiorũ ſuam fugam aut omnino ignorari poſſe exiſtimarent, prima nocte ex caſtris Helvetiorum egreſſi, ad Rhenum fineſq; Germanorum contenderunt.* Huc uſque Cæſar. Dubium eſt apud eruditos quiſnam, iſte Verbigenus pagus, aut ubi fuerit. Dicam conjecturam meam. Suſpicor ſcribendum, *Urbienus*, ad vernaculam fortaſſis veterum Helvetiorum linguam. Alioqui mallem *Urbinus*. Eſt autem Urba antiquiſſimum oppidum Helvetiorum, in illa, ceu poſterior ætas vocare cœpit, Cisjurana Burgundia, non minus vetuſtatis præ ſe ferens ruinis ædificiorũ quàm ipſum Aventicum. Agnoſcit hodie civitatem Fribergenſem. Inter lacum Lauſinnum, hoc eſt Lemanum & Arioricam Urba Antonino ponitur.

SALODORUM.

ANtiquitas Salodori in confeſſo eſt. Jacet in ripa Arulæ fluvii, qui Argaviæ nomen dedit. Meminit ejus Antoninus. Salodori ferũt Urſum & Victorem ex Thebæa legione pro Chriſto ſupplicium ultimum ſuſtinuiſſe.

AUGUSTA RAURICORUM

RAuricorum veterum & Sequanorum Ciſmontanorum loca tenent hodie Alemanni, qui à tempore collapſi Imperii Romani diœceſim Baſilienſem incolunt, hoc eſt à monte Vocecio incipiendo, Vricgaviã (quæ Rauricorum nomen refert, primoribus duabus literis ablatis) Ciſgaviam, Sungaviam, & Elſatiam ſuperiorem. Siquidem Rauricos & Sequanos Ciſmontanos à Tribonis ſive Tribocis foſſa illa terminalis dividit miliario ſupra Seleſtadium, per quam rivus fluit quem vocant Eckẽbachũ. Sanè Ptolemæus inter Rauricorũ oppida Auguſtam Rauricam recenſet, ac Argentuariam, quã addidit ideo quòd Sequanis paruerit, quib. Raurici juxta Provinciarum à Romanis inſtitutam gubernationem ſunt unà cum Helvetiis accenſiti. Eſt autem Argentuaria vicus ille quẽ hodie *Horburgum* quaſi Argburgum dicimus, proxime Colmariam, quæ tribus milliariis à Seleſtadio diſtat. Auguſta vero Rauricorũ inclyta illa quondam urbs, nunc ad miſerũ vicum, imò vix vici nomine dignum, redacta eſt, primum per bellicã hoſtilemq; violentiam exciſa, deinde per injuriã temporum paulatim tota cõſumpta,

Argentuaria.

Augſt, bey Baſel.

pta, adeo ut propemodum nihil ſupra terram appareat, quod priſcam magnificentiam indicet. Quin ipſos Rauricos indicat Cæſar Helvetiorum exemplo, omnia ſua oppida vicosq́;, & quicquid ædificiorum habebant exuſſiſſe. At ſub terra, (mirum dictum) quam plena muris ac ruderibus omnia. Viſuntur adhuc in colle non procul à molendino geminæ ſtructuræ cavæ ex ſilicibus quadratis compoſitæ hemicycli figura, quas cuinam uſui veteres ædificarint, nemo divinare poteſt, quum nec ciſternæ fuerint pro conſervanda aqua, nec apta quarumlibet rerum receptacula, multo verò minus ad propugnandum valuerint. Subterranearum veſtigia paſſim apparent Liechtſtallum usque, ubi puto ſpeculam fuiſſe Romanorum in monte. Unde conjicere poſſumus Auguſtæ magnitudinem, cum quàm amplis ſuburbiis cincta fuerit. Nihil autem admirabilius quam fornices ſubterranei toto fermè ſpacio quod modo diximus, è quadratis lapidibus extructi. Vulgus diverticula Romanorum fuiſſe credit, per quæ velut cuniculos quoſdam, hoſtilem illi vim metuentes, vel longa obſidione fatigati, ſeſe ſubducere conſueverint. Veriſimilius eſt aquæductus fuiſſe, non quidem aquæ fontanæ, cujus illic (ut eſt montium natura) crebræ ſunt ubiq; ſcaturigines, ſed fluvialis potius quæ ſordes civitatis ablueret. in quem uſum Baſilea plurimas ſub terra teſtudines habet, quæ res ad munditiem urbis in primis conducit. neque enim Argentorato quicquam aliud

magis officit, quam quod huiuſmodi egeſtoriis ſtructuris caret. Venit mihi ruinas illas contẽplanti in mentem aliquando Romanorum aquæductuum, de quib. Procopius; *Romæ*, inquit, *aquæductus quatuordecim ſunt, cocto ex latere per priſcos homines illos ædificati, ea latitudine ac ſimul profunditate, ut equeſter vir aliquis, ipſo cum equo per eos ſupernè evadere liberius queat*. Hæc ille. Jactat autẽ vulgus mirabilẽ fabulam, eſſe videlicet hic gazophylaciũ quoddã ſub terra, quod magnam auri vim cõtineat, à Romanis ibi depoſitam, ad quem locũ iis cryptis perveniatur. Hanc camerã ferrea janua claudi, cane pervigili tuente, qui in eos qui propius ſuggreſſi fuerint, rictum velut devoraturus diducat. Itaque nullus adhuc cõpertus eſt tam audax, qui cum hac belua congredi ſuſtinuerit. Ac proximis annis (nõ narro fabulã) quũ quidam extrema paupertate laboraret, & omnibus tentatis etiam ad mediocrem vitæ ſuſtentationem nihil ſuppeteret, erat autem uxor alenda cum liberis, & annona magno vendebatur, nec opificium ipſe noverat, ſtatuit ſecum experiri fortunam, ſatius eſſe ducens ſemel occumbere, quàm tantam miſeriam quotidie perpeti, cui nullum videret remedium. Proinde hujus theſauri potiundi ſpe teſtudines illas ſubterraneas penitiſſimè ſolus ingreſſus, diu quidem in ipſis erravit. Quum verò prope gazophylacium acceſſiſſet (ut ipſi videbatur) conſpectis illic humanis oſſibus, quæ diſcerptos aliquando homines fortaſſis ſimilia auſos indicabant,

Aquaductus.

cabant, & viſis neſcio quibus ſpectris, ita ſtatim ſubito quodam pavore exanimatus eſt miſer, ut diu jacuerit mortuo ſimilis. Tandem vix ſibi redditus aliquantulum, lento gradu viribus corporis omnibus deſtitutus erepſit, domum reverſus, poſtridie mortuus eſt. Crediderim ego, imaginationem illorum terriculamentorũ antè cõceptam, miſero tantũ metum invexiſſe. Quanquam etiam ſecretarũ artiũ periti negant ſe unquã penetrare potuiſſe, quamlibet magnis incantamentis inſtructos. Sed iis rebus nulla adhibenda fides. Inveniuntur paſſim in agro Rauricenſi nomiſmata ærea, nonnunquam, etiam argentea ac aurea, atque gemmæ ſignatoriæ. Nec dubitarim quin longe plura reperirentur, niſi locus eſſet deſertus, & ædificia ſubterranea partim vepres, partim agri frugiferi contegerent. Auguſtam Rauricorum hodie Germanica lingua *Augſt* appellat. vicina eſt Rinfeldiæ, cujus arcem à Baſilienſibus ab hinc annos plus minus quinquaginta demolitam, Rauricorum propugnaculum, fuiſſe crediderim. Attinetque ad ditionem Auſtriæ ducis. Ejus magnitudo vix conjici poteſt, quod paucis locis terra aperiatur eruendorũ duntaxat è muris lapidum gratia, quibus tamen non magnopere opus habent hodie Raurici, quippe qui in tuguriolis degũt argillaceis & ſtramẽtitiis. Quòd ſi hic eſſent qui ædificarent, & pro fundamentis ædium locandis terram altè effoderent, haud dubiè mira vetuſtatis argumenta ſcrutantibus occurrerent, & videri poſſet quouſ-

Rinfelden.

que fuiſſet potenta. Fidem tamen mihi faciunt aquæductus illi ſubterranei (de quibus dixi), ſeparatam aliquantulum à Rheno, quod in aliis etiam veteribus urbibus obſervare licet, Liechtſtallum verſus fuiſſe porrectam. Habuit autem indubiè munimentum Rheno flumini imminens. Sanè extant adhuc in contraria ripa arcis validiſſimæ veſtigia, qua ſe primum adverſus Germanos, deinde contra Alemannos advenam gentem tutati ſunt Romani. Quin etiam Wallenburgum (quod vocant) oppidulum ad exciſam illam rupem, *an dem Houuenſtein* ſitum, Rauricorum propugnaculum fuiſſe reor ac vallum. Unde nominis origo. Magis enim hoc placet, quàm quod ab Alemannis poſtea ſic ſit appellatum, qui Italos lingua ſua Vualos vocant, quorum hic præſidia ſemper erant. Nam Auguſta Rauricorum, colonia fuit Romanorum. Hucque deduxit eam orator ille clariſſimus L. Munatius Plancus, vir Conſularis ac Prætorius, M. T. Ciceronis diſcipulus, qui Lugdunum item coloniam traduxit, quemadmodum indicat inſcriptio vetus, quæ Cajetæ viſitur ſic habens,

Vuallenburg.

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRONEP. PLANCVS COS. CENS. IMP. VIIVIR EPVL. TRIVMPH. EX RHAETIS AEDEM SATVRNI FECIT DE MANVBIIS, AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI, IN GALLIA COLONIAS LVGDVNVM ET RAVRICAM.

Unde etiam antiquitatē Rauricorū colligere licet. Siquidē neceſſe eſt oppidum ſteriſſe, quò colo-

colonia fuerit deducta. Neque enim idem eſt urbem condere, & condere coloniam. Conditur urbs dum extruitur ubi antè non erat. Cõditur colonia, dum miſſis colonis occupatur. Fuit autem Auguſta Rauricorum colonia militaris, ab Auguſto ſic cognominata, cujus auſpiciis res geſta eſt, qualẽ Græci vocãt σεβαστὴν, quòd illis σεβαστὸς ſit, quem nos auguſtum dicimus. Porrò deſtruxerunt Auguſtam Rauricorum haud dubie primum Alemanni, quibus tãdem ſub Valentiniano ejus nominis tertio Theodoſii junioris ſucceſſore contigit, quod ante toties maximis etiam periculis fruſtra tentaverant, nempe ut Germaniam primam cum Elcebenſi regione, & Rauricenſem tractum ac Helvetiorum terras tum occuparent, tum pacificè poſſiderent. id quod illis nunquam antè contigerat, Nam quanquam in Ripenſem Galliã ſæpe transgreſſi ſunt, & ad tempus in ea habitarunt, non fuit tamen hoc illis perpetuũ & ſtabile. Equidem Gallia Ripenſis, quæ utranq; Germaniã & Rauricos Helvetiosque continet, Romanis paruit uſque ad hoc tempus. Siquidẽ Germania prima & ſecunda Conſulares habebant, ac Maxima Sequanorum ſive Provincia Sequanici, in qua præter Sequanos ipſos & Veſontios Raurici ſunt & Helvetii, regebatur à Præſide. Præterea tractum Argentoratenſem, hoc eſt Triboccorum regionem, quorum oppida ſunt Argentoratum, Brocomagus, & Elcebus (pro quo hodie Sleceſtadium habemus, unde totã provinciã poſtea *Elcus* vernacula ſim- *Elcebus.*

plicitas appellavit, quidam Alſatiam vocare auſi ſunt) Comes Argentoratenſis, vir ſpectabilis adminiſtrabat nomine Romanorum. Et item vir ſpectabilis Dux Magonciacenſis ſub ſua diſpoſitione habebat Præfectos militum, apud Saletionem, apud Tabernas, apud vicum Julium, apud Nemetas, apud Altam ripam, apud Vangionas, apud Magonciacum, apud Bingium, apud Bodobrigam, apud Confluentes, & apud Antonacum. Itaque quum primum Alemanni labente jam imperio Romano, dictas regiones ad Gallicam Rheni ripam vergentes invaſiſſent, quicquid erat munimentorum, & quicquid erat urbium exciderunt, veriti ne ſi redintegratis viribus reverterentur Romani, & ipſos depellerent, (quod ante ſæpiſſime contigerat) recuperatisque arcibus & oppidis terras eas rurſus facerent inexpugnabiles. Tum igitur Concordia, munimentum Romanorum, & alterum cui Tribonis nomen fuit, in tractu Argentoratenſi, Argentoratum, Saletio, Brocomagus, Elcebus, Argentuaria, Vindoniſſa, Forum Tiberii, Aventicum, & iſta noſtra Auguſta, ſed & interiores aliquot urbes ut Divodorum in Mediomatricis, Tullum & Naſiū in Leucis, & ſimiles everſæ ſunt; præcipuam tamen violentiam iis expertis quæ in ripa Rheni vel proximis Rheno locis ſitæ erant, quo ipſis per vim Romanorum repulſis facilior in futurum eſſet tranſitus. Quanquam ſi quis à Burgundionibus, & forte Nuithonibus (quorum Tacitus meminit) everſam putet Auguſtam

ſtam Rauricorum, Vindoniſſam, & Auenticum, nolim ei magnopere refragari. Nam Burgundiones (autore Plinio) originis Vandalicæ, ex Alemannia, ubi paucis annis precariò conſederant, primi fermè Barbarorum tranſito Rheno Sequanorum interiorum, & eorum Helvetiorum qui Juræ monti propinquiores ſunt, loca occupavere.

BASILEA.

NOn deſunt qui tradant Auguſtam Rauricam ab Ungaris fuiſſe deletam, & Baſileam ab Henrico Germanicorum rege, qui Othonis primi pater fuit, conditam & templis exornatam ab hinc annos ſexcentos & amplius aliquanto. Quorum prius non inficior, ut ſi quæ ſuperfuerint reliquiæ Auguſtæ Rauricorum, eæ ſint ab Ungaris conſumptæ, quos docet Regino Prumienſis & Luitprandus Ticinenſis, Germaniam, Italiam, Bajoariam, Alemanniam, & Galliam ipſam crebro pluſquàm hoſtiliter vexaſſe. Quod imprudentiæ Arnulphi Imperatoris debetur, qui truculentiſſimæ genti primus in noſtras regiones aditum patefecerit, quum hujus opera adverſus Zuentebaldum Maravanorum Principem ſubigendum uteretur. Et fit mentio *caſtri Rauricenſis* in libro Provinciarum Gallicarum, ubi civitates & caſtra Maximæ Sequanorum recenſentur. Alterum non credo. Neque enim qui vel mœnibus cingit oppidum, vel ampliat, aut ædibus ſacris exornat, ſtatim conditor dici meretur,

Nam ſic Vuolphelinus Cæſareus præfectus, tum Seleſtadii tum Colmariæ extructor foret, qui utrunque vicũ muro circumdedit. Et Vuerthrada regina Caroli Magni mater, Salodori, Colmariæ, Conſtantiæque eſſet autor quarum templis de proventibus proſpexit. Ac Himelgardis Sueviæ Duciſſa Seleſtadii extructrix dici deberet, propterea quòd illic templum in honorem dominici ſepulchri curarit ædificandum, quod poſtea divæ Fidei virgini dicatum eſt. Nec magis conditoris nomen meretur, qui privilegiis donat. Ego longe aliam opinionem de Baſilea habeo. Nam puto Baſileam dictam, non ἀπὸ τοῦ Βασιλέως, quòd à rege Henrico condita ſit, ſed à trajectu quem lingua Romanenſis, hoc eſt Gallica, paſſum vocat. Unde etiam Baſella Moſellanica (quam vulgo *Paſſel* appellamus) ſibi nomen vendicavit, ut ſit dicta Baſilea quaſi Paſſilea, Trajectum enim hoc loco fuiſſe veriſimile eſt etiamdum ſtante Auguſta, quòd hic propter vallem per quam torrens è Birſa ductus fluit, ripa ſit humilior, & ob multas cauſas ad tranſitum aptiſſima, apud Auguſtam autem prorſus abrupta. Proinde conſentaneum eſt hic tranſmittere ſolitos quibus cum Rauricis res eſſet, ut Germanorum, Tacito teſte, & dubio procul poſtea Alemanorum, in ripa tantum commercium. Huc facit, quod in Olinone perpetuum præſidium habebat Dux Sequanici tractus, non tam ob defenſionem provinciæ, quàm ad tuendum illum præcipuè trajectum, ad quem locus

Paſs.

ille

ille rectà reſpondet, Antiquam villam exiguum viculum attingens, & nunc prorſus ſylveſcens, retento tamen nomine. Et quia munimento opus habebat trajectus adverſum Germanos, & mox Alemannos, ideo duo propugnacula erexere Romani, quorum fundamentis turres iſtas duas impoſitas credo, quas hodie videmus, alteram in capite pontis, alteram paulo inferius, à ſale hodie nomen habentem quod in ea aſſervatur. Jam poſt triumphabundam illam Alemannorum in Galliam immigrationem, primum domus utrinq; ædificatæ ſunt naviculariorum & pandochiorum, initium futuræ duobus oppidis. Mox verò locus frequentior fieri cœpit, ut etiam mercatores illic habitarent, nam circa trajectus omnis generis hominum turba confluere ſolet. Nec alia res pluribus oppidis originem dedit, ut Schefhuſiæ ad Rhenum à nautarum caſis ſic appellatæ, Ulmæ apud Danubium, Heidelbergæ apud Nicrum, Seleſtadio apud Ellum fluvium, & innumeris aliis. Quando vero magis minui cœpit Auguſta, tanto Baſilea auctior indies facta eſt, novi populi qui nuper ex Germaniæ finibus Rhenum tranſierat, nova civitas, quum illam omnes fugerent velut inauſpicatam, & ſemirutam, hanc autem propter multas commoditates non ſolum trajectus ipſius, ſed & facilioris omnium rerum importationis, & melioris agris vicinum, omnes adamarent. Si quid igitur poſt multa excidia miſeræ Auguſtæ ſuperſuit, hoc totū velut colonia quædam Baſileā commigra-

vit

L. Munat. Plancus. vit. Hinc nos in Munatii Planci memoriam, & illuſtrationem Baſileæ Alemannorum coloniæ, hujuſmodi inſcriptionem compoſuimus, quæ in foro frumentario ſub imagine Munatii legitur.

L. Munatio Planco, civi Romano, viro Conſulari & Prætorio, oratoriq́, ac M. Ciceronis diſcipulo, qui poſt devictos Rhætos, æde Saturni de manibijs extructa, non modo Lugdunum, ſed & Rauricam coloniã deduxit, quæ Auguſta fuit appellata, ab Octavio Auguſto tum rerum potiente, S. P. Q. Baſilienſis tametſi Alemannorũ tranſducti coloni, ſubactis ac depulſis Rauricis, amore tamen virtutis quæ etiam in hoſte veneratione̅ meretur, vetuſtiſſimo tractus hujus illuſtratori, culpa temporum prorſus abolitam memoriam poſtliminio renovarunt. Anno M. D. XXVIII.

Porrò opinionis meæ argumentũ eſt, quod ſenes indigenæ narrare ſolent, ita à maioribus ſuis edocti, ubi hodie Baſilea eſt, olim nihil fuiſſe niſi trajectum Rheni, duabus iſtis turribus quæ etiamnum viſuntur, communitum. Et addunt, eam viam quæ à Rheno ducit ad forum piſcarium, ab inſtitoribus illic habitantibus inveniſſe nomen, adhuc antiquioribus notum, quæ vetus loci celebritas, confirmat eam urbis partem cæteris antiquiorem. Proinde qui Baſileam dictam putant, quòd regia civitas ſit, me non habebũt ὁμόψηφον. Oſtendimus enim modo quænam fuerit illius origo. Ac indubium eſt eo nomine vocatum locum priuſquam aliquid extructũ eſſet, quod regium dici meretur. Nec

mos

mos erat Romanis Græcanicas oppidis ſive monimentis à ſe conditis appellationes indere, multo minus Alemannis. Concordiam apud Triboccos agnoſcimus Romanorum opus, agnoſcimus Tabernas, Vicum Julium, Altam ripam, & quod iis omnibus Baſileæ vicinius eſt, Tyberii forum. Niſi concedere velimus, eos qui huic loco vocabulũ primi impoſuere, fuiſſe divinos, ut qui præſcierint exorituram ibi poſterioribus ſeculis civitatem quæ regia nomenclatura digna foret. Nam ſi quis hodie Baſileam contempletur, an non regiam vocabit? quando ea eſt viarum mundicies, ac ædium in commune æqualis ordo, quarundã etiam magnificentia atque amœnitas, præſertim quibus à tergo viridarium eſt D. Petri, Prædicatorũ cœnobium, amplas areas & hortos elegantiſſimos habentibus, & quæ Rhenum aſpectant, ut etiã iis qui Italiam viderunt, placere poſſit. niſi quòd hypocauſtorum uſus multos offendit non aſſuetos, & pandochiorum ſordes. Id quod cũ tota Germania commune habet. Cœli rara quædam ac grata temperies. Cives humani. Templorum ſatis magnus numerus. Epiſcopale reparatum olim fuit à D. Henrico Auguſto, quũ terræmotu concidiſſet, ſive ut quidam volunt, poſt Ungaricam vaſtationem, multiſque donariis ab eodem condecoratum. adeo ſemper Baſileæ bene voluerunt Henrici. Inter quæ eminet lamina illa aurea ligneæ tabulæ adhærens ſeptem millibus florenorum æſtimata, qua ipſe privatim in larario ſuo quum viveret uſus eſt.

Unde

Unde & tutelareis & divos refert, quos ille præcipuè coluit, nempe quatuor angelos, Michaelem, Gabrielem, Raphaelem, Urielem, & Benedictum, ac in horum medio ſtantem Chriſtũ cuius pedibus ipſe cum uxore Cunigunde advolvitur. Apud D. Petrum ſacerdotum ſodalitium eſt, quod collegium appellant. Martini phanum parochiale eſt duntaxat. Leonardi verò etiam Canonicos inſtituti D. Auguſtini habet, quos regulareis cognominant. Ii Ezelinum Canonicum epiſcopalis templi ſuum jactant autorem. Ego per ſimilem occaſionem inſtitutos puto, quemadmodum eos qui in mõte Turegienſi degunt, à Turegienſibus canonicis, & eos qui apud D. Arbogaſti vivunt, ab Argentoratenſibus cœnobiticam vitam deſerentibus natos prædicant. Parochia D. Udalrici vicina eſt ædi epiſcopali, Albani vero & Joannis ſuum quæque ſuburbium claudit. Illic Benedictinorum, quos Haſenburgius Baſilienſis epiſcopus acciuit; hic vero Joannitarum domicilium. Prædicatores in ſuburbio D. Joannis ampliſſimum poſſident cœnobium, ædificiis multis ac ſpacioſiſſimis hortis, præſertim autem Græca Bibliotheca ſpectabile. Ea potiti ſunt poſt mortem Joannis prius Argenſis Epiſcopi, deinde Cardinalis Raguſini, qui in ſynodo Baſilienſi in obeundis negotiis non poſtremas tulit. Franciſcani ad mœnia veteris urbis habitant inſignes ampliſſimo templo, quem locum Ezelinus Præpoſitus illis dedit. Auguſtinianis poſt hos receptis locum præbuit

ſenatus

ſenatus Baſilienſis, cui adhuc plus cæteris obnoxii ſunt. Cœnobia puellaria majus oppidum duo habet, & minus item duo præter monaſterium Cartuſienſium, & Parochiale D. Theodori templum ex adverſo ſitum. Ubi hodie Cartuſia eſt, ajunt magnificam olim domum ſtetiſſe, quæ Epiſcopi fuerit Baſilienſis, quum illi id oppidum adhuc pateret. quod aliquando pignori datum Duci Auſtriæ propter ſtipendia non ſoluta, ſenatus Baſilienſis redemit. Academia quo minus floreat, in cauſa eſt proventuum tenuitas, & nimia gymnaſiorum in Germania multitudo Præſtaret eſſe pauciora, & frequentia. Urbs ipſa abhinc annos plus minus ducentos ampliata eſt, & ſuburbia novo muro latiſſime circundata. Hinc magnum decus, nec minus cõmodi Concilium attulit œcumenicũ, hic propemodum decem & octo annis celebratum. Illuſtrat etiam hodie Typographorum ſolertia ac diligentia, quorum facile princeps Joannes Frobenius. Quod ſi quis ſive viridarium D. Petri contempletur tum amplum, tum ob arborũ copiam elegantiſſimum, cujus pars olim humandis Judæis ſerviit, ſeu pontem duo oppida conjugentem, & ad proſpectum in amnem cõvenienter accommodatum, facile fatebitur etiã cum amœniſſimis urbibus certare poſſe Baſileam. Si vero ſalubris cœli dotẽ expendat, proculdubio palmã dabit. Igitur qui talẽ civitatem Βασίλειαν, hoc eſt reginã vel regiã domum ludens vocarit, non multum aberrabit. Abſurdior eſt

Concilium Baſilienſe.

illorum

illorum opinio, qui à Baſiliſco hic reperto nomen traxiſſe volunt, propterea quod vident nonnunquam appingi Baſiliſcum qui inſignia urbis teneat. Nàm non conſiderant hoc fuiſſe ſolenne plerisque civitatibus, ut inſignia affingerent ad ſuum quæq; nomen in propria lingua alludentes. Sic florem profert Florentia, Colmaria clavam, Schafhuſia arietem. Id quod hodie paſſim fit ab iis qui natalibus reſtituuntur à Cæſare, dum imagines ſive inſignia affingunt quæ Princeps approbet. Sic invenimus nuper in antiquis picturis Oliverium illum, quo familiariter uſus eſt Carolus Magnus, pro inſignibus habuiſſe puellam quæ olivæ ramuſculum in manu ferret, velut ab oliva ferenda nomèn haberet. Magis ferendi ſunt, qui à Baſilio quodam Romano duce conditam & appellatam commemorant. Nam in antiquis codicibus ubique per i ſcribitur Baſilia, non per e, quemàdmodum etiam indicat liber Provinciarum & urbium Grajarum, Pœninarum, ac Gallicarum, quem vel ob hoc liquet non eſſe vetuſti autoris, quòd civitatem Baſilienſium inter civitates Maximæ Sequanorũ recenſeat, cujus nec Ptolemæus, nec Antoninus Aug. in Itinerario ſuo fecerint mentionem, ut quæ tum Auguſtæ Rauricæ fuerit annumerata, cujus erat tractus & pars. Sed creſcebat Baſilea, ac ab habitatoribus indies magis atque magis frequentabatur, Auguſta Vindoniſſaque evaneſcebant, quas tamen liber ille inter caſtra recenſet, hoc eſt oppida minuta, verum non liquet quo tem-

Liber Provinciarum

tempore ſit conſcriptus. Et inſulciuntur etiam antiquis interdum recentia, dum libri deſcribuntur. Itaq; Baſileæ primum epiſcopum præſediſſe tradunt Pantulum, eum quem hiſtoria divæ Urſulæ narrat cum illa virginum ſodalitate Romam profectum, & redeuntes Agrippinam usq; fuiſſe proſequutum, ibiq; unà cum illo puellarum examine ab inimicis Chriſtianæ religionis trucidatum. Id quoniam ſine teſtimoniis dicitur, quibus refragari non liceat, neſcio an apud omneis fidem mereatur. Veriſimile eſt hunc Pantulum è Veſontione Baſileam deſtinatum, ut novæ eccleſiæ præeſſet. Quanquam apud Rauricam quoque nihil dubito fuiſſe Chriſtianos aliquos. Siquidem Galliarum provinciæ citius Chriſtianiſmum ſunt amplexæ. Cæterum quemadmodum prophana poteſtas apud Sequanos & Veſontionem erat, cui Raurici Helvetiisque parebant, habebant enim Præſidem & Ducem, de quo ſuprà diſſeruimus ita etiam eccleſiaſtica autoritas illic primatum obtinuit. Mallem ego dicere Rauricenſium epiſcopum fuiſſe Pantulum, ſi modo eo tempore Romã profecta eſt Urſula, quod illius hiſtoria indicat, naſutioribus parum ſatisfaciens: Neque enim putant (ut de aliis taceamus) Francos & Alemannos facile paſſuros fuiſſe, ut adverſo Rheno opera equorum uſæ Baſileam navigarent, quum illi in ripam Gallicam ſemper oculos intentos haberent prædæ gratia. Quod ſi dicamus jam ad Chriſtum fuiſſe converſas iſtas gentes, quæ tranſiſſent pridem in Gallias,

Pantulus epiſcopus Baſilienſ.

adhuc vix credat aliquis homines aſſvetos militiæ potuiſſe prorſus ab injuriis manus abſtinere. Oſtenduntur adhuc Baſileæ gradus quibus ad templum aſcenderit, quod à D. Martino nunc cognominant, tum (ut videtur) ſi nõ epiſcopale, certe primarium, & fortaſſis unicum. Nam *Burgum* quod hodie vocant, ubi ædes epiſcopalis extructa cernitur, nihil aliud fuit quàm locus præſidio recipiendo idoneus, ad tuendum trajectum. Poſt Pantulum Baſilienſis ſedes multis ſeculis vacavit uſque ad tẽpora Caroli Magni, aut circiter. Nam catalogus epiſcoporum Baſilienſium primũ recenſet Walamum, qui tanto intervallo Pantalum ſit ſubſecutus. Ego meo fretus judicio malim dicere, Baſilienſem tractum in Veſontinæ eccleſiæ diœceſi ſive adminiſtratione fuiſſe, donec juxta ſanctionem, quæ in volumine legum Francicarum extat, in hunc ſenſum, *Singulæ civitates ſuos Epiſcopos habento*, proprium epiſcopum acceperit. Sic olim Argentoratenſis eccleſia ſub Mediomatricenſi fuit. Sed jam ſatis de Baſilea diſputatum eſt. Nos hic, ut in cæteris, ingenue noſtram opinionem aperuimus, in nullius certe præjudicium, liberum eſto cuique ſentire quod libet. Quid enim ſtultius, quàm de iis rebus frivolè digladiari, quæ non certis teſtimoniis, ſed ſolis conjecturis nituntur. Verum nos ad Rauricos noſtros revertamur, quandoquidem magis nobis animus eſt antiquitatem excutere quàm nova ſtilo perſequi. Raurici fuerunt ſub Præſide Provinciæ

die Burg.

Auctoris propoſitum

vinciæ Maximæ Sequanorum, quemadmodum & Helvetii. Docet id nos volumen De Dignitatibus Romanis, & liber Provinciarum ac urbium Gallicanarum modo citatus à nobis, qui ſic habet, *Provincia, Maxima Sequanorum, Civitas Metrop. Veſontienſium, Civitas Equeſtrium, id eſt Novidunus, Civitas Elvetiorum, id eſt Aventicum, Civitas Baſilienſium, Caſtrum Vindoniſſenſe, Caſtrum Ebrudunenſe, Caſtrum Argentarienſe, Caſtrum Rauracenſe.* Erat autem Præſes Maximæ Sequanorum ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarii ſeptem Provinciarum. Sed & virum illuſtrē Præfectū prætorio Galliarū hæc Maximæ Sequanorū diœceſis agnoſcebat. Habebat præterea Ducem militarem virum ſpectabilem, ſub cujus diſpoſitione Batavienſes milites erant apud Olinonem, qui locus ſubductus aliquantulum eſt à trajectu Baſilienſi, ne pueris quidem ignotus. Proinde etiamnum Baſilienſis eccleſia Veſontienſi tanquam metropolitanæ ſubjecta eſt, evidentiſſimo argumento, pertinuiſſe quondam Rauricos ad Sequanorum ditionem. Hoc poſtremo obſervandum, Rauricorum nunc pro gente ipſa, nunc pro loco uſurpari. *Raurici.* Poſteriores enim Mediomatricos dixerunt pro Divoduro Mediomatricorū, Treviros pro Auguſta Trevirorum, Pariſios pro Lutetia Pariſiorum, Morinos pro Tarvana Morinorum. Et ſic de aliis.

OLINO.

OLinonem hodie Baſilienſes vocant *Holé* nam amant aſpirationes Germani. Protenditur verſus vicum Altſchuilerium. Ibi non ſolum nomiſmata Romana reperiuntur, ſed & ſepulchra ac ſarcophagi. Vulgi commentum eſt, illic habitaſſe regem. Olinonis ſupra plus ſemel meminimus.

DITTASIUM.

PTolemæus inter oppida Sequanorum ponit Dittaſium. Cogitandum an Haſenburgum Sequanorum arx Tulingis proxima hinc nomen habeat, ſic dicta, quaſi *Taſenburg*. Siquidem Germani non deſinunt externas voces torquere, donec detortæ ſignificent ſibi aliquid. Vidi inſignia aliquando Comitum Haſenburgenſium, qui nunc ſunt extincti, nec leporem habebant. Eſt in eo tractu vicus quoque *Tachsfelden*, non abludens à Dittaſio.

CAMBETIS.

CAmbetis quam Antoninus Aug. indicium iter à Mediolano per Alpes Pœninas Maguntiacum, poſt Auguſtam Rauricorum proximo loco ponit, pagus eſt ad nemus Rauricorum ſitus, quà ad Rhenum vergit contra tergum montis Suſenhardi, adhuc veterem nomenclaturam etiam apud Alemannos ſervantem. nam *Cemps* appellatur. Eſtque Cambetis major ac minor: Illa cis rhenana, hæc trans Rhenum ſita.

Kämps.

ſita. Præſidiorum loca fuerunt adverſum Germanos. Supra majorem Cambeten, & ipſo viço, mira veſtigia murorum ſubterraneorum apparent. Videtur autem ſic dicta, ſi modo à Romanis inditum nomen eſt quòd illic Campi Raurici incipiant ſe pandere, quos Alemanni novi incolæ, *die Hart* appellarunt, propterea quod ſteriliores ſint. Sed tamen non ignoramus Cambodunum, & ſimiles appellationes. Ii campi uſque ad montem Briſiacum porriguntur, à Sungavis Raurico tantum nemore diremti. Quid autem vetat Campos Rauricos, & ſylvam Rauricam dicere eo modo quo Marcellinus Rauricos montes vocavit? Tametſi Cæſar Sequanicos potius appellaſſet, poſiturus etiam Baſileam in Sequanis, quorum vocabulum in Sungavos detortum ab Alemannis videri queat. Sunt enim Sungavi, Sequani Campeſtres, ſive exteriores. Nam interiores Sequani montana loca ac valles incolunt. Unde *Sequanorum invia* dixit Auſonius. Inter Cambeten & Argentuariam ponit Antoninus Aug. Stabula, ac in Rauricis ſive potius campis illis Sequanicis alicubi Arialbinum & Uruncos, haud dubie Rauricorum ſive Sequanorum inferiorum loca: tamen quia non ſemper rectũ iter ſequitur, ſed oppidorum commemorationis gratia à regia via ſæpe declinat, difficile ſit, iſta ut plæraque alia certò indicare. *Sungavia.*

Arialbimium.

NOn paſſum tamen omittere quin de

Arialbimio dicam conjecturam meam. Id videtur mihi eſſe exiguus ille vicus, qui in Sequanicis campis rectà contra trajectum Novoburgenſem jacet, proxime pagum qui ab Orhamaro nomen poſſidet. Illic enim tantum vetuſtatis indiciorum reperire eſt, ut non liceat palum infigere terræ quin aliquid occurrat. Porrigebatur autem uſque ad publicam illam in campis viam quam altam vocant. Nam agri illi ruinas tegunt, ubi ſubſidens quoque terra ſarcophagos lapideos ſæpe demonſtrat. Alicubi in Antonini Itinerario legitur Artalbinnũ, Alemanni *Pantzenheimum* appellarunt.

Mons Brisiacus.

Montem Briſiacũ vocat Antoninus Aug. oppidum quod hodie Briſacum appellamus. Is autem nullas tranſrhenanas urbes cõmemorat in Itinerario ſuo, ſed tantum Provincialeis, puta Rauricas, Germanicas Germaniæ primæ & ſecundæ, Rhæticas & Pannonicas, & aliarum Provinciarum Romanis ſubjectarum. Unde & titulus libello factus, *Itinerarium Provinciarum omnium*. Quare vel hoc argumento liquet, alveum Rheni hic mutatum, qui ab altera parte quondã prætercurrerit oppidum, quum adhuc in Gallica ripa ſtaret. Cujus rei indicium eſt adhuc ejus loci humilitas per quem olim Rhenus fluxit. Hinc inundante fluvio non ſecus ac ſtagnũ quoddam ſive lacus, aquis repleri ſolet. Præterea aliquatenus Baſilienſi epiſcopo obnoxius eſt etiamnũ Mons Briſiacus,

Briſach.

propter

propter neſcio quam annuam penſitatiunculã. Nam quando olim Galliæ dubio procul accenſebatur, hoc eſt Rauricorum ſive Sequanorum inferiorum tractui, cui dubium eſſe poſſit, ad Baſilienſem olim diœceſim oppidũ pertinuiſſe. Luitprandus Ticinenſis, qui ſub Henrico Germaniarũ rege vixit, & hujus filio Othone primo, Montem Briſiacum Alſatiæ tribuit, & inſulã Rheni fuiſſe docet, quanquã vocabulum quod provinciæ eſt, per errorem oppido aſſignat, ut homo Italus & in Germania quidem verſatus, ſed neſcius linguæ. ſic enim ſcribit libro quarto. *Eſt*, inquit, *Alſatiæ partibus caſtellum Briſecgauue patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in medium inſulæ cingens, & naturalis ipſa loci aſperitas munit*. Hæc ille. Ergo Montem Briſiacũ Rhenus illinc circumdedit. Proinde validiſſimum hauddubie fuit Romanorum munimentẽ, hinc adverſus Alemannos Rauricorum ſive Sequanorum ac Triboccorũ provincias aſſidue propugnantium. Montem Briſiacum obſedit olim Otho Germaniarum rex, poſtea Auguſtus, ejus nominis primus, quum Eberhardus Comes illum occupaſſet, & Elſatiam ac circumjacentes regiones novo Principi faventes, hoſtiliter vexaret. Is conſpiraverat contra Othonem Henrico patri in regno ſuccedentem, cum Henrico juniore regis fratre, & Giſleberto Lotharingorum Duce. Memorabilis in ea obſidione vox Othonis audita eſt. Nam quum Friderici Magũciacenſis Archiepiſcopi conſilio, deſtituiſſent

illum epiſcopi complures & Principes. Comes quidam in ea expeditione militans, ratus ſe nactum opportunitatem etiam quidvis à rege impetrandi cui hoc rerum ſtatu non videretur negligendus, ſubornat qui Laureſheimẽſis monaſterii proventus, id eſt in diœceſi Vangionum circa montanam trans Rhenum viam tum opulentiſſimum, ipſum expetere nuncient. Otho ſtatim rem ſentiens, mentem meam illi, inquit, coram ipſe exponam. Id quum precatores homini renunciaſſent, ſtatim ad regem advolat, putans negociũ ex animi ſententia ſucceſſurum. Hic pius ac magnanimus princeps, audiente turba aſtantium. *Obedire magis*, inquit, *deo oportet quàm hominibus. Docet autem Chriſti doctrina, quod ſanctum eſt, non eſſe dandum canibus. Id quod ſanè facerem, ſi quæ ſacerdotibus & pauperum alimoniæ dicata ſunt, tibi homini prophano largirer. Proinde quando prorſus iniqua eſt hæc petitio tua, ſcias nihil unquam ex me tibi ſperandum. Invitum retinere nolo, Si libet, ad deſertores tranſi.* His verbis pudefactus Comes, ad pedes regis provolutus eſt, & illicitæ poſtulationis veniam oravit. Othonibus ſemper negocium fuit cum Monte Briſiaco. Siquidem quum Otho hujus nominis quartus, qui Philippo Cæſari ſucceſſit, illic ageret, & aulici per domos ſingulas (ut fit) à civibus hoſpitio recepti, intemperantius ſe gererent, quod huic hominum generi non eſt inſolitum, oppidani inito conſilio ſuos quiſque hoſpites domi per inſidias trucidant. Qui effugerant extra ædes,

viſo periculo unà cum ipſo Cæſare ex oppido ſunt perturbati. Poterant Briſiacenſes videri jura hoſpitii fregiſſe, niſi filiarum & uxorum pudicitia bonis viris vita propria charior eſſet. Hoc annotatum reperi in Chronicis monaſterii Senonienſis. Servat Mons Briſiacus inclytorum illorum martyrum Gervaſii & Protaſii reliquias, eò perlatas è Mediolano, quum Fridericus Ænobarbus ex Italia domitis Inſubribus victor rediret. Arcem Briſiacenſem, in cujus area Maximilianus Aug. elegantiſſimam domum proximis annis extruendam curavit, Berchtholdus Zaringenſis, Dux Cisjuranæ Burgundiæ (in qua tam Friburgum quàm Berna cenſentur) ædificavit, quemadmodum epigramma docet ſaxo inciſum. Porrò Montem Briſiacum, eſſe vocandum non Briſacum, docet Briſigavorum appellatio, de quibus mox dicetur. Olim Montem Briſiacum Friburgi poſſidebant. Vuenceslaus Cæſar [illegible]) Caroli quarti F. Montem Briſiacum, Schafhuſium, Novumburgum, ac Rinfeldum oppida libera atque ad regnum Germanicum ſive imperium Romanum pertinentia, Auſtriaco Duci pro mutuo ſumpta pecunia pignori dedit.

BRISIGAVI.

PArs Alemannorum quum Germaniam [illegible] Rhenanam occupaſſet, vicinam Monti Briſiaco terram, Briſgaviam appellavit. Ipſi Briſigavi dicti. Hii in Seniores & Juniores *Breiſgau.*

rum, ad Monaſterium vallis D. Gregorii pertinens, ut alter ibidem qui D. Petri dicitur, ad Paterniacum. Inſtitutricem memorant Bertham reginam, ad cujus juriſditionem nonnulla ex parte ſpectarit olim Colmaria. Unde magni illinc Conſtantienſi Præpoſituræ proventus, quos ei eccleſiæ hæc nobiliſſima matrona donavit. Cœnobia habet, Minoritarum, ſpacioſiſſimũ: Prædicatorum, amplum & opulentũ: Auguſtinianorum, exiguum. Monialium item titulo Sub tiliis, maximum, & alterũ divæ Catherinæ dicatum aliquanto minus. Colmariã muro cinxit Vuolphelinus Cæſareus apud Hagenojam Præfectus imperante Friderico Aug. ej⁹ nomini ſecũdo, teſtimonio Chronicorũ Senonẽſium, quum antè vicus fuiſſet mediocris. Habuit inſignem in literis virum patrum memoria, Sebaſtianum Murrhonem, & hujus filium eodem nomine, qui juvenis periit. Habuit etiam Apellem ſuum Martinum illum, qui ob ſingularem pingendi gratiam Belli cognomen meruit, & huius germanos fratres duos, Paulũ atque Georgiũ aurifices æque præſtantes. Homines aiunt illic ter mille & quingẽtos numerari qui ſingulis annis ad ſacra Euchariſtiæ menſam accedant, vulgus Communicantes appellat. Unde civitatis modus colligi poteſt.

Martin Schön.

ELCEBUS.

ELcebum, Græcè ἔλκηβον. Ptolemæus Tribonorum oppidum eſſe dicit, ponens id ſupra Argentoratum. Ego ſteriſſe ſuſpicor

inter

inter Seleſtadium & Ebersheimum, quod ſic appellatum: conjicio, quaſi *Ebſheimum*. Idq; deinde vulgus in Ebersheimum ſuo more detorſit, quod apri domicilium ſignificat. Atque ſtatim commenti ſunt quidam illic Sigebertum Dagoberti regis filium excuſſum de equo, quem inuſitata occurrentis apri ſpecies terruerat. non quòd inficier id factum, ſed an in iſto loco factum ſit, hoc vero dubium apud me eſt. nec enim quibuslibet hiſtoriis fidem habeo. Poſſibile eſt etiam Elcebenſium partem ad ſuperiorem Elli fluminis ripam commigraſſe, ubi Seleſtadium hodie conditum videmus. nec hujus rei deſunt argumenta, quorum præcipuum eſt, quod in antiquis diplomatis plerumque ſcribitur *Sletſtat*, in quibuſdam etiam quæ apud divam Fidem mihi inſpicere contigit *Selceſtat*. In ſigillo civitatis c in z mutatum eſt *Sleʒeſtat*. Usqueadeo prodeſt veterem ſcripturam ſervare, etiam ſi non intelligas. S autẽ literam Alemannicæ linguæ proprietas adjecit ſolita locorum nominibus articulum Ze præponere. Sed ſunt qui nequaquam in Romanam vetuſtatem inquirentis, credere malint à portu fluminis Elli dictum, quod noſtrate lingua, area illa pro portu ubi res navibus imponendæ ſive è navibus eductæ deponuntur, *Ladhof* appelletur. unde datum initium oppido volunt. Aſſertionem ſuam hoc argumento confirmant, quòd Carolus Magnus in diplomate quodam hic in comitiis regni perſcripto, *Selatiſtatum* vocet. Porrò ſi quis Elcebum ab

Sletſtat.

bum ab Ello fluvio & Cebo rivo dictum autem met,(ut eſt veri ſimile) Ebersheimenſi cœnobio faciet vicinum, à quo non ita procul abeſt Cebi ſcaturigo. Vulgus *Campſum* vocat. Hinc illæ fabulæ natæ. Stetiſſe templum illic Mercurio ſacrum, in quod Julius Cæſar aliquando ſit ingreſſus litaturus deo, Novientum inſulam appellatam. Ac D. Maternum apoſtolum Germaniarum provinciarum, effigies ſuperſtitionis ethnicæ ſublatas illinc in neſcio quã voraginem abjici juſſiſſe. Nec prorſus de nihilo eſt ea fama. Vidimus enim ipſi veſtigia antiquitatis illic in nemorum collibus, quos vulgus à paganis adhuc cognominat. Denique quando dubium non eſt, vicinum Elli fluminis tractum à dominante pago inter Ellum & Campſum ſito Elces denominatum, rurſus opinantur quidam nihil aliud eſſe Slecceltat, quam *Elces Tadt*, hoc eſt, Elcebi tractum. nam *Tadt* Alemanni Francique tractum ſive territorium vocarunt. Unde *Mandat* circa Rubiacum & Vuiſſenburgum, quaſi dicas nobilium clientum locum, quod nonnulli mandatum, quaſi munus datum interpretantur. De quo ſupra mentionem fecimus. Arbitror autem in Antoniniano Itinerario *Helveto* pro Elcebo paſſim legi, quod aliquis transpoſitis literis forſaſſe ſcripſiſſet *Elveco*. nam *V* pro *B* nonnunquam à ſcribis ponitur.

Tadt.

Itinerarii Anton. locus.

Elceb.

ELCES. ELSATIA. TRACTUS ARGENTORATENSIS.

AB Elcebo, quo gloriari poſſumus, *Elces* vernaculum regionis nomen deductum eſt, aut ab hoc ille vocatus. Quod primo tantum ei tractui qui circa Ellum fluvium eſt, tributum fuit, deinde toti regioni, veteri Tribocorum nomenclatura abolita. Nam Alſatiæ vocabulum recens eſt, ætate Caroli Magni aut circiter natum, in cujus privilegiariis diplomatis, quibus Lebrahenſe cœnobium exornat, ſcimus *Alſatienſis pagi* mentionem factã. Multos Alſos novimus in aliis regionibus, ſed de hoc noſtro fluvio nihil nobis conſtat. Vernaculus ſermo vocat *Illum* & provinciam *Elſes*, quorum utrumq; magis alludit ad Ellum & Elcebű ſive Elces- quàm vel Alſa vel Alſatia. ut omittam quod *Elſas* à poſteriori interpretantur quaſi Allæ ſedem, id quod non ſatis ſcio an illi voluerint ſignificare, qui primum vocabulo ſunt uſi. Argentoratenſis tractus appellatur in volumine de Præfecturis Romanis, Comiti Argentoratenſi ſubjectus, Alſatiæ nulla mentio. Hujus fines hodie multo ſunt ampliores quàm olim, nam etiam partem Baſilienſis diœceſeos cõplectitur, nobilibus vineis inſignẽ, quas Probus Aug. Gallis & Pannoniis habere permiſit. *Alſatia.*

UNDE MUTATAE LOCORUM appellationes, & everſionis cauſa.

ROmanorũ magiſtratus multis annis poſt Chriſtum

Chriſtum natum in Ciſrhenanis provinciis manſerunt uſq; ad tempora Valentiniani tertii, qui Theodoſio Juniori ſucceſſit, quando tũ Franci tum Alemanni (ceu ſuprà diximus) labaſcente jam Occidentis imperio Rhenũ tranſeuntes nõ iterũ depellendi, quod ſæpe prius acciderat, illas occuparunt. Erat tum haud dubie non ditione ſolũ, ſed & ſermone Romanenſis ex magna parte Ciſrhenana Gallia, præſertim Triboni, quos jam olim è Germania tranſgreſſos in Galliam Strabo docet, Tribochos eos vocans. Quo minus miror Alemannorum gentem omnis cultus expertem & ſubagreſtem ex Elcebo pro barbarie ſua Ebsheimum ſive Sleceſtadium, ex Argentorato Stratburgum, Brocomatium ex Brocomago, ex Argentuaria Argburgum, è Saletione Selzam feciſſe. Cæterum arbitror Elcebum ipſum & cæteros tractus Argentoratenſis vicos, ut Hellum, & alios, quorum nomina vel mutata ſunt vel intercidenrunt, ab Alemannis miſere vexatos, quum ſub Conſtantio Aug. & Juliano Cæſare hanc primæ Germaniæ provinciam hoſtiliter incurſarunt. Nam quid non igni ferroque depopulatos eſſe credis Alemannos, quos in campis Argentoratenſibus Julianus Cæſar innumeros cum paucis militibus fudit? An non putas rurſum Elcebum, & ſi quid in Argentoratenſi tractu floruit, ab Alemannis illis, digreſſo Cæſare, ſolo odio Romani nominis, cui hæc regio devota erat, funditus everſum? Quanquam vero miſera iſta Ciſrhenanæ Germaniæ

oppida

oppida ab Alemannis ſæpe ſunt exciſa, ſed tamen ſemper Romanorum quibus parebant, beneficio reſarta. Nunquam illa gravius læſa puto, quàm poſtremis temporibus ſub Theodoſio Juniore, & Valentiniano ejùs nominis tertio, quando collabente funditus Occidentis imperio deeſſent, qui Provincialeis aut armis tuerentur, aut ſumptibus ſublevarent in reparandis munimentis quæ ſævitia Alemannorum deſtruxiſſet, & hii multo crudelius graſſarentur propter acceptas ſub Juliano Gratianoque popularium ſuorum clades. Ad hæc nihil magis oderant Alemanni, quàm oppida quæ ſine magno detrimento non poterant expugnare, & hiis præſidia Romanorum erant ad prohibendas illorum liberas incurſiones diſpoſita. Sed & reculas ac fortunas ſuas, infelices Ciſrhenani oppidis committebant. quæ res admodum Alemannos urebat, ſola prædandi cauſa toties in Galliam tranſgreſſos. Planè enim patiebãtur olim Ciſrhenani propter Gallias ab Alemannis, quod tot annis propter Mediolanum ab omnibus propemodũ nationibus tulerunt Inſubres. Quum etiam territoria devictarũ gentium habitabant Alemanni, *ipſa oppida velut circumdata retibus arbuſta declinantes*, ut ſcribit Ammianus Marcellinus. Amabant enim in liberis campis conſiſtere quo melius congregari poſſent ingruentibus Romanis, & facilius elabi. Incluſi muris & vallis obſidionis mala ferre coguntur, nec in ſua poteſtate pugnam habẽt ad loci defenſionem adſtricti. Proinde circa ſingula ferè oppida

Alemanni pagos condiderũt oppidis non reſtitutis, ut apud Elcebum, Ebersheimũ, Antiquã villam, Burnarium, & Sleciſtadium, Juxta Argentoratum, Kunigshofen, non procul ab eo loco ubi hodie ſacellum D. Galli viſitur, & monacharum cœnobiolum citra Cartuſiã, Apud Argentuariam, Colmariam & Denheimum. Proximè Hellum, Benfeldium, & vicos alios. Porrò non debet hoc oppidis quibusdam adimere vetuſtatem, quòd non ubiq; Romanorũ inſcriptiones occurrunt, & antiquorum ædificiorum murorumq; inſignia veſtigia. Nam talium rerum longum tempus multum abſumit, ut non commemorem, Romanis etiam ſtipites magnos in terram defixos, & connexos, loco limitum in mediterraneis regionibus adverſum Barbaros fuiſſe, quemadmodum Spartianus in Hadriano tradit. Hoc verò conſtare puto, non fuiſſe privatim apud veteres in ædificando luxũ quem hodie videmus apud omnes receptum. Alioqui ſi Auguſta Rauricorum tot è quadratis lapidibus domos habuiſſet, quot habet vel Baſilea, vel Berna, vel Friburgum in Nuithonib. alia crede mihi ruinarum veſtigia apparerẽt. De hoc nemo dubitabit, qui legerit Argentoratenſe templum, quod primum illic condidit Ludouuichus rex (quem Clodoveum Galli vocant) ligneum fuiſſe. Meo judicio ſic illi habitabant in oppidis, ut nunc in pagis habitatur. Siquidem quem juviſſet opes ſuas in ædificium expendere, cui Germanorum primum, deinde Francorum & Alemannorum irruptiones perpetuò

quò timendæ erant? Nec magnopere excolebant vel muniebant quælibet loca Romani, niſi in quibus crebro verſabantur, & quæ ad tuendus præſertim limites erant idonea. Quòd ſi locus vetuſtus non eſt, ubi non extant inſcriptiones, & hoc genus antiquitates, nec Argentoratum erit vetus, apud quod nihil Romanarum ſtructurarum prorſus (quod ſciam) aut inſcriptionum occurrit, una ſola lapidea tabula excepta, quam vidimus olim in ædibus Vuolphii junioris, ſed mutilam, tum recens effoſſam & ab illo emptã. Hoc autem conſiderare oportet, in iis locis in quibus certa militum ſtativa fuerunt, multa Romanæ vetuſtatis monimenta plerumque reperiri, ut Vindoniſſæ, Helli Tribocorum, Brocomagi, Saletione, ubi erant ſtativa Præfecti militum Pacenſium: Tabernis, ubi præfectus militum Menapiorum agebat: apud Nemetas, ubi milites Vindices: apud Vangiones, ubi milites ſecundæ Flaviæ verſabantur. Et tamen rurſus uno loco plura reperias quàm alio. Tabernis omnia plena ſunt vetuſtatis indiciis, apud Spiram Nemetum, præter unicam Conſtantii (ni fallor) inſcriptionem, nihil obvium eſt quod Romanam antiquitatẽ arguat. Maguneiaci veterum inſcriptionum magna copia eſt, ideo quòd Romani ibi ſemper ſunt verſati, limitem Rheni tuentes, & ſub poſſeſſoribus Augg. præfectus militum armigerorum, & prætera Dux militaris qui multas inſuper militum Præfecturas gubernabat, illic ſedem ſuam habuerint. Jam tradit Cornelius

Nulla antiquitates Romanæ Argentorati.

illum epiſcopi complures & Principes Comes quidam in ea expeditione militans, ratus ſe nactum opportunitatem etiam quidvis à rege impetrandi cui hoc rerum ſtatu non videretur negligendus, ſubornat qui Laureshеimēſis monaſterii proventus, id eſt in diœceſi Vangionum circa montanam trans Rhenum viam tum opulentiſſimum, ipſum expetere nuncient. Otho ſtatim rem ſentiens, mentem meam illi, inquit, coram ipſe exponam. Id quum precatores homini renunciaſſent, ſtatim ad regem advolat, putans negociū ex animi ſententia ſucceſſurum. Hic pius ac magnanimus princeps, audiente turba aſtantium, *Obedire magis*, inquit, *deo oportet quàm hominibus. Docet autem Chriſti doctrina, quod ſanctum eſt, non eſſe dandum canibus. Id quod ſanè facerem, ſi quæ ſacerdotibus & pauperum alimoniæ dicata ſunt, tibi homini profligato largirer. Proinde quando prorſus iniqua eſt hæc petitio tua, ſcias nihil unquam ex me tibi ſperandum. Invitum retinere nolo, Si libet, ad deſertendum tranſi.* His verbis pudefactus Comes, ad pedes regis provolutus eſt, & illicitæ poſtulationis veniam oravit. Othonibus ſemper negocium fuit cum Monte Briſiaco. Siquidem quum Otho hujus nominis quartus, qui Philippo Cæſari ſucceſſit, illic ageret, & aulici per domos ſingulas (ut fit) à civibus hoſpitio recepti, intemperantius ſe gererent, quod huic hominum generi non eſt inſolitum, oppidani inito conſilio ſuos quiſque hoſpites domi per inſidias trucidant. Qui effugerant extra ædes,

vi.

viſo periculo unà cum ipſo Cæſare ex oppido ſunt proturbati. Poterant Briſiacenſes videri jura hoſpitii fregiſſe, niſi filiarum & uxorum pudicitia bonis viris vita propria charior eſſet. Hoc annotatum reperi in Chronicis monaſterii Senonienſis. Servat Mons Briſiacus inclytorum illorum martyrum Gervaſii & Protaſii reliquias, eò perlatas è Mediolano, quum Fridericus Ænobarbus ex Italia domitis Inſubribus victor rediret. Arcem Briſiacenſem, in cujus area Maximilianus Aug. elegantiſſimam domum proximis annis extruendam curavit, Berchtholdus Zarigenſis, Dux Cisjuranæ Burgundiæ (in qua tam Friburgum quàm Berna cenſentur) ædificavit, quemadmodum epigramma docet ſaxo inciſum. Porrò Montem Briſiacum, eſſe vocandum non Briſiacum, docet Briſigavorum appellatio, de quibus mox dicetur. Olim Montem Briſiacum & avelungi poſſidebant. Vuenceslaus Cæſar (ni fallor) Caroli quarti F. Montem Briſiacum, Scaffhuſium, Novumburgum, ac Rinfeldiam oppida libera atque ad regnum Germanicum ſive imperium Romanum pertinentia, Auſtriaco Duci pro mutuo ſumpta pecunia pignori dedit.

BRISIGAVI.

PArs Alemannorum quum Germaniam tranſrhenanam occupaſſet, vicinam Monti Briſiaco terram, Briſigaviam appellavit. Ipſi *Briſigavi* dicti. Hii in Seniores & Juniores *Breiſgau.*

diviſi, ſub Romanis ſignis meruerunt, quemadmodum indicat liber Præfecturarum Romanarum. Nam inter ſexaginta quinque Auxilia Palatina numerantur & *Briſigavi quum Seniores tum Juniores.* Intra Italiam ſub viro Spectabili Comite Italiæ Briſigavi juniores militabant. Seniores vero ſub Comite Hiſpaniæ intra Hiſpanias. Et Junioribus quidem caput humanum hiſpida barba ac capillitio per floccos ſurſum verſo præditum, inſignium vice fuit. Senioribus, circulares lineæ coloribus diſtinctæ.

RUFACUM.

HOc Elſatiæ ſuperioris oppidum hodie, Henricus Cæſar ejus nominis quartus hac occaſione evaſtavit. Primum inter aulæ Cæſareæ miniſtros, & cives ipſos neſcio ob quale injuriarum genus nata turba, fit utrinque magnus concurſus. Nec deeſt Cæſar ſuis. Sed quum cives multitudine prævalerent, hoſpites illi fuga ſibi conſulere coacti ſunt. Non pauci in ea conflictatiuncula ceciderunt. Interim ſarcinas & regia ſcrinia plebs intercipit, in quibus Cæſareus cultus ſervabatur. Hanc prædam non antè reſtituerunt, quàm impunitatem & injuriæ veniam ſibi impetraſſe viderentur. Sed ulterius Cæſar illorum rebellionem, exercitu contracto nec opinanteis obruit, & oppido potitus, cædibus & incendio cuncta deformavit. Adhuc apparent ruinæ & areæ vacuæ multis locis, ut demirer eam jacturam tanto ævi ſpacio nondum reſarciri potuiſſe. Hujus oppidi calamitas nihil vicinæ Colmariæ nocuiſſe videtur.

ARGENTUARIA.

HOrburgum hodie eſt quæ fuit olim Argentuaria, vicus non magnus Ello flumini imminens, & ſacello divæ virginis vulgo notus. Ibi pontem adhuc habet amnis, veteris trajectus argumentum. Ad hanc ſortem vaſtationibus Alemannorum recidit. Hii primum more ſuo primore vocis antiquæ ſyllaba retenta *Arburgum* dixere, ſive potius *Argeburgum*. Id addito ſpiritu poſteris in *Horburgum* verſum eſt, originationem ignorantibus. Fuitque Comitatus olim inſignis, qui poſt ejus familiæ interitum ad Comitem Vuirtenbergenſem hæreditario jure pervenit. *Horburg.* Argentuariam nobilem reddidit Gratiani Aug. victoria, quam illic de Alemannis reportavit, cæſis ipſorum xxx. millibus, modico ſuorum ſanguine. Caſtri Argentarienſis meminit liber civitatum Gallicarum in Maxima Sequanorum. Unde adhuc Baſilienſem Epiſcopum & Veſontionem Metropolim agnoſcit hujus propago Colmaria.

COLMARIA.

EXcidium Argentuariæ nobis Colmariam peperit, Alemannorum opus, non multis paſſibus diſtantem, & paululum ab Ello flumine ſubductam. Hanc ſuſpicor primum Colmaringam fuiſſe dictam. de qua re ſuprà memini. Collegiũ canonicorũ D. Martini illic, Prioratus (ut vocant) quondam fuit Benedictinorum,

rum, ad Monaſterium vallis D. Gregorii pertinens, ut alter ibidem qui D. Petri dicitur, ad Paterniacum. Inſtitutricem memorant Bertham reginam, ad cujus juriſditionem nonnulla ex parte ſpectarit olim Colmaria. Unde magni illinc Conſtantienſi Præpoſituræ proventus, quos ei eccleſiæ hæc nobiliſſima matrona donavit. Cœnobia habet, Minoritarum, ſpacioſiſſimũ: Prædicatorum, amplum & opulentũ: Auguſtinianorum, exiguum. Monialium item titulo Sub tiliis, maximum, & alterũ divæ Catherinæ dicatum aliquanto minus. Colmariã muro cinxit Vuolphelinus Cæſareus apud Hagenojam Præfectus imperante Friderico Aug. ejus nominis ſecũdo, teſtimonio Chronicorũ Senonẽſium, quum antè vicus fuiſſet mediocris. Habuit inſignem in literis virum patrum memoria, Sebaſtianum Murrhonem, & hujus filium eodem nomine, qui juvenis periit. Habuit etiam Apellem ſuum Martinum illum, qui ob ſingularem pingendi gratiam Belli cognomen meruit, & huius germanos fratres duos, Paulũ atque Georgiũ aurifices æquè præſtantes. Homines ajunt illic ter mille & quingẽtos numerari qui ſingulis annis ad ſacra Euchariſtiæ menſam accedant, vulgus Communicanteis appellat. Unde civitatis modus colligi poteſt.

Martin Schön.

ELCEBUS.

ELcebum, Græcè ἔλκηβον. Ptolemæus Tribonorum oppidum eſſe dicit, ponens id ſupra Argentoratum. Ego ſteriſſe ſuſpicor

niter

inter Seleſtadium & Ebersheimum, quod ſic appellatum: conjicio, quaſi *Ebsheimum.* Idq; deinde vulgus in Ebersheimum ſuo more detorſit, quod apri domicilium ſignificat. Atque ſtatim commenti ſunt quidam illic Sigebertum Dagoberti regis filium excuſſum de equo, quem inuſitata occurrentis apri ſpecies terruerat. non quòd inficier id factum, ſed an in iſto loco factum ſit, hoc vero dubium apud me eſt. nec enim quibuslibet hiſtoriis fidem habeo. Poſſibile eſt etiam Elcebenſium partem ad ſuperiorem Elli fluminis ripam commigraſſe, ubi Seleſtadium hodie conditum videmus. nec hujus rei deſunt argumenta, quorum præcipuum eſt quod in antiquis diplomatis plerumque ſcribitur *Sletſtat,* in quibuſdam etiam quæ apud divam Fidem mihi inſpicere contigit *Selceſtat.* In ſigillo civitatis c in z mutatum eſt *Slezſtat.* Usqueadeo prodeſt veterem ſcripturam ſervare, etiam ſi non intelligas. S autẽ literam Alemannicæ linguæ proprietas adjecit ſolita locorum nominibus articulum Ze præponere. Sed ſunt qui nequaquam in Romanam vetuſtatem inquirentis, credere malint à portu fluminis Elli dictum, quod noſtrate lingua, area illa pro portu ubi res navibus imponendæ ſive è navibus eductæ deponuntur, *Ludhof* appelletur. unde datum initium oppido volunt. Aſſertionem ſuam hoc argumento confirmant, quòd Carolus Magnus in diplomate quodam hic in comitiis regni perſcripto, *Selatiſtatum* vocet. Porrò ſi quis Elce- *Sletſtat.*

Elces. Elsatia. tractus Argentoratenſis.

AB Elcebo, quo gloriari poſſumus, *Elces* vernaculum regionis nomen deductum eſt, aut ab hoc ille vocatus. Quod primo tantum ei tractui qui circa Ellum fluvium eſt, tributum fuit, deinde toti regioni, veteri Triboccorum nomenclatura abolita. Nam Alſatiæ vocabulum recens eſt, ætate Caroli Magni aut circiter natum, in cujus privilegiariis diplomatis, quibus Lebrahenſe cœnobium exornat, ſcimus *Alſatienſis pagi* mentionem factã. Multos *Alſatia.* Alſas novimus in aliis regionibus, ſed de hoc noſtro fluvio nihil nobis conſtat. Vernaculus ſermo vocat *Illum* & provinciam *Elſes*, quorum utrumq; magis alludit ad Ellum & Elcebũ ſive Elces, quàm vel Alſa vel Alſatia, ut omittam quod *Elſas* à poſteriori interpretantur quaſi Allæ ſedem, id quod non ſatis ſcio an illi voluerint ſignificare, qui primum vocabulo ſunt uſi. Argentoratenſis tractus appellatur in volumine de Præfecturis Romanis, Comiti Argentoratenſi ſubjectus, Alſatiæ nulla mentio. Hujus fines hodie multo ſunt ampliores quàm olim, nam etiam partem Baſilienſis diœceſeos cõplectitur, nobilibus vineis inſignẽ, quas Probus Aug. Gallis & Pannoniis habere permiſit.

UNDE MUTATAE LOCORUM appellationes, & everſionis cauſa.

ROmanorũ magiſtratus multis annis poſt

Chriſtum natum in Ciſrhenanis provinciis mãſerunt uſq; ad tempora Valentiniani tertii, qui Theodoſio Juniori ſucceſſit, quando tũ Francitum Alemanni (ceu ſuprà diximus) labaſcente jam Occidentis imperio Rhenũ tranſeuntes nõ iterũ depellendi, quod ſæpe prius acciderat, illas occuparunt. Erat tum haud dubie non ditione ſolũ, ſed & ſermone Romanenſis ex magna parte Ciſrhenana Gallia, præſertim Triboni, quos jam olim è Germania tranſgreſſos in Galliam Strabo docet, Tribochos eos vocans. Quo minus miror Alemannorum gentem omnis cultus expertem & ſubagreſtem ex Elcebo pro barbarie ſua Ebsheimum ſive Sleceſtadium, ex Argentorato Stratburgum, Brocomatium ex Brocomago, ex Argentuaria Argburgum, è Saletione Seltzam feciſſe. Cæterum arbitror Elcebum ipſum & cæteros tractus Argentoratenſis vicos, ut Hellum, & alios, quorum nomina vel mutata ſunt vel interciderunt, ab Alemannis miſere vexatos, quum ſub Conſtantio Aug. & Juliano Cæſare hanc primæ Germaniæ provinciam hoſtiliter incurſarunt. Nam quid non igni ferroque depopulatos eſſe credis Alemannos, quos in campis Argentoratenſibus Julianus Cæſar innumeros cum paucis militibus fudit? An non putas rurſum Elcebum, & ſi quid in Argentoratenſi tractu floruit, ab Alemannis illis, digreſſo Cæſare, ſolo odio Romani nominis, cui hæc regio devota erat, funditus everſum? Quamquam vero miſera iſta Ciſrhenanæ Germaniæ

oppida

oppida ab Alemannis ſæpe ſunt exciſa, ſed tamen ſemper Romanorum quibus parebant, beneficio reſarta. Nunquam illa gravius læſa puto, quàm poſtremis temporibus ſub Theodoſio Juniore, & Valentiniano ejús nominis tertio, quando collabente funditus Occidentis imperio deeſſent, qui Provincialeis aut armis tuerentur, aut ſumptibus ſublevarent in reparandis munimentis quæ ſævitia Alemannorum deſtruxiſſet, & hii multo crudelius graſſarentur propter acceptas ſub Juliano Gratianoque popularium ſuorum clades. Ad hæc nihil magis oderant Alemanni, quàm oppida quæ ſine magno detrimento non poterant expugnare, & hiis præſidia Romanorum erant ad prohibendas illorum liberas incurſiones diſpoſita. Sed & reculas ac fortunas ſuas, infelices Ciſrhenani oppidis committebant. quæ res admodum Alemannos urebat, ſola prædandi cauſa toties in Galliam tranſgreſſos. Planè enim patiebātur olim Ciſrhenani propter Gallias ab Alemannis, quod tot annis propter Mediolanum ab omnibus propemodū nationibus tulerunt Inſubres. Quin etiam territoria devictarū gentium habitabant Alemanni, *ipſa oppida velut circumdata retibus arbuſta declinantes*, ut ſcribit Ammianus Marcellinus. Amabant enim in liberis campis conſiſtere, quo melius congregari poſſent ingruentibus Romanis, & facilius elabi. Incluſi muris & vallis obſidionis mala ferre coguntur, nec in ſua poteſtate pugnam habēt ad loci defenſionem adſtricti. Proinde circa ſingula ferè oppida

Alemanni pagos condiderūt oppidis non reſtitutis, ut apud Elcebum, Ebersheimū, Antiquivillam, Burnarium, & Sleciſtadium, Juxta Argentoratum, Kunigshofen, non procul ab eo loco ubi hodie ſacellum D. Galli viſitur, & monacharum cœnobiolum citra Cartuſiā, Apud Argentuariam, Colmariam & Denheimum. Proximè Hellum, Benfeldium, & vicos alios. Porrò non debet hoc oppidis quibusdam adimere vetuſtatem, quòd non ubiq; Romanorū inſcriptiones occurrunt, & antiquorum ædificiorum murorumq; inſignia veſtigia. Nam talium rerum longum tempus multum abſumit, ut non commemorem, Romanis etiam ſtipites magnos in terram defixos, & connexos, loco limitum in mediterraneis regionibus adverſum Barbaros fuiſſe, quemadmodum Spartianus in Hadriano tradit. Hoc verò conſtare puto, non fuiſſe privatim apud veteres in ædificando luxū quem hodie videmus apud omnes receptum. Alioqui ſi Auguſta Rauricorum tot è quadratis lapidibus domos habuiſſet, quot habet vel Baſilea, vel Berna, vel Friburgum in Nuithonib. alia crede mihi ruinarum veſtigia apparerēt. De hoc nemo dubitabit, qui legerit Argentoratenſe templum, quod primum illic condidit Ludouuichus rex (quem Clodoveum Galli vocant) ligneum fuiſſe. Meo judicio ſic illi habitabant in oppidis, ut nunc in pagis habitatur. Siquidem quem juviſſet opes ſuas in ædificium expendere, cui Germanorum primum, deinde Francorum & Alemannorum irruptiones perpetuo

parùm timendæ erant? Nec magnopere excolebant vel muniebant quælibet loca Romani, niſi in quibus crebro verſabantur, & quæ ad tuendos præſertim limites erant idonea. Quòd ſi locus vetuſtus non eſt, ubi non extant inſcriptiones, & hoc genus antiquitates, nec Argentoratum erit vetus, apud quod nihil Romanarum ſtructurarum prorſus (quod ſciam) aut inſcriptionum occurrit, una ſola lapidea tabula excepta, quam vidimus olim in ædibus Vuolphii junioris, ſed mutilam, tum recens effoſſam & ab illo emptā. Hoc autem conſiderare oportet, in iis locis in quibus certa militum ſtativa fuerunt, multa Romanæ vetuſtatis monimenta plerumque reperiri, ut Vindoniſſæ, Helli Tribonorum, Brocomagi, Saletione, ubi erant ſtativa Præfecti militum Pacenſium: Tabernis, ubi præfectus militum Menapiorum agebat: apud Nemetas, ubi milites Vindices: apud Vangionas, ubi milites ſecundæ Flaviæ verſabantur. Et tamen rurſus uno loco plura reperias quàm alio. Tabernis omnia plena ſunt vetuſtatis indiciis, apud Spiram Nemetum, præter unicam Conſtantii (ni fallor) inſcriptionem, nihil obvium eſt quod Romanam antiquitatē arguat. Maguntiaci veterum inſcriptionum magna copia eſt, ideo quòd Romani ibi ſemper ſunt verſati, limitem Rheni tuentes, & ſub poſterioribus Augg. præfectus militum armigerorum, & prætera Dux militaris qui multas inſuper militum Præfecturas gubernabat, illic ſedem ſuam habuerint. Jam tradit Cornelius

Nulla antiquitates Romanæ Argentorati.

Tacitus nullas Germanorum populis urbes habitari : & tamen Cl. Ptolemæus qui non ita multo poſt vixit plurimas urbes Germaniæ recenſet, ſed quarum nullam hodie digito facile demonſtrare queas. Veriſimile eſt, ut Tacito libenter credo, vicos potius fuiſſe quàm oppida. & tamen urbium vocabulo dignatus eos eſt Ptolemæus. Quid igitur mirum ſi ita civitatis appellationem Elcebo tributam credamus, ut ſubinde *Germanorum civitates* vocat Tacitus, quos tamen negat vel urbes vel oppida habuiſſe. Itaque fieri potuit, ut quando Triboni in hanc Galliæ partem è Germania tranſiiſſe ferũtur ab autoribus, partim ſic habitarint ut habitabant Germani, ædificiis non cohærentibus, ſed hortorum & agrorum ſpacio diſcretis. Unde conjicio, circumjacentes pagos non tam Elcebi colonias eſſe quàm portiones.

Selestadium.

Excidio veteris Elcebi Seleſtadium debemus, ut Colmariam Argentuariæ everſæ. Sed quia patria eſt, libet paucis deſcribere. Jacet itaque Seleſtadium ad Ellum fluvium meridionali latere ripam ejus attingens, à quo etiam ſylvam ab eo amne cognominatã propinquiorem habet. Oppidi figura ac circularem accedit. Mœnia habet elegantiſſima ex coctili latere, cum ambulacris ubique fermè intectis, ut ii qui nocturnas excubias agunt, commodius ambulent, adverſus cœleſtes injurias aliquanto tutiores. Turres habet non aſpernandas. Foſ-

ſis cin-

ſis cingitur aquam perennem continentibus alicubi quatuor, ut circa portam quam inferiorem vocant, alicubi duabus, & tertia quæ eſt intima, ſicca. Per portam Elli fluvii Rhenum aditurus, priuſquam nemus proximum emenſus fuerit, hoc eſt, ad villam cui Schnellonum colli nomen eſt, pervenerit, xxxiiij. pontes trãſiere cogetur. In Hollandia putares eſſe. Propter hujuſmodi munimenta tum naturalia tum arte facta, caſtrum diceres eſſe verius quam oppidum. Alioqui nihil eſt hic eximium præter munitionẽ. Quum olim Elſatia ſuperior vineas ſola coleret, quicquid vinorũ inferiori Germaniæ communicabat, id per Ellum fluviũ Argentoratum uſque devehebatur, Seleſtadii navibus impoſitũ, ubi portus erat, & adhuc eſt, etiã quõdam haud dubie trajectus, priuſquam pons illic conſtitueretur. Is apud portã eſt quæ nomen à fluvio habet. nam vel hoc antiquitatem oppidi demonſtrat, quòd ex Briſigavia & tranſrhenanis tractibus hac rectà in Tranſellanã Elſatiam, & Lotharingiam, ac Galliam itur. Tametſi non deſunt, qui viam eam haud fruſtra novam appellatam credant. Itaque veteribus principibus ex Ellenſi illo teloneio luculentum emolumentum fuit. Intelligo autem Francorum reges primum, ante diviſionem regni, deinde Auſtraſiorũ, tandem etiam Germaniarum. Nam hoc conſtat, Othones Saxonicos, Henricos, & Chunrados Impp. hoc telonion partim poſſediſſe, quũ ad fiſcum regiũ, mox Imperialẽ pertineret. Nec hoc vectigal duntaxat Auguſtorũ

Tacitus nullas Germanorum populis urbes habitari: & tamen Cl. Ptolemæus qui non ita multo poſt vixit plurimas urbes Germaniæ recenſet, ſed quarum nullam hodie digito facile demonſtrare queas. Veriſimile eſt, ut Tacito libenter credo, vicos potius fuiſſe quàm oppida. & tamen urbium vocabulo dignatus eos eſt Ptolemæus. Quid igitur mirum ſi ita civitatis appellationem Elcebo tributam credamus, ut ſubinde *Germanorum civitates* vocat Tacitus, quos tamen negat vel urbes vel oppida habuiſſe. Itaque fieri potuit, ut quando Triboni in hanc Galliæ partem è Germania tranſiſſe ferũtur ab autoribus, partim ſic habitarint ut habitabant Germani, ædificiis non cohærentibus, ſed hortorum & agrorum ſpacio diſcretis. Unde conjicio, circumjacentes pagos non tam Elcebi colonias eſſe quàm portiones.

SELESTADIUM.

EXcidio veteris Elcebi Seleſtadium debemus, ut Colmariam Argentuariæ everſæ. Sed quia patria eſt, libet paucis deſcribere. Jacet itaque Seleſtadium ad Ellum fluvium meridionali latere ripam ejus attingens, à quo etiam ſylvam ab eo amne cognominatã propinquiorem habet. Oppidi figura ad circularem accedit. Mœnia habet elegantiſſima ex coctili latere, cum ambulacris ubique fermè intectis, ut ii qui nocturnas excubias agunt, commodius ambulent, adverſus cœleſtes injurias aliquanto tutiores. Turres habet non aſpernandas. Foſſis cin-

ſis cingitur aquam perennem continentibus alicubi quatuor, ut circa portam quam inferiorem vocant, alicubi duabus, & tertia quæ eſt intima, ſicca. Per portam Elli fluvii Rhenum aditurus, priuſquam nemus proximum emenſus fuerit, hoc eſt, ad villam cui Schnellonum colli nomen eſt, pervenerit, xxxiiij. pontes trãſiere cogetur. In Hollandia putares eſſe. Propter hujuſmodi munimenta tum naturalia tum arte facta, caſtrum diceres eſſe verius quam oppidum. Alioqui nihil eſt hic eximium præter munitionẽ. Quum olim Elſatia ſuperior vineas ſola coleret, quicquid vinorũ inferiori Germaniæ communicabat, id per Ellum fluviũ Argentoratum uſque devehebatur, Seleſtadii navibus impoſitũ, ubi portus erat, & adhuc eſt, etiã quõdam haud dubie trajectus, priuſquam pons illic conſtitueretur. Is apud portã eſt quæ nomen à fluvio habet. nam vel hoc antiquitatem oppidi demonſtrat, quòd ex Briſigavia & tranſrhenanis tractibus hac rectà in Tranſellanã Elſatiam, & Lotharingiam, ac Galliam itur. Tametſi non deſunt, qui viam eam haud fruſtra novam appellatam credant. Itaque veteribus principibus ex Ellenſi illo teloneio luculentum emolumentum fuit. Intelligo autem Francorum reges primum, ante diviſionem regni, deinde Auſtraſiorũ, tandem etiam Germaniarum. Nam hoc conſtat, Othones Saxonicos, Henricos, & Chunrados Impp. hoc telonion partim poſſediſſe, quũ ad fiſcum regiũ, mox Imperialẽ pertineret. Nec hoc vectigal duntaxat Auguſtorũ

juris fuit, ſed & aliqua Seleſtadii pars. Fiſcaliſ-nos tales appellarunt Francicorum regum tēpora. Alteram partem majorem duces Sueviæ tandem è Francis (ut puto) nacti ſunt ex connubio, quantum apparet, ac hæreditaria per uxores ſucceſſione. Alodium enim fuiſſe reor. Leonis inſigne quo ſenatus in obſignandis contractuum tabulis etiamnum utitur, vetuſtiorem aliquem dominum arguit. Sic Colmaria olim Berthæ reginæ obtigerat, dotis (ut videtur) nomine. Invenio tum Kirchenſi Comitatui Seleſtadiū annumeratū. Siquidē juxta Francorum conſuetudinē omnes provinciæ Comitatibus deſtinctæ erant. Extruxit poſtea tēplū hic Hildegardis Duciſſa Sueviæ, primū Dominico ſepulchro, cujus figuram crypta quæ ſub adyto eſt, præ ſe fert: mox divæ Fidei virgini dicatum. Exemplum literarū conditrici eſt hujuſmodi.

Fundatio templi Sletſtat.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Felicius agi res putamus, ſi noſtris ex facultatibus res adjuvemus divinas. Quam ſententiam ego Hildegardis in Chriſto pauper & modica, cum filiis meis videlicet Othone Argentoratenſis eccleſiæ epiſcopo, Suevorumq́; Duce Frederico, Ludovico, Vualthero, Conrado, & filia mea Adelheida chariſſima, ante oculos ponentes & pia conſideratione attendentes, eccleſiam in Slezeſtat adinſtar Dominici ſepulchri factam, & à præfato filio meo Othone epiſcopo conſecratam, S. Fidi in Concha, cum curti monachorum officinis apta, & cum certo prædio ſubnotato, legali ſtipulatione tradidimus, eaq́; ratione confirmavimus, ut ibidem deo

monaſticè

*monaſticè ſerviatur , & à Conchenſis cœnobii ab-
bate regulariter regatur. Tradidimus etiam mo-
nachis ibidem deo ſervientibus duos Manſos in
Vuittenheim marcha in pago Alſatia, & vine-
am unam in Onolteſzuuile, & duo mancipia. E-
juſdem traditionis liberam poteſtatem illorum u-
tilitati conceſſimus , concedendo firmavimus, &
quicquid huic traditioni deo adjuvante addere
potuerimus una eademq; confirmatione ſtabilivi-
mus. Adhuc etiam eandem eccleſiã & ejus atrium
ab omni ſervitutis jugo abſolvimus, Et tali liber-
tati ſub præfati epiſcopi Othonis anathemate a-
ſcripſimus, ut etiam ab epiſcopali ſit libera ſervi-
tio, Et atriũ ipſius eccleſiæ, neq; Baptiſmalis eccle-
ſiæ presbyter, nec aliquis clericorũ aut laicorum,
aut alia aliqua occaſione inquietare præſumat.
Acta ſunt autẽ hæc & feliciter cõſummata, An. ab
incarnatione domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo
XLIIII. Inditione ſecũda, regnante Henrico Im-
peratore IIII. Sub Othone Argẽtinenſi epiſcopo,
Sueuorũq; Duce Friderico, cæteriſq; ſubnotatis
teſtibus , Burchardo majoris eccleſiæ Præpoſito,
Heroldo Cantore, Vuernhero Camerario, cæteriſq;
fratribus De S. Thoma, Cunone Præpoſito, Man-
none, cæteriſq;. De S. Petro, Hezelino Præpoſito,
Cũberto, Ioãne, cæteriſq; quãplurimis ejuſdẽ ordi-
nis. Anshelmo advocato, cæteriſq; quãplurimis,
ejuſdẽ ordinis.* Porro obſervãdũ quòd diploma
baptiſmalis eccleſię meminit, quæ multis ſecu-
lis illud tẽplũ antiquitate ſuperat. nec enim ullũ
unquã jus in parochiã habuit divæ Fidei Præ-
poſitus tẽpore poſterior. Sed pergamꝰ. Iſti jã nõ

templo, verum novo monaſteriolo, haud ita diu pòſt Hildegardis illius filij, Fridericus, Ludovicus, Vualtherus, & Otho epiſcopus Argentoratenſis, de proventibus proſpecturi, quum prius prodigioſo quodam terriculamento olim factæ promiſſionis admoniti fuiſſent, & jam antiſtes monaſterioli Bertranus Conchenſis fame laboraret, frigente Dominici monumenti quæſtu, quo ſolo vitam annis aliquot toleraverat (ut ſunt inconſtantes plebis affectus) quicquid ad ipſorum ditionem Seleſtadij pertinebat, liberaliter donaverunt. Et Præpoſitura opulenta ſtatim facta, quæ miſera verè monachi, nempè unici, cella paulo ante fuerat. Hinc præficiendorum magiſtratuum jus aliquandiu fuit apud Præpoſitum divæ Fidei. Sed Cæſar cui hic etiam nonnihil ditionis eſſet (ut antè diximus) facilè impetravit, id aliunde cõpenſans, ut in conſortium reciperetur. Is fuit Fridericus Aug. ejus nominis ſecundus, ſub quo Seleſtadium muro cinctum eſt. Sicque amborum pari poteſtate reſpublica adminiſtrabatur. par utrinque ſenatorum numerus quum Imperialium tum Præpoſitianorum, & vectigal æqualiter dividebatur. Prætorem autem quem Sculteturn vocant, alternis annis per vices dabant. Id duravit uſque ad tempora Rudolphi Cæſaris, qui ſui præceſſoris approbata commutatione, vectigalis dimidium ad Elli portam; ipſe largitus, totam juriſditionem Imperio Romano vendicavit: Hujus rei teſtem epiſtolam à Rudolpho Cæſare reperi, cujus hoc

exemplum

exemplum. *Rudolphus die gratia Romanorum Rex ſemper Aug. prudentib. viris Sculteto, Conſulibus, & univerſis civibus de Seltzſtat, dilectis ſuis fidelibus gratiam ſuam & omne bonum, Quia inter nos & honorabilem virum Maurum præpoſitum Sanctæ Fidis in Seltzſtat dilectum devotum noſtrum, taliter permutatio intervenit, ut nos totũ Judiciũ, & ipſe plenũ & integrũ teloniũ apud Seltzſtat debeamus perpetuò, ex permutationis cauſa, ſine turbatione qualibet obtinere, fidelitati veſtra firmiter præcipiendo committimus præciſe volentes, quatenus prædictum Præpoſitũ vel ipſius nuncios in integra perceptione ſeu collectione telonii prænotati impedire nullatenus præſumatis, ſed eos ſtudeatis potius favorabiliter promovere, ſi noſtram indignationem regiam volueritis evitare. Datum Hagenn.* x *Kalendas Decembr. Indictione* x. *Anno Dn. M. CC. LXXX primo, regni vero noſtri anno nono.* Deinde Alberti Cæſaris principatu, quum inter Præpoſitum Mironem & ſenatum eſſet nata diſcordia, Præfectus Cæſareus Joannes à Liechtenbergo ſic rem tranſegit, ut civitas tertiæ partis medietate de vectigali foret contenta. Nam adhuc dimidium accipiebat. Et telone communi utebantur. Sic enim convenerat, Chunrado Wernhero ab Hadeſtat prætore, & Friczemanno Nauuaro Conſule. Anno M. CC. XC nono, ſub Epiphaniam. Porrò ob ea beneficia quibus à Friderico Aug. & Rudolpho ſunt affecti cives Seleſtadienſes, tale monimentum illis ſtatuere.

Indignabundus in terram abjecit. Videbatur injuria facta Cæſareæ Majeſtati, cujus id inſigne eſſet. Itaque ex aſſeſſoribus quidã ſurgens, *Nomine Cæſaris*, inquit, *hunc ſcipionem de terra levo.* Quod vindicatæ injuriæ ſtudium, Sigiſmundo Aug. adeo gratum fuit, ut jus deſignandi prætoris ad ſenatum transferret. Tum primum cives ſenatores ad hunc magiſtratum aſſumpti, cui tantũ nobiles antè præficiebantur, de quibus decretum, *ne in ſenatum allegantur.* Adminiſtratur Reſpublica per VIII. viros. Annuè per æquales vices quatuor præſunt. Senatores ex ſodalitiis ſive civiũ collegiis deligũtur. Ea ſunt XII. In magnis negociis etiã centũ viri adhibentur. Nobilitarunt bellicã Seleſtadienſiũ virtutẽ Armeniacenſes illi Rauricorũ, ſive Sequanorum & Tribocorum vaſtatores, in Vogaſi ſemitis non modo opimis ſpoliis quæ ſecum abeuntes ferebant, ſed & vita privati. Fortiter illic pugnavit Chunradus miniſter publicus, cui Longo cognomentum fuit. Vexilla Gallica adhuc in æde Parochiali viſuntur. Sed hoc non abſque vicinorum auxiliis geſtum eſt Non minorem illis gloriam attulit, quod proprio Marte paulo poſt geſſerunt, Herlesheimum oppidum quatuor milliariis diſtans pulcherrimo ſtratagemate capientes, & hoſtem ſuum Grephum raptum inde ſecum vinctum abducentes. Is multis annis Seleſtadienſeis vexarat, non præter nobilium quorundam Germanicorum morem. Verum hic hæreo dubitans, an à fortitudine Seleſtadienſeis prædicem, an potius à

clemen-

clementia, qui hoſtem ultimo ſupplicio dignum, non modo captivitatis tempore humaniſſimè tractarint, ſed duntaxat mille aureis multatum, datis tamen obſidibus non commovendæ in poſterum ullius tragœdiæ, liberum ac incolumem ſuis reſtituerint. Hoc fuit illius ſenio & procerum quorundam precibus tributum. Ea victoria contigit die qui Marco Evangeliſtæ ſacer eſt. Exierant pridie quadringenti cives incipiente nocte cum vehiculis & armis, itinere quidem rureſtri ſecundum nemus Elli fluvii, prætéritaque Colmaria ad ſolis ortum hoſtili loco vicini latebant. Vehiculum erat ad fraudem compoſitum, in quo viri ſedebant, ſed cultu muliebri. Id mane ſimulatque porta hoſtilis municipii fuiſſet aperta, præmiſſum, ſubſtitit in ponte prætextu vectigalis numerandi. Proferebantur nummi incogniti. Hos quum accipere nollet portæ cuſtos, oborta expoſtulatione deturbatus eſt in foſſam. Sicque occupata porta, mox proſilire cœpit exercitus, qui ſe humi in propinquo occultaverat. Dictum oppidanis ut bono animo eſſent, nève rebus ſuis timerent. Ipſos enim non peti, ſed hoſpitem duntaxat Grephum. Is ad primum tumultum in fumarium ſe quoddam abdiderat, unde ſtatim extractus eſt. Ex filiis alter nempe junior cum patre comprehenſus fuit; alter nudus aufugit interula tantum tectus. De hac re hujuſmodi memoria reperitur.

FORTITUDINI ET CLEMENTIÆ *dicatum.*

Quando contra graſſanteis ac prædabundos hoſtes ubi vigilantia ſolertiaq́; convenit (Græci [illegible] appellant) cives Slezeſtadienſes circiter quingentos, ex autoritate ſenatus cum carris ſuis ac armis collegiatim exeuntes pridie D. Marci Evangeliſtæ ſub noctem per nemus Ellenſe & agrum qui ad fluvium Ellum vergit, poſtridie ſummo mane ingenio vehiculi perſonatos muliebri cultu viros vehentis, oppido Herlesheimio potiti ſunt, & hoſte ſuo Henrico Grepho capto cum altero filio (nam alter nudus fuga elapſus noſtros fefellit) eodem die pleni victoria ac triumphabundi domum ſunt reverſi, tota civitate ob congratulationem obviam effuſa. Et ò magnam maiorũ noſtrorum clementiam, eum ſenem ſibi ac filio ſuo de extremo ſupplicio miſerè metuentem, è carcere qui Herlini cognominatur, paucis poſt dieb. exemptũ in ædibus honeſtiſſimi civis, adhibitis tamen cuſtodibus, humaniſſ. mè foverunt, & procerum ac nobilium huius regionis precibus ſatisfacientes, mille tantum aureis multa tum cautione & fidejuſſoribus de more acceptis, incolumem & ob inſperatum beneficium præ gaudio lachrymantem, non ita poſt multos menſes dimiſerunt. Anno M. CCCC. XLVIII.

Porrò familiæ claræ & antiquæ Seleſtadij fuerunt, Waffelariorum, Monetariorum, Schurphesackorum, Schnellonum, quorum ædificium, villa ad Ellenſe nemus, cui Schnellonum

colli

colli nomen eſt, præterea Botzheimiorum, Rappencophiorum, & Obrechtorum. Habet hoc oppidum parochiale templum & unicum & omnium antiquiſſimum, cujus lapidea ſtructura unàcum turri ſatis quidem magnifica eſt, ſed recentior. Olim haud dubie ſimplicius fuit & anguſtius, ſanctæ Cruci divæque Catherinæ dicatum. Sed poſtea D. Georgius & Agnes in adyti (quod chorum vocant) tutelam aſciti ſoli nunc regnant, veterum nulla memoria, præter picturam. Ab hoc prima eſt ædes dominici ſepulchri, quæ nunc divæ Fidei Præpoſitura vocatur, Benedictinorum religionis ab Hildegardi Sueviæ Duciſſa multis pòſt ſeculis conſtructa, ac ab hujus filiis amplis proventibus ditata, quemadmodum paulo ante diximus. Cujus reditus & cenſus impetravit ætate noſtra Albertus Argentoratenſis epiſcopus à Romano Pontifice, quum antea Cardinalis Neapolitanus Oliverius hoc cœnobium ſibi obnoxium habuiſſet. Viſuntur illic feneſtræ vitreæ Friderici Ænobarbi juſſu factæ, in quarum margine hoc aſcriptum eſt epigramma.

Tempore quo redijt ſuperatis Mediolanis,
Nos rex Romanus fieri juſſit Fridericus

Cœnobium Prædicatorum, quod mediocre eſt, multũ debet Heſſoni Monetario, qui ſumptũ ſuppeditavit quũ Chorus (quẽ vocant) extrueretur. Franciſcani ſepultura Elſatiæ Lãdgraviorũ Joannis & Simonis inſignes, qui templi conditores quibuſdam exiſtimantur, in loco quidem eleganti habitant, ſed re parum lauta, quod

quod ei familiæ propemodum peculiare eſt, vel ob cœnobia nimis multa quibus hæc ſecta cæteras ſuperat, vel quòd D. Franciſcus egenorum ἀγαπητάς ſuos velit eſſe pauperes. Joannitæ ad mœnia habitant loco ſaluberrimo, qui vitæ ſanctimonia ſemper commendati fuere. Sequuntur hi proprium quoddam inſtitutum, cujus tantum tria cœnobia numerantur, hoc videlicet quod diximus, & unum Argentorati, tertiũ in Agrippina Colonia. Sanctimoniales apud Silon incluſæ humilius habitant, ut mirer non pluribus morbis obnoxias illas eſſe. ſed bona diæta nihil ſalubrius. Cœnobium habent amplum & frequens: nam plærumque non pauciores quadraginta in eo degunt. Traductæ ſunt in oppidum anno M. CC. LVIII. è monte circa Rapoldiſvilerium ſito, quum à Comite Horburgenſi ſubinde vexatæ fuiſſent, eo quod hujus germanus frater opes ſuas ipſo præterito his eſſet dilargitus. Obſeſſum fuit Seleſtadium à Bertholdo de Buochecg, & mox à Joanne Liechtenbergio antiſtitibus Argentoratenſibus nec diu, & fruſtra. Sæviit hic vulgus in Judæos ſub Carolo Aug. ejus nominis quarto, incertum ob quam cauſam. Hi diu poſt prorſus ſunt ejecti per Helveticos Lotheringorum duci Reinhardo ſuppetias ferentes, approbante deinde factum hoc Friderico Aug. Ex ſchola literaria multum celebritatis acceſſit oppido, cui quinque inſignes viri per vices præfuere, Ludouicus Dringenbergius, Crato Hofmanus Udêheimenſis, Hieronymus Gebuilerius,

Ioannitæ.

rius.

rius, Joannes Sapidus, & Vitus Rotenburgius. Encomium Seleſtadii ſcripſit Eraſmus Roterodamus elegantiſſimo carmine, rogatu Jacobi Wimphelingii. Habet in ſumma homines bis mille & ſexcentos plus minus, qui ſacroſanctæ euchariſtiæ ſacramento ſecundum Chriſtianum ritum ſingulis annis participantur, quos Communicantes appellant. Populus eſt ſimplex ac tenuis, ut vinitorum fert conditio: præterea comeſſationibus paulo addictior. Ruſticana conjuratio ſeditioſorum quorundam, direptionem divitum & legum nonnullarum abrogationem molientiũ anno M. cccc. xciii. cladem Seleſtadio minabatur. Hujus duo tantum cives erant conſcii, tonſor alter, alter è cõſulum numero nuper ſubmotus, quæ illũ ignominia ſtimulaverat, ut tam ſceleratæ factioni nomen daret, non alienas opes ſed ultionem ſitiens adverſariorum, quæ res in tempore deprehenſa eſt. Sed nunquam gravius periculum imminuit, quàm anno viceſimoquarto ſupra ſeſquimilleſimum, quum *Joannes Jacobus*
1524 *Schutz* à Troubach patre ſcriba natus, Cõſulib. Seleſtadienſib. ſed præcipue Melchiori Ergersheimio, qui tum propter dexteritatem ſuã primas tenebat, certã perniciẽ adornavit. Videns enim hos adverſari liberioribus iſtis cõcionibus quib. contrà plebs enixe ſtudebat, cogitavit ſatis eſſe occaſionis ut affectu quorundam ſimplicium ad fraudem abuteretur. Confingit literas velut ab Ergersheimio ad Ducalem ſenatum apud Enſisheimum ſcriptas, quibus ille nõ ſuo tan-

ſuo tantum nomine ſignificabat, eſſe hic quosdam novæ doctrinæ ſtudioſos dignos, qui illuc ad pœnas luendas abducantur, quod nemo ſit prohibiturus. Et addidit civium quorundam nomina, quos ſciebat ob id ſtudium ſenatoribus eſſe invidioſos: ſed & ſchedæ nomina mulierum inſeruit. Eam epiſtolam ſibi ſecreto communicatam à Materno Barto Ducalis ſenatus ſecretario mentiens, quibus viſum eſt legendam exhibuit. Facile erat iis imponere, quos ante torquebat ſuſpitio. Quare multis perſuaſit ipſam Ergershemii manum eſſe, & ſigillum illius agnoſcere videbātur. Quum animos omnium ſatis concitatos videt, ipſe ſe ſubducit Argentoratum, ubi quo gratior hoſpes eſſet, ait ſe monitturum veniſſe eam civitatem de conſiliis quibusdam quæ adverſus illam Principes quidam iniiſſent. Auditus eſt, ſed mera mendacia narrans. Interea monentur Cōſules Seleſtadienſes, eſſe neſcio quid ſiniſtrę ſuſpitionis inter quosdam cives de ipſis natum. Vocantur ad ſenatum unus & alter. Quæſiti quidnam ipſos male haberet, proferunt fictitiam illam epiſtolam. Re cognita mittuntur ſtatim Argentoratum è conſulibus duo, ut hominem in jus vocent. nihil impetrant. nam impoſtor publica ſe fide munierat quàm primum ſenſit ſe peti. Rurſum mittuntur tres, Caſpar Vueſtermannus, Joannes à Cogenheim, & Sebaſtianus Hertzogius, quibus adjunxit ſe Ergershemius ſuo nomine cauſam perſequuturus. nam commodum è Thermis Marchionis domum redie-

rat. Horum hæc erat poſtulatio, ut in carcerem falſarius conjiceretur. Diu diſputatum eſt in ſenatu, num in tali caſu fidem publicam infringere liceret. Tandem quum judices ipſos ambigere viderẽt, addunt legati Seleſtadienſium, priuſquam pati velint abire calumniatorem, ſe ipſos in vincula libenter ituros. Idem ad ravim uſque Ergersheimius occinebat. Igitur ad tantas legatorum obteſtationes decretũ eſt, ut rèus & actor in carcerem ducerentur, neuter altero meliorem ſortem habiturus, & è legatis Seleſtadienſium unus in ædibus nummulariorum è regione curiæ cuſtodibus adhibitis aſſervaretur. Nam hoc erat perſvaſum Argentoratenſibus, hominem eſſe ſinceriſſimum, qui peſſimus erat ſycophanta. Diu diſceptatum eſt, priuſquam dignus judicaretur, ex quo per tormenta veritas eſſet exquirenda. Nec ullis verò fidicularum cruciatibus ex illo quicquam elici potuit. Ita animum ſuum obfirmarat. Tandem hoc conſilium prudentes dederunt, ut Colmariam deduceretur, Materno quoque adducto quem illa ſibi myſteria cõmunicaſſe dicere perſeverabat. Non diſplicuit Ducalibus ſenatoribus conſilium. Adſunt cum ſuo captivo, quem ad extundendam veritatem tormentis acerbiſſimè exercuerant. Nec ibi tamen aliud quàm titubabat, non clarè faſſus impoſturam, altero geſtiente in os & faciem ejus manibus involare. Quum vero videret ſibi cum Ducalibus conſiliariis abeundum eſſe, maluit crimen confeſſus Argentoratum redire, ſpe

fauto-

ſautorum quos illic non paucos habuerat, bonam illam cauſam agere putanteis. Quo cum eſſet reductus, interceptæ ſunt mox illius literæ quibus ſuos admonebat, deprecatores pararent; Comitem Wirtenbergenſem, Comitem à Furſtenberg, uterum ferentes mulieres, & præſtantiſſimum quemque, pereundum alioqui fore. Sed dictum illi per magiſtratus, Omitteret talia. nam moriendum eſſe. Timuit autem ne vivus diſſecaretur, nam id commeruerat. Hujus atrocis ſupplicii illi gratia facta. Amputato capite, corpus in quatuor partes diſſectum eſt. A morte ſtatim per ſacerdotem productorem, quem hactenus ſilere juſſerat, alterum facinus proditũ eſt, non quidẽ ſuperiori comparandũ; ſed tamen planè nebulonicum. Catenam orichalceam hoſpiti ſuo ſervandam dedit, aſſerens auream eſſe, deinde pecuniam ab illo mutuatus eſt. quam alter haud gravatim dabat, putãs ſe precioſum pignus habere. Quid factum? Timens impoſtor ne fortaſſis deprehenderetur catena aurũ mentita, furtim ſublatã in amnem Pruſcã abjecit. deinde repetit depoſitũ ab hoſpite, de precio auri multa magnificè jactans. Ille non reperit, & de ſuis malã concepit ſuſpicionẽ. Sed quum de falſarii crimine convictũ cerneret, hæc etiã illi impoſtura ſuboluit. Verum furcifer tametſi ſæpe rogatus, nihil de hac re fateri voluit, donec jamjam procumbendũ eſſet in genua carnificis ictum excepturo. Viſum eſt ſenatui Seleſtadienſi monumento rem tantam ad poſteros tranſmittere, quod ſic habet.

CHRISTO LIBERATORI
ET
AETERNÆ MEMORIÆ SACRUM

Ob ſceleratiſſimum falſi crimen, quo Joannes Jacobus Schutz à Troubach Senatum plebemq́ Seleceſtadienſem ſeditionis & civilium turbarum gratia ſeditioſiſſime involvit, illum proditionibus inſimulando, confictis quidem in hoc adulterinis literis, & Melchioris Ergersheimij Prætoris manũ ac ſigillum ementitus, a quo tamen diſcrimine ſingulari Chriſti Opt. Max. favore civitatem illæſam ſervari contigit, autore ipſo tanti ſceleris apud Argentoratum poſt longas moras, dum cottidie nova mendacia comminiſcitur, merita diſſectionis pœna affecto, ne poſteri talibus impoſturis facile circumveniantur, aut falſis criminationibus & calumnijs unquam pronas aures adhibeant, hoc memorabili perfidiæ exemplo commonefacti, Senatuſconſulto ſaxum hoc eſt poſitum. Anno M. D. XXIIII. Menſe Decemb.

Porrò ſæpius Seleſtadii fuit Carolus Magnus, ut Regino Prunienſis annotavit in Chronicis ſuis, & diplomata vetera teſtantur. Facit non nihil ad antiquitatem Seleſtadii, quod inter quatuor vicos Romani imperii numeratur. Quanquam non habeam compertum, quando nata ſit illa ordinum imperialium diſtinctio, cujus multas quidem picturas, at nullum idoneum teſtimonium videmus. Mihi ſanè recentior videtur. Quæ de Slettone gigante quidam affinxere, ea vulgo relinquemus. Nos ſanè confugi-

confugimus ad ipſam antiquitatem, atque illam ſcrutamur ac excutimus, quantum poſſibile eſt. Nam commentarii mediæ antiquitatis hominum plerumque monachorum, non minus ineptiunt quàm vulgus ipſum, à quo magna ex parte hauſtum eſt, quod adventitii ab adventitiis edocti poſt tantas rerum ac populorum mutationes in literas utcunque retulerunt. Hi fuerunt Scoti & Hyberni. Finem dicendi faciam, ſi unā adhuc inſcriptionem, recentem quidem illam, ſed tamen ad Seleſtadii ornamentum & eorum quæ dicta ſunt explicationem in primis pertinentem recenſuero, ea eſt hujuſmodi.

Reſpublica decori & ornamento ſacri Romani imperij conſultura non minus quàm ſuo, cujus municipium & vicus honoratior Sleceſtadium ob antiquitatem ſingularem, & Elcebi illius veteris apud Cl. Ptolomæum inter Tribonorum oppida adnotati celebritatem, à priſcis Francorum Auſtraſianorumq́; ac Germanorum regum & Imperatorum temporibus eſſe meruit, tranſgreſſarum olim melioribus tandem auſpicijs è tranſrhenana Germania gentium, ſub calamitoſiſſimam illam Attilæ vaſtationem nova colonia, pergulam iſtam fieri fecit Anno M D. XXVIII.

HELLUM SIVE HELELLUM.

Antiquiſſimus Tribonorum vicus eſt Hellum ſive Helellum, quemadmodum in charta Theodoſiana legitur, in Elli fluminis ripa ſitus, nomen ſuum adhuc retinens. Dici vero vix poteſt quantum Romanæ vetuſtatis illic appa-

reat. Viſuntur ſimulachra ſculpta, Mercurii, Dianæ,& aliorum Deorum muris templi inſerta. Oſtendunt etiam ſeſe teſtudines ſubterraneæ ruſticis agros arantibus. Sed non vacat pauperibus, nec fruſtra libet, terram altius ſcrutari, quorum illic habitant pauculi piſcatores & pauciores adhuc agricolæ. Nomiſmatis æreis illic nihil crebrius. ſed & argentea aureaque narrant inventa. Quòd ſi eſſent qui terram alicubi nunc dumetis & nemoribus obductam diligenter effoderent. miranda adhuc antiquitatis monumenta proferri in lucem poſſent quæ manent hodie ſepulta. In cauſa eſt quod Romanorum militum hyberna apud Hellum fuere. Erat autem convenientiſſimus locus ad militare præſidium pro Tribonorum tutela. primum propter agri fertilitatem: deinde quod propemodum in meditullio regionis conſtituti facile poterāt ad limites excurrere, prout res poſcebat, vel ſupra Elcebum verſus Sequanos, vel infra Brocomagum, præſertim autem ad Rhenum propter Alemannos. Hi milites (ut veriſimile eſt) Præfectum habebant, qui Comiti Argentoratēſi parebat, ut is rurſum Duci Magunciacenſi. Apud Hellum (ut ajunt) D. Maternus quum Tribonis Chriſtum primus annunciaret, febri extinctus eſt & terræ corpus mandatum, ſive potius illatum conditorio quod etiamnum oſtenditur. Valerius & Eucharius collegæ amiſſo patrono penitus conſternati, Romam repetunt, D. Petro rem indicaturi, cujus auſpiciis evangelicum munus obierant. Petrus baculum

culum eis tradens, *Hoc*, inquit, *ſcipione defuncti Materni corpus contingite, hæc verba apprecati, ut in nomine Jeſu Chriſti reſurgat*. Illi mox Hellum reverſi, fecerunt quemadmodum juſſerat Petrus, & confeſtim Maternus revixit. Verus eſt Chriſti ſermo dicentis, ſuos, ſi fidem habuerint, majora miracula deſignaturos. Chriſtus Lazarum quatriduanum reſuſcitavit, Petri precibus Maternus jam menſtruus vitæ reſtituitur. Chronica monaſterii Ebersheimenſis tradunt hũc vicũ Elegiã eſſe dictũ, παρὰ τῶν ἐλέγων ἢ θρήνων, hoc eſt, ab elegis ſive threnis, lugubres cantus exiſtunt, qui illic circa Materni funus profuſi ſint. Quaſi vero viri Apoſtolici qui ipſum Petrum audierant, ob ſodalem ad meliorem vitam translatum, clamoribus omnia repleverint & more ſtultarum muliercularum cœlum ac terram inclamarint: ac non potius ſi quid tale vel ab ethnicis tum fiebat (quod ego non credo) vel ab hiis qui recens in numerum Chriſtianorum erant recepti, illi modis omnibus repreſſerint ceu rem indecoram, iis præſertim qui vitam alteram expectant. O ſomnia monachorum. Video miram antiquorum libertatem in commodis affictionibus, ut hiſtoria certa videatur eſſe, quod utcunque fama receptum fuit. Quum monachus aliquis vicum iſtum *El* ap- *Ell.*
pellari inaudiſſet vernacula lingua, ſicut adhuc nominatur, Elegiam dictum ſtatim affinxit, ſed temerè, propterea quòd nos neceſſarios noſtros deflere ſoleamus, argumento parum firmæ fiduciæ. Scilicet homines Apoſtolici inſtar re-

regum vocabula locis indebant. Aut Hellenſibus qui tũ Romana lingua cœperant uti, quod toti Galliæ commune fuit, ſeu potius Romanenſibus militibus tanta propriorum vocabulorum inopia fuit, ut Græcum vico ſuo nomen cogerentur aſciſcere, quaſi vel nullam antè habuiſſet appellationem, quod falſiſſimũ eſt: vel quaſi Maternus novam invehens religionem, & veteres ſuperſtitiones depellens, tantam ſubitò gratiam apud populum meruiſſet, ut priori vici vocabulo abolito, à threnodia ac non potius à ſanctiſſimo viro nominari voluerint. Sic quidã ſuperioribus annis quem adhuc audio ſupereſſe, D. Beatum anachoretã Helveticũ (ut vulgus prædicat) Suetonium fuiſſe vocatum affinxit, illius vitam deſcribens, & ſociũ habuiſſe cui nomen eſſet Achatæ. Adii hominem quæſiturus undènam id aſſereret, putabã enim hæc illum abſque autore non dicere. Sed audi prudentiã. *Proptera*, inquit, *addidi Suetonium fuiſſe vocatum, quod legerim è Suedia produxiſſe & quia Æneæ Virgiliano fidus Achates ſemper adhæſit, ideo ſodalem illius hoc nomine donavi, alioqui anonymum futurum.* Et tamen hæc hiſtoria, ſi ita vocare libet, non ſolum picta eſt in templis, ac ſcripta, ſed etiam typis excuſa. Video nonnunquam parum præſidii eſſe à chronicis cœnobiorum, in quibus ita veris fabuloſa aſſuuntur, ut vix appareat quid ſit credendum. Quare magis libet ad antiquitatem confugere, ſicubi datur. Et tamen ſunt qui illa tantum non pro oraculis adorent.

D. Beatus.

TRIBONI

TRIBONI, TRONIA, KIRCHEIM.

CHonodomarius Alemannorum rex, quũ popularium ſuorum aciem jam profligatam videret in campis Argentoratenſibus vincente Juliano Cæſare, non rectà fugit ad Rhenum, quod alii faciebant, ſed celerrimo curſu diverſam partem petiit verſus montes tendens. Et quia ducentos ſatellites ſecum habebat, & tres ſibi junctiſſimos, (intelligo neceſſarios) auſus eſt caſtra figere non procul à Tribonis & Concordia, munimentis Romanorum, unde nequaquam fugienti ſimilis, paulatim ad Rhenum progreſſus eſt. Nam bonam evadendi ſpem habebat. Siquidem naves antea diſpoſuerat in hunc eventum ſecretis quibuſdam in ripa Rheni locis. Hic ſuccurrit Arioviſtus, Rhenum item trajiciens poſt infelicem pugnam, de quo ſic Julius Cæſar libro primo Commentariorum: *In hyſ*, inquit, *fuit Arioviſtus, qui naviculam deligatam ad ripam nactus, ea profugit.* Hoc quod modo dixi, prodigioſe corruptis verbis apud Marcellinum legitur, nempe hijs. *Dum hæc rex Chonodomarius reperta copia diſcedendi, lapſus per funerum ſtrues cum ſatellitibus paucis celeritate rapida properabat ad caſtra, quæ prope Tribonos & Concordiam munimenta Romana fixit intrepidus, ut accenſis navigijs dudum paratis ad caſus ancipites in ſecretis ſeceſſibus emendaret. Et quia non niſi Rheno tranſito ad tentoria ſua poterat provenire, vultum, ne agnoſceretur operiens, ſen-*

Am. Marcellini locus. *ſim retulit pedem.* Iſtam Marcellini periodum ego ſic lego diſtinguoque. *Dum hæc geruntur, rex Chonodomarius reperta copia diſcedendi lapſus per funerum ſtrues, cum ſatellitibus paucis celeritate rapida properabat; caſtraq; prope Tribonos & Concordiā munimenta Romana fixit intrepidus, ut aſcenſis navigijs dudum paratis ad caſus ancipites in ſecretis ſucceſſibus evaderet. Et quia non niſi Rheno tranſito ad territoria ſua poterat pervenire, vultum, ne agnoſceretur, operiens, ſenſim retulit pedem.* Vide quantus labor ſit ex tam depravatis autorum locis antiquitatem eruere. & quanto facilius ſit hæc ridere, *Kircheim.* quam præſtare, Tribonos arbitror fuiſſe quod poſtea Kircheim appellatum eſt ab Alemannis, olim Dagoberti Francorum regis palatiū, non procul à Molliſheimo. Nam in vita D. Florentij Scoti, qui vij Argentoratenſium epiſcopus fuit, ſic legitur: *Eo quoq; tempore rex Dagober-* *Tronia.* *tus apud municipium, tunc Tronium quaſi Trojam novam, nunc Kircheim dictum, ſibi domicilium fixerat.* Ego Troniam nihil aliud eſſe puto quam vocabulum vernaculi ſermonis, quo vulgus à majoribus ſuis accepto Tribonos per abbreviationem exprimeret. Bonus vero pater ille qui vitam conſcripſit, ignarus vetuſtatis ut tunc fuere ſecula, ſomnium illud ſecutus eſt de Troia, pulchram nobis interpretationem allaturus, quòd Francos à Troianis originem ducere in fabuloſis hiſtorijs ſe legere meminiſſet, Sed Triboni Romanorum opus eſt longe antequam Alemanni & Franci in has terras tranſirent,

tent, conditum. Vix autem extant ullo Elsatiæ loco majora antiquitatis veſtigia. Prominent adhuc inter ruinas altiſſimi muri turrium inſtar. Nec miror quur veteres Francorum reges illic habitare voluerint, nam agrum habet amœniſſimum. Hoc miror, quòd nullus antiſtitum Argentoratenſiũ tam inſigne non Romanorum modo ſed Alemannorum & veterum Francorum domicilium, unquam reparandum duxerit, in cujus ditione ſitum eſt, ni fallor. præſertim quum ruinarũ ſubſidio, quæ colles æquant, minus ſumptuoſum eſſet ibi quidvis erigere, Tribonis inditum nomen à Tribonis populis, ut apud Cl. Ptolemæum legitur, qui alijs Triboci, hodie Elſatici dicuntur. Quod nomen ei loco nobilitatem ac præſtantiam quandam vendicat. Crediderim id ego munimentum tam amplum fuiſſe tamque operoſum, ut ab Alemannis adhuc hoſtibus totum ſubverti nequierit. Deinde quum has regiones pacificè poſſiderent, dubio procul ab aliquo regulo Alemannorum reſtitui cœpit. Mox hac gente ſubacta, Francorum regum factum eſt domiciliũ, quos veriſimile eſt pro uſu ſuo multa aſtruxiſſe. Hoc admonere propemodũ fueram oblitus, comitem Kircheimenſem, in cujus comitatu Seleſtadium dixi me ſitum reperiſſe, nihil fuiſſe aliud quam comitem Tribonũ. Et hinc ejus ditionis antiquitas. Sic Horburgenſis comes, fuit comes Argentuarienſiũ, & Vindoniſſenſium Habiſpurgius.

Concordia, ac Concordiæ mons.

Cocherſperg.

ALterum munimentum Concordiam arbitror eſſe Cocherſpergiam arcem. nam Alemanni incognitam ſibi Concordiæ vocem, nihilq́; ſignificantem tamdiu torſerunt more ſuo, donec in pharetram detorſerint. Qui Germanice ſciunt, intelligunt quid velim. Fuit & hoc munimentum à Romanis conditum ad arcendas Alemannorum irruptiones, qui ſubinde Gallias incurſabāt, hauddubiè boni ominis cauſa ſic dictum. Concordia ad ditionem antiſtitis Argentoratenſis pertinet, ſed hodie paret civitati cui ſpeculæ vice eſt, olim pignori data. Mentionē Concordiæ facit itinerariū quod Antonino Aug. tribuit titulus. A concordia Cōcordię mons nome habet longe lateq; diffuſus. Sane Concordienſis tractus ſupra quàm dici poteſt frumentorum ferax eſt, & aliarū rerum quæ eſui ſunt. Unde Hagenoiæ tanta annonæ vilitas, quum tamen illic propter arenas nihil proveniat. Sed & Argentoratum magna ex parte fovet. Enimvero Concordienſes ipſi vulgo ridentur tanquam ſubruſtici, propter linguam ineptiuſculam, & cultum veterem quo pertinaciter utuntur. Tametſi quantum ad linguam attinet, nec ipſi irridentes deriſis magnopere præſtent. Eſt hoc vitium peculiare Tribonis, à quo tamen immunis non eſt bona pars Rauricorum inferiorum ſive Sequanorum, & Briſigavorum.

Argen-

Argentoratum.

Argentoratum, occupata Germania prima quæ Romanorũ ante provincia fuerat à ſuo Conſulari gubernata, Alemanni primoribus duabus ſyllabis amputatis, & S litera ſibili cauſa adjecta, de ſuo vero burgum adnectentes, Storatburgum & Stratiburgum appellavere. *Stratburg.* Id autem accidit ſub Valentiniano eius nominis tertio, qui Theodoſio Juniori ſucceſſit, quum Occidentale imperium à Barbarorum incurſionibus Romani nõ poſſent amplius tueri. Unde legitur in Calendario veteri quod in Bibliotheca majoris ædis illic aſſervatur, ubiq; *Stratusburgum*, etiam altero S cauſa ſibili in medium dictionis aſcito. quod etiam in Augſpurgo facimus, non à Strata ſive Straſa, quæ *Straſs.* vox Germanis viam ſignificat, quemadmodum vulgus opinatur, Attilæ nobis allegãs obſidionem, qui ita ſolo oppidum æquarit, ut ubi domus ante ſteterant, regia via facta ſit, unde Stratisburgi nomen. Hæc interpretatio vulgaris eſt, & à poſteriori, inter eas referenda quas propter alluſiones vocabulorum antiqui confinxerunt. Argentoratum olim mediocre fuit oppidum, magis verſus D. Galli ædiculam & locum ſupplicij protentum. Id ſub potentem illam Attilæ in Ciſrhenanas iſtas provincias irruptionem, ſic ab Alemannis hauddubie tractatum eſt, ut Hunno parum ſupereſſet quod exſcinderet. Sidonius Appollinaris Francis & Alemanis Germaniæ primæ, Tribonorumque &

Rau-

Rauricorum vaſtationem aſcribit, quum canit,
Francus Germanum primū, Belgamq; ſecundā
Sternebat, Rhenumq; ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & utroq; ſuperbus in agro
Vel civis vel victor oras.

Quod ſi etiam demus, everſum ab Attila paulo antequam majores noſtri huc habitaturi tranſmigrarent, adhuc nō evincit hoc, propterea appellationem illam Argentorato tributam eſſe. Utrumque ſane ſub Valentiniano Theodoſii junioris ſucceſſore contigit, & profligatus in campis Catalaunicis Attila Ætio duce, & poſt hujus interitum bona Galliæ pars, quam primam Germaniam & ſecundam veteres appellarunt, nonnunquam etiam ut nos hodie ſuperiorem & inferiorem, præterea quam Sequanorum regionem, Helvetiorū, & Rauricorum vocarunt, Burgundionum, Francorum & Alemannorum juris facta. Nam uſque ad hoc tempus Romanorum provinciæ fuerant. Proinde Comitem rei militaris Argentorati in habuit: dictus eſt ille Argentoratenſis. Et tota Tribonorum ſive Tribocorum regio, quam hodie vocant Elſatiam, vernacula ſimplicitas Elces ab Elcebo, Tractus Argentoratenſis appellata, quòd ab illo videlicet adminiſtraretur, quemadmodum indicat Liber De inſignibus Magiſtratuum Romanorum, in quo ſic legitur, *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis Comitis Argentoratenſis*, TRACTUS ARGENTORATENSIS. Sic olim Comites habuerunt Aphrica, Tingitania, Littus Saxonicum per

Britan-

Britanniam, Britanniæ ipſæ & Italia. Tractum Italiæ, circa Alpes intellige. Porrò Comes Argentoratenſis Magonciacenſem Ducem (ut videtur) agnoſcebat, qui rurſus illuſtri viro Præfecto prætorio Galliarum (quantum conjicimus) erat ſubjectus, quemadmodum etiam antè annotavimus. Satis autem innuit D. Hieronymus ad Gerontiam, Argentoratenſeis olim Provincialeis & annumeratos Galliæ fuiſſe, quum illos ab Alemannis in Germaniam translatos deplorat. Qualem útramque Germaniam Ciſrhenanam tum primam tum ſecundam extitiſſe conſtat. Factam autem vere Germanicam, lingua videlicet, moribus & ditione poſtquàm à Francis & Alemannis Hieronymi ſeculo occupata eſt. Liber Provinciarum & civitatum Gallicarum, in Germania prima, ſive, ut illic ſcriptum eſt, in provincia Germanorum priorum, inter cæteras civitates, Argentoratenſium quoque civitatem recenſet. Illic eam & Marcellinus ponit. Sed dicet aliquis, Mirum eſt Argentorati nomen medio latuiſſe, & tam ſero cognitum. Nam ante Thomam Vuolphium juniorem eo vocabulo nullus uſus eſt, tametſi is Argentoracum perperàm vocabat, ex Ammiano opinor. In cauſa fuit fœdus librarii error, qui Cl. Ptolemæi codicem deſcribens in Germaniæ ſuperioris annotatione Argentorati vocabulum, quod inter Tribonorum oppida ſtatim poſt Brocomagum ſive Breucomagum (ut Ptolomæus nominat, ſubdere debebat) ipſe ſimilitudine vocis deceptus

inter

inter Vangionum oppida poſt Borbetomagum addidit, Argentoratum Vormaciæ propinqui faciens, quam integre quondam Borbetomagum appellatam corruptè verò Vormaciam hodie dici conſtat, B litera in V mutata, quaſi dicas Vormagium, ceu ſuprà monuimus. Is itaq; qui tabulas chorographicas poſtea Ptolemæo addidit aſtronomicam rationem ſecutus, inſcius erroris à librario commiſſi, Borbetomago Vãgionum metropoli, hoc eſt, Wormaciæ Argentoratum appinxit, quod inter Breucomagũ & Elcebum Tribonorum oppida fuerat conſtituendum. Proinde hic non Argentorati modo, ſed & utrinque vicinarum urbium quas modo nominavimus, notitiam nobis ademit. Simili librariorum oſcitantia, apud eundem Cl. Ptolemæum Vangiones in Nemetum locum, & viciſſim in Vangionum locum Nemetes translati ſunt. In campis Argentoratenſibus Julianus Cæſar multa millia Alemannorum delevit, præter eos qui in Rheno partim trucidati ſunt, partim ſuffocati. Et Chonodomarius rex captus. Eos campos fuiſſe puto, *Husberg.* qui verſus Husbergam porriguntur. Nam Julianus è Tribus tabernis cum exercitu non admodum numeroſo, ſed animoſo veniebat, ubi hodie extructum oppidum videmus *Elſas Zabern.* Elſaticæ Zaberniæ vocabulo. Porrò Argentoratum in Argentinam nobis mutarunt monachi & notarii, quod hæc vox brevior ſit, ac commodior ſuaviorque pronunciatu. Iidem Magonciacum in Magonciam, & Confluentes in Con-

in Confluentiam verterunt. Nam quod Argentinam dictam quidam putant quaſi argenteam tinam, ob pecuniam quæ illic colligeretur aut conſervaretur, vulgi ſemidocti fabula eſt, non abſimilis illi fabulamento quod apud Baſilienſes de Baſiliſco olim invento jactatur. Reperio Romanos Rationalem ſummarũ in Galliis habuiſſe, & Præpoſitum Theſaurorum, apud Treviros, atque illic etiam Procuratorem monetæ. De Argentorato nihil tale invenio. Si igitur Comiti Argentoratenſi in ſtipẽdia militũ pecuniis opus eſſet, aliunde hauddubie ſuppeditabatur, vel è Magonciaco, vel à cõſulari Germaniæ primæ. Erat enim Argentoratum oppidum mediocre, ſed tamen Tribonorum caput. Id feliciſſima illa Juliani cum Alemannis pugna admodũ nobilitavit, tum ab hoſtibus liberatum, à quibus extrema metuebat, ut Ammianus ſcribit. In Decretis quæ Gratian⁹ conſarcinavit, *Argentoratenſis* legendũ eſt, non *Argenteæ retenſis*, diſt. XXXIII. q. II. Latorem. *Decret. Gratiani locus.*

TRES TABERNÆ.

TRes tabernæ, munimentum fuit Romanorum ad prohibendas Alemannorum in Galliam interiorem incurſiones, apud eum locum quem Zaberniam hodie vocamus, Argentoratenſis præſulis domiciliũ. Hoc munimentum ab Alemannis dirutum Ammianus ſcribit Julianum Cæſarem reſtituiſſe lib. XVI. his verbis: *Converſus*, inquit, *hinc Julianus ad reparandas Tres tabernas, munimentum ita cogno-*

minatum, haud ita dudum obſtinatione ſubverſum hoſtili, quo ædificato conſtabat ad intima Galliarum, ut conſueverant, adire, Germanos arceri, & opus ſpe celerius conſummavit, & victum defenſoribus ibi locandis, ex Barbaricis meſſibus non ſine diſcriminis metu conlectum militis manu, condidit in uſus anni totius. De eodēm munimento & Juliano Cæſare loquitur paulopóſt hiis verbis, *Quum*, inquit, *ille etiam perficiendi munimenti ſtudio ſtringeretur*, & cætera. Et mox, *Retentis legatis adusq; perfectum opus caſtrorum in eodem gradu conſtantiæ ſtetit immobilis.* Porrò Julianus Cæſar poſt Argentoratenſem pugnam profligatis numeroſiſſimis Alemannorum copiis ad Tres tabernas rediit, autore eodē Marcellino, cujus hæc ſunt verba lib. xvij. *Abſolutisq; legatis*, inquit, *quos ante certamen ſuperba quædam portaſſe prædiximus, ad Tres tabernas revertit.* Loquitur autem de legatis Alemannorū.

Elſas- Berg- Rhein Zabern. Eas tabernas hodie Elſaticas appellamus, ad diſcriminen earum quæ inferius ſitæ Montanæ vocantur, & item earum quæ in Nemetibus ad Rhenum ſitæ Rhenenſes nominantur. Apud Tabernas Rhenenſes in cœmitorio duo ſimulachra viſuntur Mercurium referentia, & limes ingens oſtenditur ex nemore vicino allatus, cum hac inſcriptione,

N. H. DD. L. SILVANIUS PROBUS PONTES D. S. DD.

Hoc eſt, *Neptuno hic dedicavit L. Sylvanius Probus pontes de ſuo dedicavit.* Inveniuntur etiā illic

illic ab hiis qui terrã effodiũt, urnę fictiles nobilium Romanorũ cinerem continentes, & ſarcophagi, ſed & gemmæ ſignatoriæ, ac vaſcula figlini operis rubella. Quæ omnia ſatis indicant Romanos milites illic ſtativa ſua habuiſſe. Unde & Tabernarum nomen. Aſſignat autem hunc locum Liber de inſignibus magiſtratuum Rom. Præfecto militum Menapiorum, In quo ſic legitur, *Præfectus militum Menapiorum, Tabernis*. Eratque ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Maguncia cenſis. Antoninus Aug. in Itinerario ſuo, Tabernas Rhenenſeis ſimpliciter *Tabernas* vocat. Meminit vero etiam Trium tabernarum inter Aritiam & Appii forum ſitarum, & aliarum non procul à Dirrachio. *Taberna.*

BROCOMAGUS, QUI PTOLEMÆO *Braucomagus*.

BRocomagum, qui Ptolemæo Breucomagus vocatur, vernaculus Alemannorũ ſermo *Bruomat* appellat, vicus hodie eſt duobus milliariis infra Argentoratum ſitus, ad montana magis vergens quàm ad Rhenum. Julianus Cæſar quũ apud Viſontionẽ collegiſſet exercitũ, per Decempagos adgreſſus Alemãnos, qui jam Argentoratũ, Brocomagũ, Tarbellos, Sebuſianos, Nemetes, Vangiones, & Maguncia cum civitates poſſidebãt, ſeu potius illarũ territoria (nã ipſa oppida ut circũdata retibus arbuſta Barbari declinãt) primã omniũ Brocomagũ occupavit, captis nõnullis Alemãnis, aliis in ipſo prælii furore trũcatis, autor Marcelli-

nus libro XVI. Adjacet Brocomago cœnobium ſacerdotum, quibus à Sancto ſpiritu titulus eſt, Brephotrophio nobile, hoc eſt, domo in qua pueri expoſititii aluntur. Eum locum Stephani campum vulgo vocant, ab inſtitutore, ut opinor. Vidimus aliquando in pago, ſi recte memini, Moresvilerio, qui Brocomago valde propinquus eſt, præter ruinas veteris ædificii ſupra novem idola muris ſacelli cujuſdam vice ſaxorum inſerta. Quæ res documento eſt, Romanos illic habitaſſe.

Morsuniler.

SALETIO.

HOc oppidum ſex milliariis infra Argentoratum ſitum, Annales Francorum Saleſiam appellant. Nam primi illi Francorum reges multos hic ſæpe conventus celebravere. Liber de Palatinis officiis oſtendit, apud Saletionem præfectum militum ſtativa ſua habuiſſe. Germani Selzam vocant.

Seltz.

SEBUSII, SEBUSIUM, ET SEBUſiani.

AMmianus lib XVI. de Juliano Cæſare loquens, ceu modo citavimus: *Audiens itaquè Argentoratū, Brocomagū, Tarbellos, Sebuſianos. & Nemetas, & Vangionas, & Maguntiacum civitates Barbaros poſſidētes, territoria earū habitare, primā omniū Brocomagū occupavit.* Hæc Marcellinus. Dubium eſt qui ſint Sebuſiani. Satis appareteos Brocomago Nemetibusque vicinos eſſe, velut intermedios. Dicā quid ego ſenti-

ſentiam. Sebuſiani ſunt Wiſſenburgenſes. *Vuiſſen-burg.* Nam Alemanni more ſuo Sebuſium primore ſyllaba ſpoliantes, & V pro B uſurpantes jam habebant Vuſium. Cui burgum adjecerunt, & factũ eſt Wiſunburgum, quod hodie etymi iſtius ignari, quod ego primus profero, Vuiſenburgum omnes appellitant. putaturque caſtrũ albũ ſignificari. Itaq; Vuiſſenburgũ eſt Sebuſium, ipſi cives & accolæ erunt Sebuſii, & Sebuſiani, quemadmodum Marcellinus uſurpat. Hinc apparet apud Cæſarem libro primo Cõmentariorum non *Seduſios* legendum, ſed *Sebuſios*. Ubi vulgata ſcriptura habet, *Triboces, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos.*

TARBELLI.

EGo libenter *Lutari* legerem, pro Lutari fluvii accolis, quorum colonia Lutariburgum. Ptolemæo Tarbelli populi ſunt, ſed longe diverſi. *Lauter-burg.*

OBRINCANUS TRACTUS.

MOſellam amnem Ptolemæus Obrincam vocat. Quod vocabulum miror apud nullum è veteribus extare, hoc autore exceptione apud Auſonium quidem, qui tamen Moſellam nobiliſſimo carmine celebravit. Sed certum eſt Ptolemæum chorographicas ſchedas admodum antiquas ſecutum. Obrincam videntur mihi qui huc immigrarunt Alemanni ſuo more tandem in Canis tergum detorſiſſe. Nam addita aſpiratio primum eſt, & inſerta

litera S, ut fieret *Hobſrincen*, quam vocem incognitam nec aliquid ſignificantem, imperitũ vulgus in *Hondſrucken* vertit. Nec obſtat quod ab hujus nominis oppidulo deductum nomen volunt. Nam quum Provincia fuerit, potius arbitror Obrincam quoque Provincialib. ab Obrinca fluvio vocatum id caſtellum eſſe. Niſi fortaſſis ab ipſo loco poſterius ita cognominatũ eſt. Cæterũ planè reor Obrincæ nomẽ à vetuſtiſſimis temporibus in hac parte hæſiſſe notũ accolis. Quæ ſi vera conjectura eſt, eleganter Obrincanus tractus vocari poterit.

Hunſrucken.

Caracates.

Tacitus hiſtoriæ Aug. lib. xx. *Tutor*, inquit, *Trevirorum copias recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano pedite atq; equite firmavit*. Hæc ille. Caracates video Vangionibus ac Tribocis vicinos fuiſſe. Sciendum vero Tribocos magnam olim Lotharingæ partem tenuiſſe, fortaſſis ad Moſellam fluvium uſque porrectos. Nam Marcellinus Germaniam primam extendit ultra Araris fontem. Hoc ideo dico, ne quis miretur Tribocos in auxilium aſcitos à Tutore in Treviris agente. Suſpicor ego Caracatium nomen referre & indicare ſitum, arcem Drackenfelſium, quæ ſuperiorib. annis deſtructa eſt, ſic fortaſſis à loco dictam quaſi Racatium, hoc eſt, Caracacium rupem. Detorquet autem multa vulgus, ceu ſæpe monuimus.

Drackenfels.

Magun-

MAGUNCIACUM.

MAguncIacum vetus, quod D. Hieronymus captum atque ſubverſum teſtatur, & in eccleſia multa hominum millia trucidata, ab Hũnis dubio procul. Francis, & Alemannis, paulo remotius à Rheno fuit. Nam ubi hodie eſt Maguinciacum, olim munimenta fuere Romanorum adverſum Alemannos, ad ipſam Rheni ripam. *Magum* videtur priſcis Gallis domum ſignificaſſe, & *Cia* fluviolus eſt. Unde Maguncia cum quaſi Domicilium Ciæ conjunctum. Sic habes Rotomagum. Noviomagum, Druſomagum. Nam Mœnus Germaniæ fluvius nunquam eruditis vel Mogus vel Moganus dictus eſt. Et à loco Confluentium olim Maguinciacum (ut dixi) pluſculum diſtabat. Crediderim in ruinis veteris urbis hodie habitare leproſos. Imperantibus Valentiniano, Gratiano, & Valente, Maguinciacum cepit diripuitque Rando cujuſpiam Alemannorum regis filius (nam Regalem Marcellinus appellat) occaſionem nactus opportunam, quòd feſtus Chriſtianis dies erat, populo religioni vacante. Quam rem Marcellinus deſcribit XXVI. qui nondum typis excuſus prodiit, hiis verbis. *Sub idem ferè tempus*, inquit, *Valentiniano ad expeditionẽ caute, ut rebatur, profecto, Alemãnus Regalis, Rando nomine, diu præſtruens quod cogitabat, Maguinciacũ præſidiis vacuũ cũ expeditis ad latrocinãdũ latenter irrepſit. Et quoniã caſu Chriſtiani ritus invenit celebrari ſolẽnitatẽ, impræpe-*

Magum.

Moganus.

dite hujuſcemod. fortuna & virilem & muliebrem ſexum cum ſupellectile non parva indefenſum abduxit.

MEDIOMATRICI.

Mediomatrici qui & Mediomatrices, populi ſunt Metenſis diœceſeos, qui hodie
Vueſtrich. ex magna parte *Vueſtrichi* dicuntur, novo veterum Francorum & Alemannorum vocabulo, quod verſus Occidentale regnum porrigantur, oppoſiti Oſterichis, quos Auſtraſios eadem gens appellavit, ut Germanis ſolenne eſt à ventis indere locis & etiam populis nomina.
Auſtria. Sic enim à Quadis tandem occupatam Pannoniam primam Auſtriam puto vocatam, quã illi ſæpius incurſarunt autore Marcellino veluti vicini, Danubioque flumine tantum dirempti. Et notum eſt Nortmannorum nomen. Mediomatricorum caput erat Divodorum, cujus Antoninus Aug. Corn. Tacitus, & Ptolomæus meminerunt. Sed hoc ſcire debet ſtudioſus, ut in Rauricis antè monuimus, populorum appellationes urbibus ipſis poſterius tributas, ſic Remorum, Nemetum, & Vangionum vocabulis, Durocottorum, Neomagus, pro quo Spiram hodie habemus, & Borbetomagus, ſive (ut nunc dicunt) Vuormatia, accipiuntur. Pro Divodoro Mediomatricos uſurpant. Idem in aliis fit. Quòd niſi quis hoc obſervet, fruſtra leget Ptolemæum, apud quem primò populus nominatur, deinde ſubduntur oppida, quorum tamen pauca reperias hodie

popu-

populorum vocabulis non nominata, propriis appellationibus penitus abolitis. Nam quotus quiſque eſt qui Atuacum intelligat, quum Tungros norint omnes? Julianus Cæſar poſt Argentoratenſem pugnam humatis occiſorum Alemannorum corporibus, & abſolutis ejuſdem populi legatis, ad Tres tabernas revertitur, & ulterius prædam cũ captivis omnibus Mediomatricos, ſervandam ad reditum uſque ſuum, duci præcepit. Autor Marcellinus in initio libri decimiſeptimi. Idem libro quintodecimo in deſcriptione Galliarum: *Poſt has,* (Germaniam primam videlicet & ſecundam) *Belgica prima Mediomatricos,* inquit, *prætendit, & Treveros, domicilium principum clarum.* Annotavit Cornelius Tacitus, quod quum Aulus Vitellius Fabium Valentem Ducem ex inferiori Germania, nam apud Agrippinenſes agebat, contra Galbam primum, mox Othonem itinere Gallico mitteret verſus Coctianas Alpes (codex impreſſus mendoſe *cottidianas*, habet) quibus tranſiturus eſſet in Italiam, & ille è Treveris veniſſet Mediomatricos, ac ibi Panicus quidam terror milites corripuiſſet, cæſa fuiſſe Divodurenſium quatuor millia, priuſquàm furor militaris compeſci poſſet. Sed libet ipſius Taciti verba apponere, è libro decimoſeptimo hiſtoriæ Auguſtæ. *Divoduri,* inquit, *Mediomatricorum id oppidum eſt, quanquam omni comitate exceptos, ſubitus pavor terruit, raptis repente armis ad cædem innoxiæ civitatis, non ob prædam aut ſpoliandi cupidinem, ſed furore & rabie & cauſis incertis,*

Taciti locus.

eoq; difficilioribus remediis, donec precibus Ducis mitigati ab excidio civitatis tẽperavere. Cæſa tamen ad quatuor millia hominum. Rurſus apud eundem Tacitum, legiones à Noveſio Bonnaque in Treviros traductæ, Tullii Valentini declinaturæ furorem in Mediomatricos ſociam civitatem diſcedunt, ac mox per Petilium Cerealem ad expugnandum Rigodulum oppidum propinquum Confluentibus evocantur. Apud Cæſarem in ſeptimo Commentario Galli cuiq; civitati certum numerum imperantes, Mediomatricis octona millia imperant. Porrò nihil dubitationis habeo Mediomatricorum ditionem olím Rhenum attigiſſe, ut intelligamus Nemetum fortaſſis, aut etiam Vangionum fines partim illis fuiſſe ſubjectos, nimirum quum validiores eſſent res Gallorum, & priuſquàm Germania prima & ſecunda ad ripam Rheni in Gallia conſtituerentur, id quod poſt Julium Cæſarem factum eſt. Imò priusquam Vangiones, Nemetes, & Triboci è Germania trajecto Rheno huc immigraſſent. Neque enim aliter Cæſarem defendi poſſe video, qui vetuſtatẽ ſpectans ſcribat Rhenum ex Lepontiis ortum longo ſpacio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Tribocorum, & Treverorum citatum ferri, niſi Mediomatricum, vocabulo Rheni accolas intelligamus illorum imperio ſubjectos, quemadmodum per Sequanos Raurici inferiores innuuntur, quibus hii ſuberant, & Trevirorum nomine homines Treve-

renſis

renſis diœceſeos ad Rhenum habitantes circa Confluentes & Bodobrigam, quam hodie Boppardiam dicimus. Unde rurſus colligere licet, Sequanorum Mediomatricorum, ac Trevirorum potentiam multo maximam olim fuiſſe, & Mediomatricos quantum ad ditionis amplitudinem attinet, Treviris pares. Atque id ante provinciarum conſtitutionem, & Germanorum immigrationes. Putant quidam Mediomatricos dictos quòd medii ſint inter Treveros & Leucos, & Metim à Metio quodam vocatam, de quo extent hujusmodi verſiculi in Catalogo Mediomatricenſiũ Epiſcoporum,

Tempore quo Cæſar ſua Gallis intulit arma,
Tunc Mediomatricam vicit Metius urbem.

Sed poſſet hoc carmen alicui fractale videri, & habet ubiq; vulgus fabulas ſuas. Mihi magis videtur, longum & tantum non ſeſquipedale Mediomatricorum vocabulum in Metis à vulgo brevitatis cauſa poſterioribus ſyllabis amputatis, quaſi dicere voluerit Medis. Sic Trecaſſes vulgus eruditorum hodie Trecas vocat, & Noviomagum in Nerviis Noviomũ. In ſcripto codice *De inſignibus magiſtratuum Romanorum*, ubi legitur, *Sub diſpoſitione viri illuſtris Comitis ſacrarum largitionum, Procuratores gyneciorum, Auguſtuduno, translatumentis:* puto legendum, *translata Metis*. Nam arbitror hanc vocem barbarius uſurpatam à vulgo Gallorum Romanenſi lingua utentium, ut Pariſius in eodem libro ſcriptum invenio. *Libri de inſig. mag. Rom. locus.*

TREVIRI

TREVIRI.

TReviri ſunt qui hodie cis Rhenum Trevirenſem archiepiſcopum agnoſcunt. Horum fines olim Rhenum attingebant & etiamnum attingunt. Unde Cæſar illos *Rheno proximos eſſe* ait. Trevirorum civitas eodem autore longè plurimum totius Galliæ equitatu valebat, magnasque habebat copias peditũ. Pomponius Mela clariſſimos Belgarum tradit eſſe Treviros, & horum opulentiſſimum oppidum Auguſtam Trevirorũ vocari, cujus & Ptolemæus meminit. Corn. Tacitus coloniã Trevirorum ſubinde nominat. Scribit Cæſar Trevirorũ civitatẽ propter Germaniæ vicinitatẽ, cottidianis exercitatam bellis, cultu & feritate nõ multum Germanis abſimilem fuiſſe, neque imperata unquã niſi exercitu coactam, feciſſe. Eburones & Condruſones Trevirorum clientes erant, quemadmodum Genevenſes hodie & Mulhuſii Helvetiorum. Sic in clientela Heduorum multæ gentes erant. Quum in Aureliani locum Tacitus omnium imperatorum modeſtiſſimus ſuffectus eſſet, ſcribit ſenatus Romanus ad pleraſque provinciarum civitates, & inter has etiam ad ſenatum Trevirenſem, jus eligendi Cæſaris ipſis redditum, & licere jam ad Præfectum urbis provocare à Proconſulibus & ordinariis judicibus. Exemplum ejus epiſtolæ eſt hujuſmodi,

SENATUS AMPLISSIMUS, CURIÆ *Trevirorum.*

Ut eſtis liberi, & ſemper fuiſtis, lætari vos credimus. Creandi principis judicium, ad Senatum rediit. Simul etiam Præfecturæ Urbanæ appellatio univerſa decreta eſt. Ex Fl. Vopiſco. Quæ de Trebeta Auguſtæ Trevirorum conditore & de ejus vetuſtate quidam afferunt, ut Taciti verbis utar, neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt. Scio hoc ineſſe Chronicis monachalibus: & multa licent vetuſtati, in quam inquirere ſane nephas judicatur. Habuerunt Romani poſterioribus temporib. Præpoſitum theſaurorum apud Treviros, Procuratorem monetæ, Procuratorem Gyneciorum Belgicæ ſecundæ, & Præpoſitum Branbarbaricariorum ſive argentariorum, quemadmodum indicat liber *De inſignibus magiſtratuum Romanorum.* Præterea Treviris erat fabrica ſcutaria baliſtariáque. Tum etiam primæ Belgicæ caput facti ſunt. Unde metropolitanam eccleſiam habent, Mediomatricis, Leucis & Virodunenſibus præſidentem, qui inter primæ Belgicæ populos numerantur. Paulini Trevirenſis, metropolitani Galliarum epiſcopi, qui contra Arianos egregie pugnarit, Theodoritus meminit in hiſtoria quam Tripartitam vocant. Hic exulavit Athanaſius Alexandrinus. Treviros vocat Marcellinus *clarum domicilium principum*, aut potius (nam corruptiſſimus autor eſt) *claros domicilio principum*, propterea quod

Trebeta.

quod Conſtantinus illic palatium extruxerit. cujus aliquot ruinæ etiamnum viſuntur, ubi non hunc modo ſed & inſecutos Cæſares habitaſſe veriſimile eſt, etiam quoſdam ante Conſtantinum. Nam antiquam ejus verbis celebritatem indicat, quod curiam habuit, ceu modo diximus, qualis nunc vel apud Dolam in Burgundia viſitur, vel apud Pariſios in Galliis. qualem id temporis etiam Aquileja habebat & Mediolanum. Valentinianus Auguſtus hybernavit aliquando Treviris. Gratianus Auguſtus Valentinianum fratrem apud Treviros agens Auguſtum dixit. Aetate Luitprandi Ticinenſis qui ſub Othone Auguſto ejus nominis primo ſuam hiſtoriam abſolvit, Trevirorum tractus videtur Lotharingiæ fuiſſe attributus. Nam ſic inquit ad calcem fermè libri, *Quum hæc epiſtola in ſancta ſynodo legeretur, advenerunt qui prius defuerunt religioſi à Lotharingia, Henricus Trevirenſis Archiepiſcopus, & cætera.* Sanè totam fermè Lotharingiam Trevirenſis eccleſia ſub ſe habet. Nam & Tullenſis epiſcopus; Metenſis, & Virodunenſis Trevirenſem agnoſcunt, ut ſupra diximus. Urbem Trevirorum Auſonius Burdegalenſis hoc epigrammate celebravit.

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit,
Trevericæq; urbis ſolium, quæ proxima Rheno
Pacis ut in mediæ gremio ſecura quieſcit,
Imperij vires quod alit, quod veſtit, & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

Signifi-

Significat autem non ſolum fabricam armorum illic fuiſſe, quemadmodum ante meminimus, ſed etiam veſtiariam. porrò Trevirorum vicus eſt Ambiatis non procul à Confluentibus. Plinius Secundus, autore Suetonio Cajum Caligulam in Treviris genitum ſcribit vico Ambiatico ſupra Confluentes, atque ibi pro argumento aras oſtendi inſcriptas. *Ambiatis.*

OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM.

UBII.

UBii ſunt quos cis Rhenum diœceſis archiepiſcopi Colonienſis complectitur. *Agrippina Auguſta*, inquit Tacitus libro duodecimo, *quo vim ſuam ſocijs quoq; nationibus oſtentaret, in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamq; deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipſius. Ac forte acciderat, ut eam gentem Rheno tranſgreſſam avus ejus Agrippa in fidem acciperet.* Batavi Claudio Civili Duce, quum adverſum Romanos & Treviros rebellarent, ac tranſito Moſa Menapios & Morinos extremaque Galliarum quaterent, nullos pejus tractarunt quàm Ubios, quod hii genus Germanicæ originis ejurata patria, Romanorum nomine Agrippinenſes vocarentur. Hii nimia erga Romanos fide tum diſperſos in domibus Germanos partim trucidaverunt, partim largis epulis vinoque ſopitos, clauſis foribus igne injecto cremarunt. Ex Tacito. Colonia Agrippinēſis ſecundæ Germaniæ ſive inferioris

rioris caput eſt. Marcellinus: *Secunda*, inquit, *Germania ab Occidentali exordiens cardine, Agrippina & Tungris munita civitatibus amplis & copioſis*. Tradit Tacitus Agrippinenſes puduiſſe Germanicæ originis, quum inquit in De moribus Germanorum: *Ubii quidem, quanquam Romana Colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt, traſgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut cuſtodirentur.* Victorinus inter triginta tyrannos, qui Gallieno principe invaluerunt quintum obtinens locum, quum omnes militum & militarium uxores permoleret, à quodam actuario cujus uxorem ſtupraverat, facta cum militibus conſpiratione apud Agrippinā confoſſus eſt. Et hujus filius Victorinus, qui ſub mortem à patre & avia Victorina Cæſar fuerat appellatus, ibidem à militibus mox eſt occiſus. Proinde circa Agrippinam extant ſepulchra brevi marmore impreſſa humilia, quorum alterum ſic inſcriptum eſt,

Hic duo Victorini tyranni siti sunt.

Autor. Trebellius Pollio. Proculus & Bonoſus, ut Fl. Vopiſcus prodit, apud Agrippinam in Gallia imperium arripuerunt, occupatisque mox Britanniis, Hiſpaniis, & Braccatæ Galliæ provinciis Germanorum auxilio ſunt ab imperatore Probo ſuperati. Apud Agrippinam nobilem Galliæ coloniam Trajanus imperator factus

ctus eſt. Apud Cæſarem in fine primi libri Cõmentariorum, adverbium *ubi*, poſitum legitur pro *Ubii*, verbo *ſenſerunt* perperam inſulto, hoc modo: *Quos ubi qui proximi Rhenum incolunt perterritos ſenſerunt inſecuti, magnum ex his numerum occiderunt.* Tu ſcribe, *Quos Ubii qui proximi Rhenum incolunt; perterritos inſecuti, magnum ex his numerum occiderunt*: verbo *ſenſerunt*, exempto.

DIVITENSE MUNIMENTUM

IMp. Cæſ. M. Fl. Val. Conſtantinus Divitenſe munimentum in terra Francorum erexit, in ripa Rheni Germanica. nam lapideam tabulam quæ hoc indicaret; illic aliquando repertã; autor eſt Rupertus ille Tuitienſis, qui tot commentarios in ſacras literas conſcripſit. Quo nos ſupra argumento Francos ex maritimis accolas Rheni factos probavimus. Hodie vulgus eruditorum Tuitium appellat, contra Agrippinenſem Coloniam ſitum. Ab hoc præſidii loco, milites Divitenſes nomen traxere, quorũ Ammianus meminit lib. XXVII. *Adſcito in ſocietatem*, inquit, *laboris Severiano itidem comite invalido & longævo, qui apud Calidona Divitenſibus præſidebat, etiam tunc Græcanus.* Hæc ille. Solebant autem milites alicunde natum nomẽ ſervare, etiam alibi militantes. Nam liber vetus de Præfecturis Romanis, oſtendit Divitenſes Gallicanos ſub magiſtro militum per Thracias meruiſſe. Similis appellationis fuere Solenſes, Fortenſes, Stobenſes, Auguſtenſes, & Daphnenſes. Divitenſe munimentum poſteriori

Abbas

ſterioribus ſeculis in uſum cœnobii monachis Benedictinis ceſſit. Vide nunc quàm vera ſint quæ vulgo de Tuitio narrantur, quum ipſum loci nomen hactenus nemo ſciverit.

Marcodurum

Marcodurum vicus eſt Ubiorum, hoc eſt, Agrippinenſium, hodie Duram vocant, *Deuren.* ubi divæ Annæ numen adoratur. Ejus divæ caput oſtentãt, quod ex adytis templi ſancti Stephani Maguntiacenſis, ubi negligentius colebatur, per lapidariũ opificem furtim ſublatum, illic inſignia ac innumera miracula ædere creditur. Magna pecunia Romæ eam ob rem delitigata eſt, dum illi repoſcunt ablatum, hi vero reſtituere nolunt. In vico Marcoduro cohortes Agrippinenſium cæſæ ſunt à Batavis, quia procul ripa aberant. Autor Tacitus lib. xx.

Aliso.

Aliſo veteris Germaniæ caſtellum eſt, adpoſitum Luppiæ flumini, ceu videtur. Quum id obſideretur à Germanis, eò duxit ſex legiones ipſe Germanicus Cæſar. ſed huic obſeſſores copiam pugnæ non fecere, ad famam adventus ejus dilapſi. Ipſe vero cuncta inter caſtellum Aliſonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunivit. Autor Tacitus. Scribit Vellejus Paterculus L. Cæditium præfectum caſtrorum, & alios quoſdam Romanos Aliſone immenſis Germanorum copiis obſeſſos fuiſſe, quum in Teutoburgienſi ſaltu

Varus Quintilius fuit peremptus, ſed tamen ferro ſibi ad ſuos peperiſſe reditum.

TAUNUS.

HIc mons vicinus eſt Catthis in veteri Germania. Tacitus libro primo hiſtoriarum Aug. de Germanico loquens: *Poſitoq;*, inquit, *caſtello ſuper veſtigia paterni præſidii in mõte Tauno, expeditum exercitum in Chattos rapit.* Idem rurſus libro duodecimo, *Et præda*, inquit, *famaq; onuſti, ad montem Taunum revertuntur, ubi Pomponius cum legionibus operiebatur, ſi Chatti cupidine ulciſcendi caſum pugnæ præberent.* quanquam vulgo *Taurum* legitur pro *Taunum.* Pomponius Mela ſcribit, *Taunum altiſſimum eſſe Germaniæ montium, ac Rheticonẽ.* Porrò notus eſt hodieq; Chattorũ fluvius Adarna, cujus Tacitus meminit libro primo. *Sed Chattis, inquit, adeo improviſus advenit, ut quod imbecillũ ætate ac ſexu ſtatim captũ, aut trucidatũ ſit, juventus flumẽ Adranã vado tranſmiſerit.*

hod. Dobrſtberg.

Die Eder.

SEPTEM OPPIDA GERMANIÆ PROvincialia apud *Marcellinum.*

OPpida à Francis indubie exciſa, ſed reparata à Juliano, cũ Horreis ubi condi poſſet annona à Britannis ſueta transferri, Marcellino recenſentur lib. XVIII. ſupra Agrippinã coloniam, Bonna, Antennacum & Bingium, infra Noveſium, Uſtriceſium ſive Utriceſium, Quadriburgiũ, & Caſtra Herculis. quãquã ſcriptura apud Marcellinum prorſus eſt vitiata, Vi-

Vtrecht. deturautem Utriceſium eſſe quod ſermo vernaculus *Utrechtũ* appellat. Nam alterius Trajecti meminit etiam Itinerariũ quod Antonini Aug. titulo circumfertur. Id reperio Vuilteburgum fuiſſe dictum, à Francis, ut ſuſpicor.

GESSORIACUM.

DE hoc variæ ſunt conjecturæ. Sed tollit omnem nobis ambiguitatem charta militaris, quam apud Chunradum Peutingerum noſtrum Auguſtæ vidimus. In qua ſic ſcriptũ, *Geſſoriaco, quod nunc Bononia*. Maritimam autem Bononiam intelligit. Cuius mentionem facit libro vigeſimo Marcellinus, apud quem corrupte *Bonna* legitur. De Lupicino loquens, quem Julianus Cæſar in Britannias contra Scotos & Pictos mittebat: *Adulta hyeme Dux*, inquit, *antedictus Bononiam venit, quæſitisq́ navigijs, & omni impoſito milite, obſervato flatu ſecundo ventorũ, ad Rutupinas ſitas ex adverſo defertur, petitq́ Lundonium* (ſic enim legendum pro Lugduno) *ut exinde ſuſcepto pro rei qualitate conſilio, feſtinaret ocyus ad procinctum*. Rurſum meminit ejus Bononiæ lib. XXVII. item Lundonij eodem loco, *Tendentesq́ ad Lundonium*, inquit, *vetus oppidum, quod Auguſtam poſteritas appellavit.*

Bononia.

GUNTIA, AC GUNTIENSIS TRANſitus.

OPpidũ & fluvius eſt Rhætiæ primæ Guntia. Alemanni qui provinciam eam occupavere,

cupavere, Guntzeburgũ appellarunt. Liber de Magiſtratibus Romanis, ubi de Duce Rhætiæ primæ & ſecundæ agit, inter loca præſidiorum, Guntiam habet depictam. Et addita annotatio demonſtrat præfectum militum Urſarienſium ſtativa ſua apud Guntiam habuiſſe. Sic Auguſtanis, hoc eſt apud Auguſtam erant, equites Stableſiani Seniores. Apud Guntiam tranſitus erat Danubij, qui Guntienſis Panegyriſtæ dicitur, Sic enim ad Maximianum Aug. ille. *Et à ponte Rheni,* inquit, *uſq; Danubii tranſitum Guntienſem devaſtata atq; exhauſta penitus Alemannia.* Loquitur autem de ponte Maguncia cenſi. Meminimus de hoc ſupra libro primo. Habet autem hodieque pontem Guntia, quo Danubius tranſiri poteſt. In vulgato Panegyriſtarum volumine perperam legitur *Continenſem* pro *Guntienſem*. In itinerario ſuo Guntiam non omiſit Antoninus Aug. *Guntzburg.*

BRAGODURUM.

IN Rhætia prima ſub Danubio ponit Bragodurum Ptolemæus. Suſpicor eſſe Roccenburgum. Quæ ſi vera conjectura eſt, vidimus nuper Bragodurum & Bragodurenſe nemus ex Bojeris venientes, Ulmam Landeberga profecti.

CASTRA AUGUSTANA, CASTRA *Phebiana, Caſtra Regina.*

LIber Præfecturarum Romanarum oſtendit Ducem Rhætiæ primæ & ſecundæ virum

ſpectabilem, *Auguſtanis habuiſſe equites Stableſianos ſeniores. Juniores, Febianus.* Per Auguſtana caſtra Auguſtam accipio, quam primariam Rhetiæ ſuperioris urbem fuiſſe non ambigo, Ducis utriuſque Rhætiæ domicilium, ut apparet, nam commodiſſimo loco ſita erat. Veterum vero dignitatem etiam amiſſa provincia retinuit. Siquidem Alemanniæ metropolis poſterius dicta eſt, quando hæc gens primam Rhætiam occupavit. Cæterum Phebiana caſtra arbitror Alemannis in Bebenhuſium verſa. Apud Cl. Ptolemæum *Phemana* legimus: Puto Græco homini impoſuiſſe V pro B ſcriptum quod ille N eſſe cenſuerit. Nam in libro quem modo citavi, integra ſcriptura bis legitur, *Febianis* in ablativo, ſubauditur *caſtris*, aut ſimile quippiam. Caſtrorum Reginorum ibidem fit mentio. Libenter diceremab hiis nomen eſſe nactum Reginoburgum, niſi Regium adhuc ſupereſſe dicerent, ſed alio loco.

Augsburg.

Bebenhauſen.

Regensburg.

CASSILIACUM.

CAſſiliacum Rhætiæ primæ locum, quod hic habitaſſent Romani milites, Romakeſſel appellarunt occupatores Alemanni. In libro Præfecturarum Rom. invenio præfectum legionis tertiæ Italicæ Campoduni (illic legitur *Cambidano*) locatum fuiſſe, pro parte media prætendente à Vimania Caſſiliacum uſque.

POETOVIO.

NOricorũ oppidũ eſt Pœtovio hodie Stiris attribu-

attributum, vulgus *Pœtoviam* vocat. Extant illic Romanorum inſcriptiones innumerę, quæ declarant loci tum frequentiam tum celebritatem. Fuerunt autem illic Caſtra Romanorum, quod ibidem docet hujuſmodi inſcriptio.

IULIÆ AUG. MATRI CASTRORUM POETOVIENS.

Autor Tacitus lib. XIX. hiſtoriæ Auguſtæ, Duces Flavianiarum partium Pœtovionem in hyberna XIII. legionis conveniſſe, conſultaturos expediret ne magis obſtrui Pannoniæ alpeis dum expectantur auxilia Mœſicæ videlicet legiones, an ire comminus & in Italia cum Vitellianis confligere. Apud Pœtovionem in Norico Gallus Cæſar, qui cum Conſtantio Aug. regnabat, in Palatio quod extra muros eſt, à Barbatione Comite, Conſtantii Imp. juſſu obſidetur, & exutus regiis indumentis & communi paludamento tectus, privato carpento ad Hiſtriam prope oppidum Polam ductus eſt. Narratur Marcellino lib. XIIII.

SOLICOMMUM.

FRagmenta penes me ſunt vigeſimi ſeptimi libri hiſtoriæ quam Ammianus conſcripſit. in his alicubi narratur Valentinianus Aug. cum Gratiano F. Cæſare tranſiſſe Rhenum ut Alemannos edomaret, nam jam Vindicabius Vadomarii illius Alemannorum regis F. qui nullo genere potuit unquàm à Romanis

ſuperari, fraude proprii miniſtri precio corrupti ceciderat. Itaque terras Alemannorum per aliquot dies vaſtavit Romanus miles, & pugnæ copiam nullus hoſtium faciebat. *Poſt hæc*, inquit, *leni greſſu Princeps ulterius tendens, quum prope locum veniſſet cui Solicommo nomen eſt, velut quodam obice ſtetit, doctus procurſantium relatione veriſſima, Barbaros longè conſpectos, qui nullum ad ſalutem tuendam viam ſupereſſe cernentes, niſi celeri defendiſſent occurſu, Unde locorum gravitate confiſi, unum ſpirantibus animis montem occupavere præcelſum, per confragoſos colles undiq; præruptum & invium, abſq; Septentrionali latere, unde facilem habet devexitatem & mollem.* Hactenus Marcellinus. Conjicio locum hunc Hercyniæ ſylvæ confinem eſſe circa Heidelbergam. Nec conſtat an fortaſſe legendũ ſit, *Viſolicon* nomine. Nam Bilicō novimus. Sed deſcriptio mōtis curioſũ nonnihil adjuvabit. Arbitror autem Valentinianũ Aug. ex Treveris venientē, apud Maguntiacum in Alemanniā trajeciſſe, quæ inter Mœnum amnem, Rhenum & Danubiũ id temporis continebatur. Certe Treveros rediſſe prodit Ammianus.

Billikeim.

De nominibus propriis *veterum Germanorum.*

GErmani veteres elegantiſſimè compoſitis ſe nominibus appellabant, quæ tamen ob variatam paululum ſcripturam etiam hodie peritus hujus linguæ non intelligat. Nam quotus quiſque novit Philibertũ eum eſſe propriè

quem Græci πολύφημον vocant, Pharamundum à veritate oris nomen habere, Chilpericum ab auxilii copia, à gloria ſtrenuitatis Dagobertum, Grimoaldum à ſæva poteſtate, Romoaldum à plauſibili, denique à precioſo theſauro Bertradam? Verum ſi ſcriberemus Villibrechtum, Vuaramundum, Hilfrichum ſive Hilperichũ, Thegabrechtũ, Grimuualdum, Ruomuualdũ, ac Vuerthradam (nomen bonæ mulieri convenientiſſimum, velut eſt & Vaſtráda) nemo non intelligeret Germanice peritus. Sit autem & Wolfardi vocabulum hoc eſt ejus cui res recte ſuccedit, aut qui feliciter pergit, in Wolfhardum mutatum, & Wolradi in Folradum. Nemo Lambertum intelligit, nemo Agaricum, at Laymbrechtum ſive Landtbrechtum & Ackerrichum omnes. Quis vero credat Theutuualdum ſignificare divinam potentiam ſive deum eſſe potentem, Thietrichum, divinam copiam, Theutbrechtum divinam gloriam ſive deum eſſe gloria plenum, niſi cognoſcat, *Theut*, *Thiet*, ſive *Diet* Gotthis eſſe deum, quod vocabulum ſcribæ ſemper verterunt in θεὸν Græcam dictionem, nam Thiedonem ſive Diedonẽ, vocarunt Theodonem, quem Alemanni Gotzonem dixerunt, ut & pro Thietuualdo ac Theutbrechto Gotzuualdum atq; Gotzbrechtum. Rurſum ſciendum *Anſes* ob victoriam Gotthis proceres ſuos fuiſſe vocatos, quaſi ſemideos, unde Anshelmi vocabulum, & Anſegiſi, quod nomen quũ vulgus Angiſum proferret & addita aſpiratione Anchiſum, exteri

Theut. Diet.

Anſes.

putarunt Anchiſem illum Trojanum Æneæ patrem ſignificari. Siquidem hoc vocabulo fuit inſignitus Arnulfi cujuſdam filius, qui in Gallia ſub rege Hildebrechto ſive Luithario (ni fallor) titulo Majoris domus (quem Franci ceu eſt veriſimile, *Huſmerum* appellabant, *den Huſmeier*, nam *Meier* in majorem verterunt ſcribæ) totum regnum adminiſtrabat. Sic enim Paulus Diaconus ſcribit, *Hoc*, inquit, *tempore apud Gallias in Francorum regno Anchis Arnulfi filius, qui de nomine Anchiſis quondam Trojani creditur appellatus, ſub nomine Majoris domus, gerebat principatum.* Hæc ille. Leges quaſdam regum Francicorum, in unum volumen collegit Anſegiſus abbas in Gallia, quemadmodum addita præfatio declarat. Hinc etiam Ansbrechtus nomen habet, & Anſuualdus, quem politiores Anſoaldum appellant. Giſus verò, quæ eſt altera Anſegiſi pars cum multis componitur, ut Giſulphus, Giſſebrechtus in principio, in fine Vuiligiſus. *Meier* ſignificabat veterib. præfectũ, quemadmodum adhuc eſt in uſu quibuſdam nationibus ceu Saxonibus, Anglis, & Scotis, qui omnes olim Vigevones hoc eſt inſulares & maritimi fuere, non ſecus ac ipſi Franci. Itaque Luitmeier eſt populi præfectus, quem Gallicorum annalium ſcriptores in Lodomirim & poſtea Clodomirim verterunt. Marcomerem Francorum regem priuſquam in Galliam transirent, habes apud Claudianum. ſic enim legendũ primo libro docui. Hujus appellationis ſunt Ricimer, Vuilimer, qui Paulo Diacono Bilimer,

Meier.

Gili-

Gilimer, Valdomiris qui & Baldomerus, Teutomares apud Marcellinum, apud Tacitum Catumerus, re & nomine Cathorum princeps. Alemannorum ſive Suevorum lingua, quæ craſſior eſt velut Herivonũ, hoc eſt eorum qui interiora Germaniæ loca quondam incoluerint, *mayer* vocat. hinc habes Vadomarium, Sunomariũ, Chonodomarium, der kuen ſive Schon, Otmar, ac ſimilia regum nomina apud Marcellinum. Fictitius ille Beroſus (qui certè fragmẽtis Beroſi veteris quem Plinius & Joſephus citant, ſua aſſuit ſomnia, ſi non totum ſub alieno titulo librum contexuit) is inquam Mancalei tẽporibus ſcribit apud Celtas regnaſſe Lugdũ, à quo provincia & homines cognomenta ſumpſerint. Hujuſmodi reges ille comminiſcitur, quoties opus eſt, Catalaunum, Remum, Arvernum etiam nominaturus ſi locus requirat & ita veniat in mentem. Eſt autem Lugdunum non à Lugdo dictum, ſiquidem *dunum* talis eſt adjectio, qualis apud Germanos Bergum vel Burgum. ajunt enim Dunum veteri Gallorum lingua montem ſignificare: ut nihil ſit aliud Auguſtudunum quàm Auguſti mons. Sed audi quo pacto Beroſum interpretetur Joannes Anius, ſic ſcribens, *Quod verò ait ab eo cognominatam fuiſſe totam provinciam & homines, ita intelligendum eſſe exiſtimo, ut provinciam intelligat totam partem Lugdunenſem, homines autem Lugdonicos dictos, quos poſtea g ablata Ludouicos dixerunt.* Hæc Anius. Vide hominis judicium, qui putet Ludouicorum nomen tam anti-

Mayr.

Dunum.

Ludouicus.

antiquum ut etiam apud vetuſtiſſimos Celtas in uſu fuerit, quod tamen in Gallia auditum non eſt, priuſquam huc immigraſſent è Germania Franci. nam quod quidam Litavicum apud Julium Cæſarem Ludouicum eſſe putant, neſcio an fidem apud omnes mereatur, niſi quod nomina propria videmus etiam hodie diverſiſſimis populis eſſe communia, alienaque pro gentilibus interdum uſurpari. Ludouicus Germaniæ compoſitionis vocabulum eſt, ſignificans præſtantiſſimum populi ſive populis valentem. Nam *Luit* populus eſt, & *uuich* homo ſtrenuus, in bonam ac malam partem. Quemadmodum etiam *ſchalcus* uſurpatur, ut Dietſchalcus qui & Gotſcalcus, atq; Marſchalcus, equorum magiſter, à *Mara* quod equum ſignificat quem hodie Mareſchalcum dicimus. A uuicho habes Radeuuichum qui conſilio præſtat, Altuuichum, Vualduuichum qui & Balduuichus ſicut pro Vualduuino Balduinus & Vuilhuualdo Bilibaldus, & nomina ſimilia. Porrò nemo mirabitur talia Beroſi figmenta qui ſciat apud eundem legi, quo tempore Latinis Aſcanius imperarit, Francum ex Hectoris filiis Celtarum fuiſſe principem. Ubi interpres Anius *Aſſerunt*, inquit, *eum eſſe a quo primo Franciæ nomen.* Hæc ille. Quis vero de Franco iſto quicquam apud ullum unquam autorem legit? Commentum eſt impoſtoris. Proinde ſciant ſtudioſi in hiis quæ è Diodoro ſumere potuit atque aliis ſcriptoribus antiquis Beroſus iſte, eſſe quæ probari poſſint, verum

Schalcus.

verum in iis quæ vel ad Hiſpaniam, vel Galliam, vel Germaniam pertinent, impudentes plerunque fabulas tradi. nam de his regionibus (teſte Joſepho adverſus Apionem) prorſus nihil ſcivere Græci, multo minus Chaldæi Ægyptiique. Hinc Stephanus Parthenium Phocenſem citat autorem, qui tradat, *Francos Italiæ gentem eſſe prope montes quibus Alpibus nomen.* Enimvero Francorum nomen, qui inter Chaucos tamdiu latuerunt, etiam apud Germanos veteres minus celebre fuit, ignotum Gallis priuſquam incurſionibus primum, deinde tranſmigratione cum liberis & uxoribus ea gens Gallis innotuiſſet. Tum annotatum eſt à Græcis φράγγους eſſe γερμανοὺς ἢ γερμανικούς. Et à Procopio ſcriptum, atque repetitum Nicephoro, *Germani*, inquiunt, *qui hodie Franci dicuntur.* Similem fabulam aſinus iſte Cumanus ſubdit poſtea. nam quum ſciret Bononiam urbem eſſe in Italia, poſt Felſinum ait regnaſſe regem alterum cui nomen fuerit Bon. quum omnes ſciant, Bononiam dictam quaſi Bojoniam, à Boiis Gallorum gente quæ olim trans alpeis eſt profecta cis Apenninum conſidens, non à Bone rege. Eadem ratione potuiſſet plura fingere, Florentiũ à Florẽtia, à Piſa Piſim, à Parma Parmen. Quod ſi poſt Lugdũ apud Celtas defuiſſet regis nomen, ſcis quem erat ſubſtituturus? Viennum, à quo Viennenſis Gallia. Sanè quæ de Sarrone & Bardo refert, quis non videat à Diodoro mutuatum eſſe. Nec alios vero Germanorum reges enume-

numerat quàm quos Taciti libellus ſuggeſſit; Tuiſtonem quem tamen Sarmatarum regem facit. Mannum hujus filium, ex hoc natos Vigevonem, & Herivonem, nam Iſtevonem neſcio quam ob cauſam omiſit, deinde Marſum, Gambrivium, Suevum, atque Vandilum, nam hos recenſet hoc ordine Tacitus. Apud quem quia mox legitur, *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant*, etiam ex Hercule facit regem, ſed addito cognomine quod poſterioribus ſeculis natum eſt, *Alemannum* enim vocat. Unde liquet impoſtura, quæ ſe tandem prodit. nam priora nomina narrationem planè fucaverant, ut autoris antiqui credi poſſet. Sed & in hoc errat, quod Vigevonem Tuiſtonum omnium regem facere videtur, qui tantum litoralibus maritimisque ac inſularibus imperavit, ſicut Herivon mediterraneis ſiquidem horum nominum etymologiam explicuimus hujus tertii libri initio. Cæterum nemo putet hæc à me dici ideo, quod cupiam priſcam barbariem reſtitui in ſcribendis nominibus iſtis propriis, ut videlicet deinceps pro Leodegario Luitgarium uſurpemus, qui Germanis Publium ſignificat, quemadmodum Adelgarius omnino nobilem; ſed ut ipſorũ nominũ compoſitiones quæ Germanicæ ſunt, aliquo modo ſtudioſis innoteſcãt. Et videbar nihil abhorrẽs ab argumẽto operis ſuſcepti feciſſe, ſi hæc indicaſſẽ. Nec quiſquã vero dãnet quod in exponẽdis Germanicis, vernaculas dictiones in mediũ affero. nam hoc eſt hic ſervare decorũ, quando lingua quæq; convenientiſſime

ſe

ſeipſam interpretatur. Cujus rei vel hoc ſit exẽplum. Anius de etymo Viterbi diſputans, ait Fatium Ubertinum tradere Viterbium dictũ quaſi *vita herbum*, videlicet à deliciis naturalibus, Alium docere ſic appellatum, quaſi *vi Tibur*, hoc eſt, parvũ Tibur, quod à Tiburtinis ſit conditũ, Aliũ, quaſi *vi Thebæ*, hoc eſt, parvæ Thebæ propter Thebanũ Herculem conditorem: Reimundum Marlianũ putare vocatum, quaſi *vitam inermium*, quod illuc emeriti milites dimitterentur, Alium, quaſi *vi thermulum*, propter thermas Etruſcas, Blondum Flavium aſſerere dictũ, à *vi turrium*. Hermolaum Barbarum, à vita Heroum quaſi *Vitheroum*, Alium, *à vi trium urbium*. Adhuc alium, à *Terobo* conditore. Audis varias conjecturas. Sed tamen ſi quis conſideret Longobardos fuiſſe Germanos, & uſos lingua Germanica ſemper, non ſecus ac veteres Francos Merovingos atque Carolingos, deinde lecto Deſiderii regis decreto, tria oppida, Longholam, Vetuloniam & Volturnam dictam Etruriam, ſub uno muro cingi, totamque urbem adjectione ſua Viterbum pronunciari jubentis, credat Viterbum Germanicam eſſe dictionem, quæ nihil aliud ſignificet, quàm amplam ſtructuram, hoc enim Germanis valet *Witerbu*, non multum aberrabit à vero, propius fortaſſis collimaturus quàm quiſquam eorum quorum opiniones ante retulimus. Neque enim arbitror, vel ipſum Deſiderium Etruſcæ vetuſtatis adeo peritum fuiſſe, vel quenquam in illius aula fuiſſe qui quicquam

Viterbum.

Vuyterbu.

earum

earum rerum teneret, quas hic docti quærunt, præſertim tam rudi ſeculo, quo hæc ſtructura abſoluta eſt, & nomen impoſitum. Nam quod addit in decreto, *noſtra adjectione*, ſignificat appellationem novam, & Italis forte peregrinam ignotamque. Mollius autem proferebant poſteriorem dictionem monoſyllabam Langobardi, qui Vigevonibus olim proximi, poſtea prorſus Vigevones inſularesq; facti ſunt, quàm Suevi interiores, vel Marcomanni, vel Nariſci, quos hodie Bojeros appellamus, quidã Bavaros vocant velut à partim occupatis Avarum ſedibus ſic dictos. nam hi *bauu* pronunciant, Fecit olim Deſiderius in Italia quod hodie fieri poſſet in Elſatia; ſi Carolo Auguſto vel Ferdinando Cæſari luberet tria oppida, Cæſaris montem, Amerſuuilerium, atq; Cienshcimũ uno muro claudere. Quod vero poſteri novũ urbis vocabulum non intelligentes, Viterbum vetus verbum interpretati ſunt, nihil mirum, maxime quod ad hujusmodi conjecturam adjuvaret divinanteis verſiculus inſignib. urbis adjectus:

Non timeo verbum, leo ſum, qui ſigno Viterbum.

Sed hoc carmen illius ætatis eſt; non alia de cauſa verbum habens inſultum; niſi ut finis medio reſponderet. eſt enim leonini generis, quale videmus in ſigillo Heinrici Aug. ejus nominis quarti.

Roma caput mundi, regit orbis frena rotundi.

Et item in Vuormacienſium inſignium titulari inſcriptione.

Digna bona laude, ſemper Vuormacia gaude.

Lu-

Lutetia.

Non eſt animus hoc opere externa perſequi. ſed tamen in gratiam Pariſienſium apud quos aliquando vixi, libet aliquid vice coronidis de Lutetia adjicere. Hanc Pariſiorum caſtellum vocat Ammianus Marcellinus his verbis, *Matrona & Sequana amnes*, inquit, *magnitudinis geminæ, fluentes per Lugdunenſem, poſt circumclauſum ambitu inſulari Pariſiorum caſtellum Lutetiam nomine, conſociatim meant, meanteſq́; protinus prope Caſtra Conſtantia funduntur in mare.* Hactenus illius verba retulimus. Unde liquet Lutetiam exiguum oppidum olim extitiſſe, quippe quam inſula tam modica totam fuerit complexa. Proinde duæ illæ civitates quæ in utraque Sequanæ ripa ædificatæ Lutetianam inſulam cingunt, Suburbana illa ſunt in quibus Julianus Cæſar quũ apud Pariſios ageret, Decentio Tribuno & Notario, electiſſimam Auxiliarium Herulorum, Batavorum, Tenchateriorum, Celtarum, Iovinorum manum illac ad Conſtantium Auguſtum contra Parthos bellaturum ducenti, ſalutabundus occurrit, ut eſt apud eundẽ autorem. Crediderim autem eam urbis partem in qua hodie Scholæ ſunt, altera multo vetuſtiorem eſſe. Quod indicat antiquum illud ædificium hortum penſilem geſtans firmiſſimæ teſtudini ſuperimpoſitum. Id adhæret novis ædibus abbatis Cluniacenſis, quas ingenti ſumptu proximis annis ædificavit, Romanorum olim prin-

Lutetia.

cipum hauddubie domicilium. Sed Lutetiam & Sequanam fluvium præfluentem elegantiſſime deſcribit Iulianus Cæſar in oratione cui titulus ἀντιοχικὸς ἢ μισοπώγων. Ubi criminationibus quorundam reſpondens, qui ipſi commeſſationes & vomitus objecerant, oſtendit qua cauſa ſemel Lutetiæ coactus ſit cibum rejicere, tum videlicet quum Gallicæ conſuetudinis impatiens, qua cœnacula per fornaces calefiebant, illatis in cubiculum vivis carbonibus, eo nidore fermè extinctus eſt. Quæ nos docebit narratio obiter uſum hypocauſtorũ qui Germaniæ peculiaris eſt, olim apud Gallos fuiſſe receptiſſimum. Alioqui ſi fumarium habuiſſet ille locus in quo Julianus dormiebat, nihil mali ſenſiſſet, & notũ eſt quid Græcis ſignificet κάμινος. Sed aiunt veteres architecturæ periti, fumariorum uſum priſcis ignotum extitiſſe, qui tubulos habebant parietibus inſertos ad cœnacula vel calefacienda vel refrigeranda. Apponemus autem ipſa Juliani Cæſaris verba. ſic enim ad Antiochenſeis loquitur,

Ετύγχανον ἐγὼ χειμάζων παρὰ τὴν φίλην Λουκετίαν. ὀνομάζουσι δ᾽ οὕτως οἱ Κελτοὶ τῶν Παρισίων τὴν πολίχνην. ἔστι δὲ οὐ μεγάλη νῆσος ἐγκειμένη τῷ ποταμῷ, καὶ αὐτὴν κύκλῳ πᾶσαν τὸ τεῖχος καταλαμβάνει. ξυλιναὶ δὲ ἐπ᾽ αὐτὴν ἀμφοτέροθεν εἰσάγουσι γέφυραι. καὶ ὀλιγάκις ὁ ποταμὸς ἐλαττοῦται καὶ μείζων γίνεται. τὰ πολλὰ δ᾽ ἔστιν ὁποῖος ὥρᾳ θέρους καὶ χειμῶνος,

χειμῶνος, ὕδωρ ἥδιστον καὶ καθαρώτατον ὁρᾶν καὶ πίνειν ἐθέλοντι παρέχων. ἅτε γὰρ νῆσον οἰκοῦντας ὑδρεύεσθαι μάλιστα ἔνθεν χρή. γίνεται δὲ καὶ ὁ χειμὼν ἐκεῖ πραότερος, ἔτι ὑπὸ τῆς θέρμης τοῦ ὠκεανοῦ, στάδια γὰρ ἀπέχει τοῦ ἐννακοσίων οὐ πλέω, καὶ διαδίδοται τυχὸν λεπτῆς αὔρας τοῦ ὕδατος. εἶναι δὲ δοκεῖ θερμότερον τὸ θαλάττιον τοῦ γλυκέος. ἔτι οὖν ἐκ ταύτης, εἴτε ἐκ τινος ἄλλης αἰτίας ἀφανοῦς ἐμοὶ τὸ πρᾶγμα ἐστὶ τοῦτο, ἀλεεινότερον ἔχουσιν οἱ τὸ χωρίον οἰκοῦντες τὸν χειμῶνα. καὶ φύεται παρ' αὐτοῖς ἄμπελος ἀγαθή, καὶ συκᾶς ἤδη τινές εἰσιν οἳ ἐμηχανήσαντο σκεπάζοντες αὐτὰς τοῦ χειμῶνος ὥσπερ ἱματίοις τῇ καλάμῃ τοῦ πυροῦ. καὶ τοιούτοις τισὶν ὅσα εἴωθεν εἴργειν τὴν ἐκ τοῦ ἀέρος ἐπιγιγνομένην τοῖς δένδρεσι βλάβην. ἐγένετο δὴ οὖν ὁ χειμὼν τοῦ εἰωθότος σφοδρότερος, καὶ παρέφερεν ὁ ποταμὸς ὥσπερ μαρμάρου πλάκας. ἴστε δήπου τὸν Φρύγιον λίθον ᾧ ἐῴκει μάλιστα τοῦ λευκοῦ τούτου τὰ κρύσταλλα μεγάλα καὶ ἐπάλληλα φερόμενα. καὶ δὴ καὶ συνεχῆ ποιεῖν ἤδη τὸν πόρον ἔμελλε καὶ τὸ ῥεῦμα γεφυρᾶν. ὡς ἐκ τούτου ἀγριότερος ἦν τοῦ συνήθους. ἐθάλπετο δὲ δωμάτιον οὐδαμῶς οὗπερ ἐκάθευδον, ὅνπερ εἰώθει τρόπον ὑπὸ ταῖς καμίνοις τὰ πολλὰ τῶν οἰκημάτων ἐκεῖ θερμαίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἔχων εὐπρεπῶς πρὸς τὸ παραδέξασθαι τὴν ἐκ τοῦ πυρὸς ἀλέαν. συνέβη γὰρ

οἶμαι καὶ τότε διὰ σκαιότητα τὴν ἐμήν, καὶ τὴν εἰς αὐτὸν τρόπον ὡς εἰκὸς ἀπανθρωπίαν. ἐβουλόμην γὰρ ἐθίζειν ἐμαυτὸν ἀνέχεσθαι τὸν ἀέρα ταύτης ἐνδεῶς ἔχοντα τῆς βοηθείας. ὡς δὲ ὁ χειμὼν ἐπεκράτει, καὶ ἀεὶ μείζων ἐπεγίνετο, θερμῆναι μὲν οὐδ᾽ ὣς ἐπέτρεψα τοῖς ὑπηρέταις τὸ οἴκημα δεδιὼς κινῆσαι τὴν ἐν τοῖς τοίχοις ὑγρότητα. κομῆσαι δὲ ἔνδον ἐκέλευσα πῦρ κεκαυμένον καὶ λαμπροὺς ἀποθέσθαι παντελῶς μετρίους. οἱ δὲ καίπερ ὄντες οὐ πολὺ παμπληθεῖς ἀπὸ τῶν τοίχων ἀτμοὺς ἐκίνησαν. ὑφ᾽ ὧν κατέδαρθον ἐμπιπλαμένης μοι τῆς κεφαλῆς. ἐδέησα μὲν οὖν ἀποπνιγῆναι. κομισθεὶς δὲ ἔξω τῶν ἰατρῶν παραινούντων ἀπορρίψαι τὴν ἐντεθεῖσαν ἄρτι τροφὴν ὅτι μὰ Δία πολλὴν οὖσαν ἐξέβαλον, καὶ ἐγενόμην αὐτίκα ῥάων, ὥστε μοι γενέσθαι κουφοτέραν τὴν νύκτα, καὶ τῆς ὑστεραίας πράττειν ὅπερ ἐθέλοιμι. οὕτω μὲν οὖν ἐγὼ καὶ ἐν τοῖς Κελτοῖς κατὰ τὸν τοῦ Μενάνδρου δύσκολον, αὐτὸς ἐμαυτῷ πόνους προσετίθουν. ἀλλ᾽ ἡ Κελτῶν μὲν ταῦτα ῥᾷον ἔφερεν ἀγροικία. Quorum verborum hæc eſt ſententia: *Hyemabam ego apud adamatam Lutetiam. Sic autem appellant Galli Pariſiorum oppidulum. Haud verò magna eſt inſula in fluvio jacens, qui ipſam in circuitu totam cum mœnibus complectitur. Utrinq; ſunt lignei pontes, qui ad illam ducunt. Amnis autem raro decreſcit & increſcit, ſed plerumq; qualis æſtate conſpicitur, talis etiam hyeme*

Lutetia, Pariſiorum ciuitatula inſula. Sequana flu.

hyme perdurat, aquam amœniſſimam & limpidiſſimã vel aſpicere vel potare volenti prabens. Nam illos, ut qui inſulam incolant, hinc præſertim aquam haurire oportet. Fit autem illic mitior hyems, ſive ob calorem Oceani. nongentis enim ſtadijs abeſt, nec amplius. Ac fortaſſis ipſa aqua tenuem aliquam auram ædit. Videtur autem calidior marina quam dulcis. Sive igitur hanc ob cauſam, ſive ob aliam aliquam obſcuram mihi, res ita habet, tepidiorem hyemem ſentiunt eum incolentes locum. Proventuq́ꝫ egregia vitis apud illos, & ſunt jam qui ficus arte & ingenio illic alant: eas per brumæ tempus ſtipulis frumentarijs & hoc genus quibuſdam, quæ noxam cæleſtem arbores lædentem prohibere ſolent, non ſecus ac veſtimentis integendo. Fuit itaqꝫ ſolito ſævior hyems acriorq́ꝫ & fluvius veluti tabulas marmoreas deferebat. Noviſtis ſanè Phrygium lapidem, cui propter albedinem præcipue ſimilis apparebat amnis huius glacies ingens, & quæ cumulatim una ſupra aliam ferretur. Atqꝫ ipſum alveum & fluxũ inſtar pontis jamjam aſtricturus erat. Hincq́ꝫ ſolito violentior exiſtebat. Porrò cubiculum ubi dormiebam, nequaquam calefiebat, quomodo pleraqꝫ cœnacula ſub fornacibus illic calefieri conſueverunt, præſertim quum appoſitum ac inſtructum eſſet ad recipiendum ab igne teporem. Accidit autem, (ut arbritror) tum quoqꝫ per meam imperitiam, & quod morem illum, ut par erat, averſarer. volebam enim aſſuefacere meipſum ad tolerandum cœlum, qui tamen huiuſmodi præſidio opus habebam. Quum autem incaleſceret bruma

Phrygius lapis.

ac perpetuo ſævior fieret, nequaquam præcepi miniſtris ut cubiculum calefacerent, veritus ne latentem in parietibus humiditatem commoverem. Cæterum juſſi ut intro ferrent ignem accenſum, & titiones ac carbones claros deponerent omnino pauculos. Hii vero quanquam non multi forent, è parietibus vapores commoverunt. Quare factũ eſt ut obdormiſcerem, quum mihi jam caput oppletum eſſet. Equidem futurum erat ut ſuffocarer. Exportatus autem foras, quum medici me ſubmonerent, ut rejicerem cibum pauloante ſtomacho commiſſum, qui per Jovem modicus erat, rejeci, ſtatimq; melius habui, ſic ut mihi nox levior redderetur, & agere poſtridie poſſem quicquid liberet. Sic igitur apud Gallos agens ego, more Dyſcoli quem Menander inducit, ipſe mihi moleſtias ſuperingerebam. Verum barbaries Gallorum facilius iſta ferebat. Hactenus Juliani Cæſaris verba reddidimus. Porrò Lutetiam invenio Provinciæ Lugdunenſi Senoniæ quam quidam quartam faciunt attributam, & præfectum claſſis Anderetianorum egiſſe Pariſiis, Ibidemq; & Achoræ, Præfectum Sarmatarum gentilium manſitare ſolitum. Id quod ſub poſtremis Imperatoribus factum eſt.

Libri tertii & ultimi rerum Germanicarum, Autore BEATO RHENANO Seleſtadienſi, Finis.

BEATVS RHENANVS CLARISS. D. PHILIPPO PUCHAIMERO R. D. Cardinalis Maguncíacenſis Medico & conſiliario S. D.

COmmentarii illi in Pliniũ, de quib. quum adhuc Auguſtæ eſſemus, amicus ad te quidam ex Biturigibus ſcripſerat, & commodum me monuerat Claudius Pius Peutinger, heri, id eſt pridie Calendas Martias primum ad me perlati ſunt. Expectas quid de novo opere ſentiam, & quam illis bellè mecum conveniat. Acciperem paucis. In primis ipſum volumen non eſt exiguum, (ex variis congeſtum autoribus quod uſui pauperculis eſſe poſſit, qui non habent Bibliothecam inſtructam, puta Ariſtotelem & Albertum de animalibus, Raphaelem Volaterranum, ex quo integra fermè capita autor tranſcripſit bona fide, hoc eſt, unà cum ipſis mendis, ne ſyllaba quidem mutata) Cœlium Rhodiginum, Columellam etiam Palladiumque, & ſimileis ſcriptores. Nam hoc præcipuè habet ſtudio citare teſtimonia autorum qui cũ Plinio faciunt, de verbis ipſis minimum ſollicitus, quod illi penitus puerile videtur. In ſumma liber talis eſt, qui ſi non magnopere juvet, excitet tamen literas, & Plinium ipſum vulgo fortaſſis commendet, quæ mihi res in primis

grata eſt. Nec enim tam malignus viciſſim in illum eſſe volo, quàm ipſe in me eſt. nam candor ſtudioſos maxime decet. Sed hoc mirum, quum ex meis caſtigationibus non nihil ſit adjutus, nuſquam tamen mei mentionem facit niſi quoties vult reprehendere. Siquidem apud Pinium libri ſeptimi capite ſeptimo, quo loco pro hiis verbis, *Tu cujus ſemper in victoria mens*, moneo legi poſſe, *Tamen cura pertinaci æſtuans*, ipſe citans hanc lectionem, *Alij*, inquit, *paulo terſius hoc legunt modo*. Vide candorem hominis. Alii, id eſt, Rhenanus. At infra capite XXII. Quàm audenter me reprehendit, non aſſecutus mentem meam. Nam planè exiſtimavit magnam autoritatem ſuis commentariis acceſſuram, ſi me ſtrenuè multis locis ſuggillaſſet. Ibi quum offenderent me primum duo verba Cimbricæ victoriæ, deinde vetuſtum exemplar meum ſupra Caſtores haberet *Curſ*, ſcribo mihi videri ſic Plinii verba legi poſſe; *Nam Cimbricæ victoriæ curſores, quiq; Roma* &c. propterea quod nuncii illi curſorũ ſpeciem induerint, non deorum, nam hoc ex Floro Valerioque liquet, alioqui Prætor adoraſſet eos, idemq; P. Vatinius feciſſet. Itaq; tum quum literas in urbe exhibere viſi ſunt, & extra urbem Vatinio occurrerunt, non ſunt exiſtimati dii. ſed poſtridie literis de victoria acceptis à Dictatore, quum illi nuſquã amplius comparerent, interpretati ſunt omnes, fuiſſe deos. Atque hoc eſt quod ego dicere volo. Nec hoc pugnat cum quoquam autore. Quod ſi quis ſequatur meam lectionem, *Quiq; Romam*.

nihilo

nihilo minus de duobus iſtis juvenibus intelliget,qui poſterius agniti ſunt Caſtores fuiſſe. Itaque hactenus non fuerunt Caſtores,quia Caſtorum ſpeciem non repræſentabant, ſed nunciorum vulgarium, & quia Plinius viſum ſpectrúque fuiſſe teſtatur. Porrò nunciat etiam, qui nunciandam curat, nec nuncium ipſe perfert. Hic deflet meam infelicitatem, qui non ſim in Pliniana lectione exercitatus, nec intellexerim quid ſibi vellent Caſtores Romani, quum tamen antè teſter quid me potiſſimum offenderit, Auditus vocabulum quod mihi videbatur omitti poſſe, Caſtoribus accommodat, quod videlicet non ſolum viſi, ſed etiam auditi ſint. Cur non dictionem hanc ad Cimbricas victorias refert,ut videlicet Caſtores Romani fuerint viſus, hoc eſt ſpectrum, ac Cimbricæ victoriæ fuerint auditus, hoc eſt, auditio, quod priuſquam literæ de ſuperatis Cimbris Romam perferrentur,auditum fuerit,Cimbros eſſe victos?

Capite L. octavi libri, *Quin & duces*, ſcripſi *cicures* etiam poſſe legi, propterea quod domos ſuas petere ſinguli porci diſcunt. neque enim greges ſuum aluntur in urbe, quemadmodum ruri fit.Loquitur autem de ſolertia porcorum, Et ſequitur,*Feri*. Quia vero vocabulum,veſtigia non erat in codice manuſcripto quem fateor mendoſiſſimum fuiſſe, conatus ſum aliam divinare lectionem.

Quibus notata erat cœna. Hic monui ſcribendum,& adhuc moneo; *Quibus uſitata quidem cœna ſeculi vitio bini ternią; pariter mandantur*

apri. Nec ea re moveor, quod quibuſdam propter novitatem non placet, At placebit aliquando. Hunc locum tantum arrodit, ut habeat occaſionē notæ in margine libri ponendæ, *Contra Rhenanum.* Carpor autem magis in marginibus notis nuſquā non appoſitis, quàm argumentis. Sane vulgatam illi lectionem non invideo, quæ tamen etiam grammatico ſenſu caret, ſi citra mei calumniam ea frueretur.

Capite LII, pro *ſe tergorantes* legere malo *ſtercorantes.* Quia vero apud Ariſtotelem de ſuibus loquentem hæc verba repperit, *tergus invictum contra ictus efficiunt*, probat vulgatam lectionem, & ait, *Tergorare* eſſe indurare tergus. Quaſi non idē accidat quoties ſe luto ſtercorāt.

Capite LIII. ex autoritate & fide manu ſcripti voluminis ſic reſtitui Pliniana verba. *Qualiter natos antiqui Hibridas vocabant, ceu ſemiferos.* Hic me rogat ille, Dic, inquit, bona fide ſi ita legas, quò repones verbum, ſuibus? Ego viciſſim poſſem illum rogare, Dic bona fide, meàmne an tuam ipſius inſcitiam hic prodis?

Quamquam onerato capite vaſtis cornibus, gladiorumq; vaginis.) Moneo legi poſſe, *latèq; vagis*, pro *gladiorumq; vaginis*, item, *In hec ſe librant*, non, *in hijs ſe librant*, quemadmodū ſcripſerat Chriſt. Longolius vir optimus, & bonarum literarum decus immortale, quem multi putabant iſtius operis majorem cōfeciſſe partē, ſed nondum librum viderant. Dicit vero me debacchari ſtilo in Longolium, quod dixerim germanam Plinii lectionem ab illo mutatā in adul-

terinam. Quaſi hoc non ipſi Hermolao Barbaro ſæpe accidat, & omnibus nobis qui non ſolum in Plinio verumetiã in aliis autorib. reſtituendis laboramus. Non enim ſemper ſuccedit quod inſtituimus. Porro vaginas corporis quib' unguiũ mucro conditur, ad iſtas gladiorũ vaginas trahere, quid habet ſimile? Quur verò nõ citavit illũ à Plinio quoq; ex Pontificũ commẽtariis relatũ locum, lib. XVIII. de vaginis frumẽtorũ, *Priuſquã frumenta vaginas exeant, & antequã in vaginas perveniant?* Nihil apud me eo ipſo teſtimonio evinceret. Arbitror Plinium dicturum fuiſſe, ſi voluiſſet uti metaphora, *Ac veluti quibusdam gladiorũ vaginis*. Hoc vero jucundũ, quod poſt longã reprehenſionẽ videns meã caſtigationem non eſſe ita abſurdam, ſic concludit, Non enim hæc, inquit, diſputo, quod velim Rhenani lectionem futilẽ aſſerere, ſed vulgarem poſſe defendi.

Capite LIII. *Mira ſolertia viſco inungunt oculos, calceariq; imitatione venantium tradunt.*) Hunc locum ait à me perverſum quod reſtituerim eum ad fidẽ vetuſti codicis hoc modo, *Mira ſolertia, viſco inungi, laqueisqúe calceari imitatione venantium tradunt*. Ipſe legit, *viſco inungunt oculos*, vocabulo laqueis expuncto, fretus autoritate Solini contra manu ſcriptorum codicum omnium fidem. Quaſi vero qui ſe viſco inungunt, non etiam inungunt oculos. Hic tibi valere vult autoritatem Solini, me ejus autoris teſtimonio tantũ utentẽ ſupra manu ſcripti voluminis argumẽtũ paulo poſt penitus exibilat, quemadmodum cõmemorabimus.

Porrò

Porrò hoc ſunt admonendi ſtudioſi, nihil magis perdidiſſe Plinium quàm quod eruditi infulſerunt multa, ſumpta ex aliis autoribus eandem rem tractantibus, quum tamen non ita Plinius ſcripſiſſet. Itaque non omnia ſunt addenda, ea etiam quæ addita ſenſui nihil officiunt.

Quod mox non *nuces* ſed *acies* legam, ſcommate me ferit, diligentiam meam deridens.

Capite LV. Ait me tota hallucinatum fuiſſe diametro, quod nihil definiens (ceu verba mea addita in fine manifeſtè teſtantur) propoſuerim hujuſmodi lectionem, *conditi liqueſcente nive gracileſcunt*, ubi vulgo legitur, *candidi rutileſcunt*. Ibi ignorare me putat lepores etiam candidos reperiri. Quaſi vero qui in alpibus conditi indormiunt per brumæ tempus, non poſſint eſſe candidi. Exemplar manu ſcriptum aperte habebat, *conditi*. Videbam vero, quod ait Plinius, illis pro cibatu nivem eſſe, ſic accipi poſſe, ut ſignificet illos pingues eſſe alta dum nive, qua liqueſcente graciliores fiant. Atque hactenus nihil de colore diſputari, quũ tamen nõ negaverim eſſe candidos, ſed nõ propter nivẽ quæ pinguiuſculos reddat. Obverſabatur animo meo carmẽ illud Martialis de glire,

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Quin vidi mures alpinos allatos ex Valle Pœnina, qui ſub brumæ tempus effoſſa terra ſub foco ſe domi condebant. Neſcit Commẽtator quo verterim oculos, huc verti. Teſtantur autẽ verba mea quæ illic ſubjũgo, nõ pertinaciter me tueri conjecturã. Itaq; nihil erat e-

pus ut hic inclamaret candidatos literarum. Nec enim periculi quicquam eſt, quoties inquirendi ſtudio ſeorſim diverſa lectio proponitur, modò ſcripta autorũ ac ipſi libri non ſtatim mutentur violenturq́;, quod tamen à quib. factum aliquando ſit ipſe non ignorat. Sæpe vero ſua retractat etiam Hermolaus, nam in hoc ſcripti genere, quod conjecturis ex magna parte conſtat, ſæpe nos tranſverſos rapit novitatis amor. Libro X. Cap. XXIII. reſtituo lectionẽ ad fidem veterum codicum, quorum vidi duos conſentire, nempe hoc modo, *Coturnicibus veneni ſemen gratiſſimus cibus*. Hic me rogat, velut obtorto collo tenens, dic, inquit, bona fide, ſi te interrogavero, quod ſemen ſit id, quid præter veratri ſemen? Pulchra me Hercle quæſtio. Quis hoc negat? Ego viciſſim poſſem illum rogare, Dic bona fide, nunquam ne genere ſoliti ſunt autores uti, ſed in quo ſpeciem docto lectori relinquant intelligendum? Expoſtulet igitur hic cum Plinio, quem planè reor ſic ſcripſiſſe. Vide vero miram iniquitatẽ. Autoritate Solini contra fidem exemplaris ſcripti, contra Hermolai meamq́ue ſententiam ſupra legit, *Viſco inungunt oculos*, hic teſtimonium illius refutat, quod Plinianus expilator non iiſdem verbis utatur. De qua re ſupra meminimus. Atque audi pulchram notam additam in margine, *Rhenanus carpitur diligenter*. Expone diligenter, id eſt calumnioſe. Poſt longas denique citationes ſic concludit, His, inquit, collatis ſtat Rhenanum non bene ſentire de lectione,

veratri

ſtudioſi non ignorent, niſi docti viri ſeſe ad hāc miſeram provinciam demittant, nunquam futurum ut hiſtoria Pliniana ſuo nitori reſtituatur. nam infinitis adhuc erratis ſcatet. Nolim tamen interim non legi longe utiliſſimum autorem, quod ignorem quando ſtudioſi ea ſit obventura felicitas. Idem de Cicerone & Livio ſentiendum, cujus aliquot libri prodigioſè ſunt corrupti. Quis enim hoc labore lubens velit implicari, qui videat aberranti perpetuam contumeliam paratam, rectà divinantis laudē altera mox operis æditione finiendam. Porrò periculum ipſum in iſto caſtigandi genere, nunquam diſſimulavi. Proinde ſemper cohortatus ſum, ut talia ſeorſim legenda proponantur, ipſis autoribus intactis. Unde maturo judicio rebus exactius perpenſis cū tēpore reſtitui poſſunt veterū monimēta. Ajebāt id in Plinio ſe feciſſe caſtigatius nactos exemplar, qui proximæ æditioni præfuerunt Baſileæ, quum reprehenderem quod multa mutaſſent. idem antè Eraſmo arguenti reſponderunt. Accipio verò loca reſtituta, quibus nec ego ſuccurrere potuerim quālibet annixus, propter exemplar mendoſum, nec item Budæus ipſe. At feliciorē laborem ſumpſit Aquæus noſter, commentarios in Plinium procudens, audacior ſanè Philippo Beroaldo, qui maluiſſet in hunc ſcriptorem gloſſemata cōſcribere toties domi ſuæ ſtudioſis prælectū, quàm in Apulejum Madaurenſem, niſi mendas veritus fuiſſet. Propterea dixi feliciorem laborem, quod in commentariis infi-

nita

nita ſunt quæ dici poſſunt, & loca depravata aut non intellecta citra reprehenſionem tranſiliuntur. Verbi gratia, Plinius libro x. capite xxiiij. ſic ſcribit de hirundinibus loquens, *Cecina Volaterranus equeſtris ordinis quadrigarum dominus, comprehenſas in urbem ſecum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Hactenus Plinius. Mirum quid ſibi velint iſta duo vocabula, *quadrigarum dominus.* Raphael Volaterranus indubiè ſentiens locum vitiatum eſſe, legit, *Quadrigariorum magiſter*, niſi interpretationem eſſe dicere libet: ac quod hic de hirundinibus narratur, ad belli tempora accommodant. Sic enim ſcribit: *A. Cecina Volaterranus,* inquit, *equeſtris ordinis, Quadrigariorum magiſter, Pompejanarum partium tempore belli civilis, hirundines parvas è nidis Romæ comprehenſas nutriebat, quas poſtea nuncias belli mittebat amicis, ut Plinius refert.* Hæc Raphael Volaterranus. Cæterum nec mihi placet, *Quadrigarum dominus.* Frigidum autem ſit ſi quis equos alere elocareque ſolitum putet. Conjicio legendum, *aurigatum nido vivas*, hoc modo, *Cecina Volaterranus equeſtris ordinis, aurigatum nido vivas comprehenſas in urbem ſecum afferens, victoriæ nuncias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore.* Senſus eſt, Quum ex Volaterris aurigatum ad ludos videlicet Circenſeis Romam Cecina proficiſceretur, hirundines vivas in ædibus amicorum in nido comprehenſas ſecum ferebat, & factionis victricis

victricis illito colore remittebat ad amicos victoriã eius diei Circenſem ſignificaturas. Nam hirundines in longinquum bellum cujus incerta ſit victoria, ſecum ferre, ridiculum. Notum autem eſt quatuor olim factiones extitiſſe, Ruſſatorum, Albatorum, Praſinorum, & Venetorum, quot ſunt anni tempora, coloribus inter ſe diſtinctas, à quibus cognomina tracta ſunt. Felicis cujuſdam aurigæ Ruſſati Plin. libro ſeptimo capite LIIII. meminit. *Invenitur in actis*, inquit, *Felice Ruſſato auriga elato, in rogum ejus unum è faventibus jeciſſe ſe.* Et addit cauſam, *Frivolum dictu, ne hoc gloriæ artificis daretur, adverſis ſtudijs copia odorum corruptum criminantibus.* Loquitur autem de odoramentis quæ inter cujusſque factionis homines ſpargebantur. Aurigandi verbo Suetonius utitur in Caligula. Hic non inverto verba Plinij, immo explico. Certe in tam corrupta ſcriptura non ſecus ac in deploratis ægrotis interdum ſectionibus ac uſturis opus eſt. Atque hic Commentator noſter prorſus ſilet. Proferemus adhuc unum ac alterum locum. In Proœmio libri decimioctavi non longè à principio ſic legitur, *Quoniam tamen ipſa materia intus accendit.* Hæc verba nullo ſenſu dicuntur. Vetus exemplar habet, *Accedit*. Hermolaus indicat potius *Accendit* ſcribendum, quàm *Accedit*. Itaque verbum hoc receptum eſt in contextum. Ego dico reponendum eſſe *Accedit*, & pro *intus* legendum *vitijs*, Sic enim Plinius ſcripſit; *Quoniam tamen ipſa materia vitijs, accedit ad reputatio-*

Quatuor in ludis factiones.

tationem eiuſdem parientis & noxia. Vide quantum hactenus obſtiterit unicum iſtud vocabulum *vitys* in adverbium *intus* depravatũ, quo minus multis jam ſeculis hic Plinij locus fuerit intellectus. Sim verò valde civilis, ſi hic Aquæum imitatus petulanter Hermolaum, viris modis omnibus incomparabilem, inceſſam. Sequitur ibidem; *Atq; quũ in arbores exacuant, limentq; cornua elephanti & duro ſaxo rhinocerotes, & utroque apri dentium ſicas.* Scribendum primum, *quum arbore exacuant*, S. litera ablata ac *in* præpoſitione expuncta. nam ſequitur, *utroque*, item auferendi caſu. Deinde pro & *duro* reponendum, *& Vri*. Nam ſic Murbacenſe exemplar qnod pridem penes me erat, manifeſtè continet. Vt ſic legamus deinceps: *Atq; quum arbore exacuant, limentq; cornua elephanti & Vri, ſaxo rhinocerotes, & utroq; apri dentium ſicas.* Pariſienſis æditio quam epiſtola liminaris Beraldo vendicat, teſtatur legiſſe Longolium, *& duro*. Sed nos legendũ contendimus, *& Vri*. Quis non alicubi labitur? Audi vero quid Aquæus hoc loco dicat, Legi, inquit, etiam poteſt ſcitè *ſicca*, hoc ſenſu, *Quum apri liment ſicca dentium*, ut ſicca ſit ſubſtantivum. Alij legunt, *Vtroq; apri dentes ſiccas*, ut ſenſus ſit, Apri dentes exacuant in ſiccas arbores. Habes quod eligas, utere congruentiore ſententia. Hæc ille. Pulchræ me hercle expoſitiones & argutæ. Longum autem eſſet tantum hujus procemij vitia aperta adhuc narrare, quæ ſunt ſupra novem, verum non ſinit hoc

epiſtola-

epiſtolaris anguſtia. Sic repurgato Plinio certâ commentarii ſcribi poſſent, immo pluribus locis commentario minus autor egeret. Sed fungere tu labore hoc vere Herculeo, Augiæque ſtabula repurga, alio in inſidijs interim intento, ſicubi in negocio fallare mendoſa ſcriptura avocante mentem tuam, qui te mox contumeliosè traducat. Enimvero fortaſſe putas iſta animadverſa Aquæo. Nihil minus. adeo exercitatus eſt in lectione Pliniana, argutiam eius ſcriptoris nuſquam non aſſequens. Ego ſtipes qui ſubinde hæſitem. nam hoc imperitiæ temeritatiq; tribuit. An non argutũ, quod Columellæ verba exponens, docentis ægrotũ pecus eſſe ſalivandum, docet nos *ſalivare* eſſe ſanum facere. O ſi eſſet qui utriuſque caput ſalivaret. ſed tamen ego nolim conſpui. Niſi ſit expoſitio figurata, nempè hyſterologica, quod per unctionẽ eam ſanitas conſequatur. Quàm pulchrè vero mendoſa loca LIX Capitis lib. IX. tranſilit, præſertim eum qui eſt in fine, *At inter ſargos*. Ibi debebat exponere quænam vox eſſet *Sargos*, Latina, Græca, an Hebraica, tũ quid ſignificaret. Eſt hoc interpretari Plinium? Et tamen audet aliquoties addere, *Hoc caput nihil habet fuſcedinis, nihil habet nubili*. Sed nimium te moror, vir ornatiſſime, tametſi ſcio te libenter audiſſe locorum iſtorum Germanam Plinij lectionem, ac mihi gratias habiturum. quid Aquæus facturus ſit neſcio. Nec de hoc ſum ſolicitus. Porrò nondum oblivio me cœpit humanitatis tuæ qua me proſecutus es

apud Auguſtã, opera Chriſtophori Vrſungi in
D. Antonii Fuggeri domus. ædes Fuggerorũ me perducens. Antonij domus
quid ſplendoris non habet? Teſtudinata pleriſque locis, & columnis marmoreis ſuffulta, quarum epiſtilia ad antiquitatis exemplar exculpta ſunt. Quid de cubiculis amplis & ornatis dicam, quid de hypocauſtis, quid de ambulacris, quid de ipſo domini cubiculo longe cultiſſimo, tum ob deaurata laquearia, tum ob reliquum ornatum, & thalami ipſius non vulgarem elegantiam. Huic adhæret ſacellum D. Sebaſtiano ſacrum, cum ſubſellijs ex precioſa materia fabernimè factis. Omnia verò exornant inſignes picturæ intus & foris. Et tamen quum exquiſitiſſima ſint cuncta, pleraque minimum luxus præ ſe ferunt, multum verò civilis nitoris
D. Raimundi Fugg. atque frugalis munditiæ. Raimundi illa domus altera paulò ſemotior, quàm eſt item planè regia, amœniſſimum utrinque proſpectum in hortos habens, quorum alter ædibus cohæret, alter interſtite via publica, ſed anguſta ſeparatur? quid plantarum nutrit Italia, quod domeſticus hortus non habet? quæ ibi topiaria, quæ pergulæ, quæ arbores, qui fontes fuſilibus deorum ſimulachris ornati? quale balineum ea ædiũ parte? Minus jam placebant Ludovici Galliarum regis horti, quos olim Turonis & Bleſis vidimus. Poſtquam aſcendimus, hypocauſta latiſſima, aulas ſpacioſiſſimas ſive cubicula cõjuncta cum fumariis, ſed ornatiſſima conſpeximus, reſpondentibus inter ſe oſtiis in meditullio domus, quibus de conclavi in cõclave tranſitur.

tur. Hic paſſim vidimus exquiſitiſſimas picturas ex Italia advectas, multas etiam Iconicas tabulas manu Lucæ Cronacenſis feliciter abſolutas. Sed magis nos moverunt in ſuperius cœnaculum deductos tot ac tanta monumenta antiquitatis, ut vix ullo Italiæ loco plura crediderim apud unum hominem reperiri. Primum æ-rea contemplati ſumus & fuſilia Quis illic veterum deorum non ſæpe nobis occurrebat? Jupiter cum ſuo fulmine, Neptunus cum tridente, cum ſacculo petaſoque Mercurius, Pallas cum ægide. & erant quos vix præ vetuſtate licebat agnoſcere. Nomiſmata deinde ſuo loco jacebant. Aderat tantum unũ illic ſimulachrũ lapideũ. Circe fuit: ea nuda recumbebat innixa dextro brachio, circum ſe in margine tabulæ marmoreæ varias beſtias habens, & adhuc illa magica virga ſua quendam in brutum convertebat, ſupereratq; pars hominis non amplius quàm dimidiata. In altero ſecretario quod ſaxeas tantum ſtatuas continebat, vidimus, Dianam cum luna ac pharetra, vidimus Apollinem, Minervam, Venerem cum Cupidine, Taurum qui vehebat nudam puellam tenſis brachiis auxilium implorantem, & obſcœnũ illum deum pudenda ſui parte prorſus impudentem, cui aſtabant effigies mulierum plenos phallis calathos geſtantium. Apparebat hortorum limites fuiſſe. Mirum verò potuiſſe iſta tot ſeculis uſpiam integra conſervari. Fragmenta ſtatuarum vix numerare erat. Placebat nobis Somni dei caput clauſos habens oculos, & papavere revinctum,

Bacchi capita multa arguebant ſerta ex racemis & pampinis, quædam Coloſſeam fermè corporum magnitudinem præ ſe ferebant. Narrabatur vero nobis, ex toto propemodum orbe convecta fuiſſe ea vetuſtatis monumenta, præcipuè tamen ex Græcia atque Sicilia. Adeo nullius ſumptus Raimundum pœnitet, ob amorem quem literarũ minimè expers erga antiquitatem gerit, modo poſſit talibus rebus potiri. id quod verè nobilem & generoſum hominis animũ oſtendit. Sed de hijs plus ſatis. Ædidimus opuſculũ rerũ Germanicarũ inſcriptũ Cæſari Ferdinando. Expectamus aliquid veterũ librorũ à te, Ciceronẽ de gloria, Eundẽ de Vita beata, Quaſdam eiuſdem orationes hactenus non viſas, Medæam Ovidij. Fontianum poetam, qui provincias Romanas eleganti carmine deſcripſerit, niſi tanto theſauro ſolus frui vis. An fabulam narravit ille noſter? Bene vale vir eximie. Seleſtadij, quinto Nonas Martias Anno M. D. XXXI.

FINIS.

BEATI

BEATI RHENANI CASTIGATIONES IN LIBELLUM TACITI DE SITU, moribus & populis Germaniæ.

DENUO relegi hoc de Germanis opuſculum, quod anno 1519. contuleram cum exemplari non ſcripto, ſed impreſſo tantum. Id tum communicavit mihi Hieronymus Artolphus medicæ rei conſultus, & profuit locis non paucis. Addidi rurſum quædã ex annotationibus illis collati quondam codicis, de quibus hic ſtatim admonebitur lector. Nec in alijs ſententiam meam celabo. Fuiſſem autem paulò prolixior, ni juvenis eruditus Andreas Althamerus hunc libellum propriis commentariolis, ut audio, nuper illuſtraſſet.

Ergo obſervandum hoc in primis, quòd quũ Tacitus tam exactè Germaniã deſcripſerit Germaniæque populos, nuſquam tamen vel Francorum vel Toringorum tacta mentione, veriſimile ſit in Chaucis Francos, in Suevis olim Toringos latuiſſe, nec tam inſigneis tum extitiſſe quàm fuerunt poſtea. Siquidem fieri non potuit, ut iſtos ignoraret Tacitus, quem ferunt Belgicam Galliam curaſſe, & in Germanis provinciis, hoc eſt prima & ſecunda fuiſſe conſtat, id quod ipſe de ſe teſtatur in hoc opuſculo, quum

inquit; *Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam diu apud pleroſq; numinis loco habitat.* At in Bructeris habitabat Velleda ad amnem Luppiã. Porrò nobiliores tantùm populos enumerat Tacitus, ut quum latiſſime patere Lygiorũ nomen ſcribit in plures civitates diffuſum, ſubdit, *Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet.* Et alibi inquit, *Angrivarios & Chamavos à tergo Dulgibini & Chaſuari cludunt, aliæq; gentes haud perinde memoratæ.* Sed de his in noſtris rerum Germanicarum libellis plura.

Latos ſinus & inſularum immenſa ſpatia complectens.] Hæ inſulæ & hi ſinus Francos nobis dedere, & Saxones, aliasque gentes quaſdam quæ ex litoralibus & inſularibus mediterraneæ factæ ſunt.

Montis Arnobæ.] Artolphi codex habet, *Abnobæ*, quemadmodum & Plinius vocat. Apud Martianum Capellam *ad vovem* legitur pro *Abnobæ*. De hoc diximus rerum Germanic. lib. 3.

Carmina, hoc eſt cantiones apud Germanos.

Quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt,] Sic de Arminio Cheruſcorum principe Tacitus noſter in calce libri ſecundi Annalium; *Caniturq; adhuc,* inquit, *barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui ſua tantùm mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incurioſi.* Eginhardus de Carolo magno; *Barbara,* inquit, *& antiquiſſima carmina, quibus veterum regum actus & bella canebantur, ſcripſit, memoriæq; mandavit.*

Tuiſtonem deum terra editum, & filium Mannum.] Æditio vetus quã Artolphus mihi commodarat,

modarat, habet, *ei filium Mannum*, Ut ſic legi diſtinguiq; verba poſſint, *Celebrant carminibus antiquis (quod unũ apud illos memoriæ & Annalium genus eſt) Tuiſtonem deum terra editum. Ei filium Mannum originem gentis conditoremque, Manno treis filios aſſignant.*

E quorum nominibus proximi Oceano Ingævones.] De his appellationibus multa diximus libro tertio rerum Germanicarum, in principio, decimumquartum Plinii caput è quarto volumine explicantes. Mox exemplar cum quo pridem contuli, habebat, *Quidam ut in licentia vetuſtatis.*

Quorum relatu, quem Baritum vocant, accendunt animos.] Barritus iſtius poſt Tacitum meminit Ammianus Marcellinus in deſcriptione pugnæ, quam Julianus Cæſar habuit cum Alemannis apud Argentoratum, libro 16. *Cornuti*, inquit, *& Brachati uſu præliorum diuturno firmati, eos jam geſta terrentes Barritũ ciere vel maximum, qui clamor ipſe fervore certaminum identidem exoriens paulatimq; adoleſcens, ritu extollitur fluctuum, cautibus illiſorum.* Ubi lego, *eos jam geſturientes Barritum ciere.* Subauditur, Alemannos. Et mox, *ritu extollitur fluctuum cautibus illiſorum.* Sed tamen Artolphi liber habebat, *Barditum.* Veluti ſit à verbis, quæ Germani *Vuort* appellant, tractum vocabulum. Niſi debet eſſe *Blarritum.* De cantu Germanorum prælium ineuntium Tacitus noſter lib. 20. Gebleer.
Ut virorum, inquit, *cantu, fœminarum ululatu ſonuit acies.*

Ab illo conſtitutum nominatumque ἀκρισ-πρίον.] In exemplari illo, cum quo contuleram meum codicem, ſic ſcriptum erat, *acrinſprion.*
ἀστυπύργιον Lego: ἀστυπύργιον, hoc eſt *aſtypyrgion.* Ut Aſciburgium inde ſit deductum, una tantum ſyllaba mutata. ceu vulgo facere mos eſt in non intellectis. Urbem Græcis ἄστυ ſignificat, & πύργος turrim ſive propugnaculum. Notum eſt *Aſtypalea* vocabulum diverſis inſulis ac civitatibus tributum. *Pyrgorum* quoque nomen notum ex Strabone, Stephano, Antonino. Porrò
Burgum. non dubito quin Burgum illud Germanis tam frequens in appellationibus oppidorum & arcium, παρὰ τὸ πύργος deſumptum ſit: quando majores noſtri multa vocabula ſunt à Græcis mutuati, ut & nonnulla à Romanis, ac ab Hebræis paucula. nam omnes hodie linguæ mixtæ ſunt. Nec verò de Græcis dictionibus quas uſurpant in vernaculo ſermone Germani, quiſquam mirabitur, qui proditum hoc à divo Hieronymo meminerit in Traditionibus Hebraicis in Geneſim: *Legamus,* inquit, *Varronis de antiquitatibus libros, & Aſinij Capitonis, & Græcum Phlegonta, ceteroſq́ eruditiſſimos viros, & videbimus pene omnes inſulas, & totius orbis littora, terraſq́ mari vicinas, Græcis accolis occupatas, qui (ut ſuprà diximus) ab Amano & Tauro montibus, omnia maritima loca uſque ad Oceanum poſſedere Britannicum.*

Et tantum ad impetum valida.] Scribit Juſtinus Parthos intolerandos fore, ſi quantus his impetus eſt, vis tanta & perſeverantia eſſet. Id etiam

etiam de Germanis dici poteſt, quantum ad perſeverantiam attinet, præſertim quoties propriis auſpiciis bella gerunt. Tradit Florus alpina corpora humenti cœlo educata habere ſimile quiddam nivibus ſuis, quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eant, & levi motu quaſi ſole laxentur. Cæterum quod de Germanis hic prodit Tacitus, etiam Gallis Livius tribuit, tanquam ſimilis ſit utriuſque gentibus corporum habitus. Nam apud hunc libro octavo quartæ decad. T. Quintius cos. ad pugnam cum Gallis fortiter ineundam milites Romanos inflammans, *Jam*, inquit, *uſu hoc cognitum eſt, ſi primum impetum, quem fervido ingenio & cæca ira effundunt ſuſtinueritis, fluunt ſudore & laſsitudine membra, labant arma, mollia corpora, molles, ubi ira conſedit, animos ſol, pulvis, ſitis, ut ferrum non admoveas, proſternunt.* Rurſum Liuius libro quarto dec. eiuſdem, *Labor & æſtus*, inquit, *emollida & fluida corpora Gallorum, & minime patientia ſitis, quum decedere pugna coëgiſſet, in paucos reſtantes impetum Romani fecerunt, fuſosq; compulerunt in caſtra.* Iterum libro quinto dec. eiuſdem, *Sol*, inquit, *ingenti ardore torrebat minime patientia æſtus corpora Gallorum.* Apparet igitur inter Gallos illos veteres & Germanos mirè conveniſſe quantum ad naturam quum corporum, tum animorum attinet. Enimvero ſatis indicat Cæſar commentario ſexto, jam tum Gallos ob propinquitatem & tranſmarinarum rerum notitiam multa ad copiam atq; uſus largientem, imbellio-

imbelliores redditos, ac paulatim aſſuefactos ſuperari, multisq; victos præliis, ne ſe quidem ipſos cum Germanis virtute comparare. Vnde Tacitus in vita Agricolæ Britannos cum Gallis comparans, *In depoſcendis*, inquit, *periculis eadem audacia, & ubi advenere, in detrectandis eadem formido.* Quòd tamen in vetuſtiſſimos illos Gallos minime competere poteſt, de quorũ fortitudine poſt miſſas in Aſiam colonias apud Livium libro octavo ſic loquitur T. Quintius cos. in oratione quadam: *Non me præterit, milites, omnium, quæ Aſiam colunt, gentium Gallos fama belli præſtare. inter mitiſſimum genus hominum, ferox natio pervagata bello prope orbem terrarum, ſedem cepit. procera corpora, promiſſæ & rutilatæ comæ, vaſta ſcuta, prælongi gladii. ad hæc cantus ineuntium prælium, & ululatus, & tripudia, & quatientium ſcuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus. omnia de induſtria compoſita ad terrorem.* Hæc ille. Rutilarum comarum, magnorumque artuum argumento Caledoniam Britanniæ habitantibus Germanicam originem vendicat Tacitus: *Namq; rutilæ Calidoniam*, inquit, *habitantium comæ, magni artus, Germanicam originem aſſeverant.* De cantu Germanorum quum pugnam ſunt conſerturi, habes apud Tacitum, *Ituri*, inquit, *in prælia canunt.* Et alibi, *Vt virorum cantu, fœminarum ululatu ſonuit acies.* Ergo quis negabit, Celtas illos vetuſtiſſimos Germanis ſimileis & verè Germanos fuiſſe? ut plane dubiũ ſit, num ſicut Belgicas regiones, (id quod Cæ-

Rutila coma.

Celtæ.

ſar tradit,) ita etiam Celtarum terras olim ſuis Germani ſive Teutones coloniis repleverint. Nam propria Regulorum nomina, apud Liviū *Lutarius*, *Dorolacus*, *Combolomarus*, apud Cæſarem *Litavicus*, & *Ambactorum* vox pro clientibus Germanicam etymologiam habent. De Belgarum nominibus minus mirandum. At dii boni quantam mutationem affert tempus, educatio, diſciplina! Gallos longa pax adeo emollüt, ut dicas ſtirpem illam veterum Celtarum prorſus exoletam eſſe. Id quod apud Germanos Saxonibus accidit præcipue, & Germaniā ſecundam incolentibus nationibus, quæ tamen primum Francorum, deinde Saxonum bellicoſiſſimarum gentium ſoboles exiſtunt. Nihil verò pugnatius olim Saxonibus: Galli certe miteſcere cœperunt poſteaquam provinciales facti ſunt. quia Romani præſidiis externorum militum Gallias ex majori parte tutabantur, operam dantes, ut ipſi provinciales quieti & ocio per voluptates aſſueſcerent. quod tam ſedulo factum eſt in Galliis, ut non modo Romanorū mores induerint, ſed etiam linguam acceperint ſuâ faſtiditâ, ac nomen. unde Lotharingi omnes hodieque ſe *Romanos*, ſuamque linguam *Romanam*, velut à Romanis acceptam appellant. Hanc artem mitigandi ſubjugandique populos, qua Romani ſuum in provinciis diverſis imperium ſtabiliendo ſunt uſi, prodit Tacitus in vita Agricolæ de Britannis agens, quos is laudando caſtigandoque eò adduxerit, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquē-
tiam

tiam concupiſcerent. *Inde etiam*, inquit, *habitus noſtri honor, & frequens toga, paulatimq́; diſceſſum ad delinimenta vitiorum, porticus & balnea, & conviviorum elegantiam. Idq́; apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars ſervitutis eſſet.* Hactenus ille. Quod nos de Gallis diximus, idem Tacitus in vita Agricolæ docet iis verbis: *Gallos quoq́; in bellis*, inquit, *floruiſſe accepimus. mox ſegnitia cum ocio intravit, amiſſa virtute pariter ac libertate.* Hæc illic. Magnam itaque mutationem in Gallis factam videmus, quorum imperium poſt Romanos Franci inclyta Germanorum gens potiſſimum occupavere. At Germani ſui ſimiliores permanſerunt, & quanquam poſt illam infelicem apud Tolbiacum pugnam, quo tempore diviſa in duas factiones Germania, Franci oſtiis Rheni, Alemanni fonti ejuſdem amnis propinquiores, velut duo proci de Gallia contenderunt, victoribus Francis aliquandiu parére coacti fuimus: tamen quum & Carlingorum ſtirps exoleviſſet, qui poſt Merovingos in Gallia regnarunt originis Germanicæ, jamq; Pariſiorũ comes Hugo Capetus invaſiſſet principatum, reſpiravimus paulatim, & in priſtinam nos libertatẽ ipſi vendicavimus. Nec verò eſt quur Gallos iſtius mutationis pœnitere debeat, quãdo optimas leges, diſciplinam ac civilitatem à Romanis acceperunt, adeo nocuerunt devictis à ſe populis quũ magnus Alexander, tum Romani. Nos avitæ ferociæ pluſculum retinemus.

Cœlo ſoléve aſſueverunt.] Suetonius Paulinus Othe-

Othonianarũ dux partium, quo nemo illa tempeſtate militaris rei callidior habebatur, apud Tacitũ noſtrũ libro 18. ſpatium ac moras trahẽdi belli ſuadens. *Germanos, ait, quod genus militũ apud hoſtes atrociſſimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis corporibus mutationem ſoli cœliq́ꝫ haud toleraturos.* Ac videmus Italos, Hiſpanos, ac etiã hodie Gallos in alienis terris commodè habere: noſtrateis contrà ad omnem plerunque externi cœli afflatum langueſcere.

Eaq́ꝫ ſolæ & gratiſſimæ opes ſunt.] Sic & de Geryone Hiſpanorum rege ſcribit Juſtinus, *Armẽta*, inquit, *Geryonis, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur.*

Serratos Bigatosq́ꝫ.] *Nota argẽti*, inquit Plinius lib. 33. cap. 3. *fuere bigæ atq́ꝫ quadrigæ, & deinde Bigati Quadragatiq́ꝫ dicti.* Porrò argenti bigati ex Gallis Boiis, item ex Liguribus Romam allati, ſæpe fit mentio Livio. Nec aliter apparet Serratos ab impreſſa ſerræ nota appellatos.

Vix uni alterive caſſis aut galeæ.] Nihil ambigo quin eſſe debeat, *galea*, proinde & ſic emẽdavimus. Occaſionẽ errato dedit mox ſequens vocabulum quod incipit ab e litera. Paulòpoſt, *Centeni ex ſingulis pagis.* Illic legitur. *Centum.*

Conſilii quàm formidinis arbitrantur.] Locutio Tacito familiaris, de qua antè admonuimus in caſtigationibus Annalium, & in ejus operis initio.

Nec illæ numerare, nec exigere plagas pavent.] Reſtituimus, *exſugere*, noſtrum ſecuti judiciũ. Quia verò particula, *nec*, non erat in codice

cum quo contulimus, arbitror ſcriptum fuiſſe, *Nec illæ numerare, exugere've plagas pavent.*

Ineſſe quinetiam ſanctum aliquid & providum putant.] Hoc etiam Romanis viſum. Nam autor eſt Suetonius Aul. Vitellium Catthæ mulieri velut oraculo acquieſcere ſolitum. Proinde quum illa vaticinata fuiſſet, *ita demum firmiter ac diutiſſime imperaturum, ſi ſuperſtes parenti extitiſſet*, creditur Vitellius matri cibum dari prohibuiſſe. Fieri poteſt ut Aurinia fuerit quam ille Romanarum legionum in inferiori Germania præfectum agens, aliquando conſuluerit, aut certe jam potitus rerum poſtea conſulendum curarit. Nam Velleda Bructera fuit.

Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam.] Hæc virgo Bructeræ nationis erat, ad quam non facile quiſquam admittebatur. Habitabat enim in edita turre, & delectus è propinquis conſulta reſponſaq; ut internuncius numinis prortabat. Sic enim eum Taciti locum lib. 20. caſtigavimus.

Lucos ac nemora conſecrant, deorumq; nominibus appellant.] Quando verò deorum maxime Mercurium colebant, ut mox dictum eſt, & prodit Paulus Diaconus à Langobardis *Vvodam* appellatum Mercurium, cogitandum an Odonis ſylva, *der Odenvvaldt*, à Mercurio nomen habeat, ut à Marte Martianum nemus, *der Schvvartzvvaldt.*

Vuoda.

Nec juſſi conveniunt.] In Artolphi codice legitur, *nec injuſſi conveniunt.* Vt ſit ſenſus, Sæpius vocandos priuſquam veniant: quod ab illis

lis

lis ſuapte ſponte non fiat. Mox eſt illic, *Quibus tamen coercendi jus eſt.*

Sin placuit, frameas concutiunt.] Sic Tacitus noſter lib 21. de Germanis Batavisq; Cl. Civilis orationem ſibi placuiſſe demonſtrantibus, *Vbi*, inquit, *ſono armorum tripudiisq́ ,ita illis mos, approbata ſunt dicta.*

Tanquam ſcelera oſtendi oporteat dum puniũtur, flagitia abſcondi.] Sic apud Livium lib. 9. quartæ decad. Sp. Poſthumius Albinus cos. populum alloquens, *Minus tamen*, inquit, *eſſet, ſi flagitiis tantum effœminati forent (ipſorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, mentem à fraudibus abſtinuiſſent.* Et mox, *Illorũ eum, cum quibus in omne flagitium & facinus cõjuravit, non ſuum judicet.* Rurſum infrà, *Illo uno collega caſtigare ſe nova flagitia, & priſcos revocare mores poſſe.*

Tum eum in ipſo concilio vel principum aliquis vel pater, vel propinquus.] Exemplar illud ſic habebat: *Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel ipſi, vel propinqui.* Scribendum arbitror: *Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel ipſi propinqui ſcuto frameaq́ juvenem ornant.* Itaq; pronomen, *eum*, expunximus.

Plerıq́ nobilium adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt.] Apud Livium lib. 2. quartæ dec. Philippus Macedonũ rex objicit Ætolorum principi Alexandro, in colloquio, quòd Ætoli pro lege hunc morem antiquitùs ſervent, ut adverſus ſocios ipſi ſuos publica tantum autoritate dempta, inventu-

tem ſuam militare ſinant. & contrariæ perſæpe acies in utraque parte Aetolica auxilia habeant. Quoties autem hodieq; contingere videmus, ut in contrariis aciebus ab utraq; parte Germanica auxilia conſpiciantur?

Et ut facilius inter ancipitia clareſcant, magnumq́; comitatum non niſi vi belloq́; tueare.] Repoſuimus indidem, *ut*, particula deleta, pro clareſcant, *clareſcunt*, & pro tueare, *tueantur*. Et facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumque comitatum non niſi vi belloq; tueantur.

Nam epulæ & convictus quanquam incompti, largi tamen apparatus] Suſtulimus dictionem, *convictus*, quæ in eo codice non erat. Nam integer ſenſus eſt, ſi legas, *Nam epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt*. Paulò poſt eſt illic, *Ipſi hebent mira diverſitate naturæ.*

Mos eſt civitatibus ultro ac viritim conferre principibus] Pro *ac viritim* ex priori collatione reperi ſcriptum in margine voluminis mei, ſed literis penè fugientibus exoleſcentibusque, *acvirium*, ſive, *ecvirium*. Dubito num potius germana ſit lectio, *equitium*, hoc modo, *Mos eſt civitatibus ultro equitium conferre principibus*. Nã mox inter dona primum equi locum habent. *Electi*, inquit, *equi*. Porro dignum in primis principe hoc honorarium donum eſt. Significat

Equitium. autem equitium, equorum armentum. Nunc apte ſequitur de cæteris pecoribus, quæ præcipue ad eſum ſpectant. *Vel armentorum, vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitati-*

tati-

ribus ſubvenit. Expone, quod armentorum vel frugum, niſi libeat ſubaudire, pronomen *id*, aut *unquam*.

Nullas Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſt.] diutius retinuere Germani priſcam illam & rudem ſimplicitatem. Nam & Athenienſes pagatim olim habitaſſe, priusquam in unam urbem contribuerentur, Livius autor eſt. Et ex Trogo, refert Juſtinus, Gallos à Maſſilienſibus Græcis, uſum vitæ cultioris depoſita & manſuefacta barbarie, & agrorum cultus, & urbes mœnibus cingere didiciſſe. *Tunc*, inquit, *& legibus non armis vivere, tunc & vitem putare, tunc olivam ſerere conſueverunt. Adeoq; magnus & hominibus & rebus impoſitus eſt nitor, ut non Græcia in Galliam emigraſſe, ſed Gallia in Græciã translata videretur.* Hactenus ille. Verùm Germanis nihil tale contigit, quia mediterranei ſunt, & Oceanus ille Germanicus navigatu periculoſus, ac ignotus, raris ab Italia Græciaque navibus aditur. Et Galliæ quidem poſteaquàm in numerum Romanarum provinciarum venerunt cultiores factæ ſunt. at de Germania in provinciam redigenda cogitavit quidem Auguſtus, & tentavit aliquid Druſus Germanicus, poſterioribusque ſeculis Poſthumus, & alii quidam Germaniæ particulã quæ eſt inter Menum, Nicrum, & Rhenum, aliquandiu poſſederunt, verùm res ſucceſſu caruit, amiſſa ſtrenuè recuperantibus Germanis. Deinde poſt ingentem illam cladem ad Tolbiacũ vicum Vbiorum acceptã, ita preſſere nos Franci, ut reſpirare

non licuerit, donec exoleta ſtirpe veterum Francorum, auſpiciis primum Othonis Saxoniæ Ducis, & Chuonradi Oſtrofranci, atq; Henrici Saxonis, mox Magni illius Othonis qui inter Imperatores Germanicos primum obtinet locum, in priſtinam libertatem nos ipſi vindicavimus. Tum urbes in provinciis quum ad Rhenum tũ ad Danubium jam olim occupatis ſitæ, amplificari paulatim, & vici veteris Germaniæ, de quibus Tacitus loquitur, mœnib. cingi cœperunt. Judæam quoque vicis abundaſſe, Tacitus autor eſt, quum inquit lib. 21. *Magna pars Judaeæ vicis diſpergitur.*

Colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit.] Hinc crebræ locorum appellationes, à *bach, feld,* & *holtz.*

Fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum.] Sic Carolum illum Magnum tradit Eginhardus *feſtis diebus uſum fibula aurea ſagum aſtringente.* Erat autem Germanici cultus is princeps longe retinentiſſimus.

Renunciare. *Hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.*] illic manifeſte ſcriptum erat *renunciant,* quod ego certe non mutaſſem. Nam renunciare etiam declarare eſt. Renunciantur conſules, quum declarantur. Hoc docet nos Plinius Cæcilius in Panegyrico, quum inquit: *Tuo judicio conſules facti, tua voce renunciati ſumus: ut idem honoribus noſtris ſuffragator in curia, in campo declarator exiſteres.* Neq; vero *re* ſemper iterationem ſignificat in compoſitis.

Sic vivendum, ſic pereundum.] Diverſam lectio-

lectionem ex annotatiunculis reperio, nempe hanc, *Sic viventes, ſic parientes accipere ſe.* Tum legerim, *reddant*, atque ſic diſtinxerim: *Hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma renunciant: ſic viventes ſic parientes, accipere ſe quæ liberis inviolata, ac digna reddant, quæ nurus accipiant.* Vt referatur ad uxores. nam & boves pariunt. Et plurativè ſequitur, *agunt, nullis conviviorum illecebris corruptæ.*

Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur.] Quanto ſanctiores fuere nobis ethnici? Nam quotus quisque hodie vel vitia non ridet, vel quantumvis enormibus flagitiis non prætexit illud, *Sic ſeculum eſt.* Si quis aliena matrimonia contaminantem, aut puellis illudentem damnet, ſtatim audit, *Sic ſeculum eſt.* Si bonus vir peſſimam iſtam potandi conſuetudinem reprehendat, mox adeſt qui excuſet, quòd *ſic hodie ſeculum ſit.* Si quis improbet morem, quo juvenes in militiam temerè proficiſcuntur, ad nullum non ſcelus patrandum erudiendi; huic mox dicetur, *Sic ſeculum eſt.* Si quis miretur ſacerdotum in parandis præbendis inſatiabilitatem, audit, *ſic ſeculũ eſt.* Si quis immodicum immortalium ſtudium in parandis divitiis, quæſtum illicitum, atq; cõtractuum iniquitatem deteſtetur, huic tanquam neſcienti allegabitur, *Sic nunc ſeculum eſt.* In ſumma, nullis non erratis, nequitiis, criminibus, obtendimus, *Sic ſeculum eſt.* Diſſimiles igitur majoribus noſtris vitia ridemus, nobisque blandimur, & corrũpentes ac còrrupti, decipiẽ-

Seculum.

tes alios ac circumſcribentes culpam in ſeculi rejicimus. Codex alter habeat, *vocantur*.

Nec ulla orbitatis pretia.] Apud Germanos non erant qui ſenes orbos captarent. quales multos Romæ fuiſſe produnt autores. Hi ſic ambiebant ac colebant eos qui liberis caruiſſent, ut nihil eſſet tam ſervile quod ſpe hæreditatis aut legati potiundi non paterentur. Vnde de corruptis urbis Romæ moribus diſſerens Ammianus Marcellinus, refert ſuo ſeculo *vile exiſtimatum, quicquid extra urbis pomerium natum fuiſſet, præter orbos & cœlibes: nec credi poſſe qua obſequiorum diverſitate colantur homines ſine liberis Romæ, ut his qui patres ſunt, tanquam in capita mendicorum acerbius cœlibes dominentur.* Captatorem notat in Paradoxis Cicero, quum inquit, *Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem quicquid denunciatum ſit, facit, aſſentatur, aſſidet, miratur.* Indicat Auſonius Burdegalenſis eum cui non ſit hæres, captatoribus obnoxium exiſtere, quum canit,

Et captatoris præda eſt, hæredis egenus.

Plinius Junior quadam ad Calviſium epiſtola, M. Regulum tanquam impudentem ac ſceleratum captatorem depingit, talium vulturum aſtutiam ſatis exprimens. Tacitus noſter Annalium libro 14. de Pomponio Sylvano: *Valuitq; pecunioſa orbitate & ſenecta, quam ultra eorum vitam produxit, quorum ambitu evaſerat.* Itaq; Romæ erat aliquod orbitatis pretium, quum ſic colerētur ab hæredipetis orbi ſenes opulentiq;

Verum

Verùm integritas Germanorum neſcia fuci, nihil tale admittebat.

Crebræ ut inter vinolentos rixæ.] Hoc de Germanis qui Rheno propiores ſunt accipiendum. Sic Annalium libro primo de Marſis, *Ac ne pax quidem niſi languida & ſoluta inter temulentos.* Alioqui legere malim, *ut inter violentos.* nam interiores Germani vino carebant. Et cædes & vulnera vinolentiam conſequuntur.

Sed de reconciliatis invicem inimicitiis.] Scripſimus, *Sed & de reconciliandis invicem, inimicis.* Et paulo poſt: *Exercitatio artem paravit.*

Et prata ſepararent.] Niſi fallunt annotatiunculæ quondam exceptæ, legitur illic, *Et prata ſeparant.* Moxque non *peroperoſum honorem*, ſed tantum, *operoſum.*

Et gravem defunctis, aſpernantur) Caſtigavimus, *ut gravem defun. aſpern.*

Summus autorum divus Iulius tradit.] Ejus verba ſunt Commentario ſexto: *Ac fuit*, inquit, *antea tempus quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agriq; inopiam trans Rhenum colonias mitterent.* Et ſubdit paulo poſt, *Nunc quod in eadem inopia, egeſtate, patientiaq; Germani permanent, eodem victu & cultu corporis utuntur, Gallis autem propinquitas & transmarinarum rerum notitia, multa ad copiam atq; uſus largitur, paulatim aſſuefacti ſuperari, multiſq; victi prœliis, ne ſe quidem ipſi cum illis virtute comparant.*

Eoq; credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam transgreſſos.] Sane T. Livius libro quinto primæ decad. apertè tradit, quum Ambigatus Biturix rex Celtarum magno conatu ipſe regnum prægravante multitudine exonerare cuperet, quæ jam vix regi videbatur poſſe, Belloveſum ac Sigoveſum ſororis filios impigros juvenes miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedes oſtendiſſet, Sigoveſo ſortibus datos Hercynios ſaltus. Cæterum quos Gallorum populos ſecum eduxerit, non commemorat nominatim, propter inſtitutam de primum tranſcenſis alpibus narrationem, id quod à Belloveſo factum. At mihi ſit probabile è Celtis Sigoveſum habuiſſe & Andegavos, quando locorum nomen hodieque extat in Hercynio ſaltu quà Galliam aſpectat. Siquidem amœniſſimam illam quæ eſt oppidulo Noppenaugiæ vicina, ſubjecta Cniebiſo monaſteriolo Benedictinæ factionis, vernacula Germanorum lingua *Andegaſt* appellat. In cujus extremo thermæ repertæ ſunt ætate patrum noſtrorum, recentibus vulneribus ſanandis mirum in modum conducibiles. Quòd ſi liqueret Belovacos quoq; è Belgis unà cum illo tranſiſſe Rhenum, tribueremus illis vicinam vallem quam vulgus Volvacenſem vocat, quaſi dicas Belvacenſem, à Volvaco ſeu fluvio, ſeu oppidulo, hoc eſt Belovaco, ut Senonibus Gallis proximam Hercynii ſaltus partem, quam hæc ætas Simonis nemus cognominat. Porrò de Tectoſagibus Gallis, qui trans Rhenum coloniam miſerint,

Andegavica vallis in Hercynio ſaltu.

Andegaſt, Andegavica therma.

Belvacenſis vallis, Vuolfacher tal, Senonum ſaltus.

rint, teſtatur his verbis Julius Cæſar commentario ſexto; *Itaque ea, quæ fertiliſſima ſunt Germaniæ loca circum Hercyniam ſylvam (quam Eratoſthem & quibuſdam Græcis fama notam eſſe video, quam illi Orcyniam appellant) vulgo Tectoſages occuparunt, atque ibi conſederunt.* Hæc ille. Cæterum penitioribus illos, cultioribusq; locis habitaſſe ad Nicrum fluvium argumento Decenſis arcis, in noſtris rerum Germanicarum libris annotavimus. Atque hic obſervandum, ab idoneis eſſe relatum autoribus, inde nomen Alpium ortum, quod ſua lingua montes Galli vocent Albas. Itaque montis qui Nicro fluvio vicinus eſt, & haud procul Rutelinga aſcenditur, illa longe lateque patens planicies, tritici in primis ferax, indubie etiamnum *Albæ* nomen à cultoribus olim Gallis retinet. Suſpicorq; montem hunc à Flavio Vopiſco deſignatum, quum ſcribit in vita Probi Imp. *cæſis Alemannorum in Gallia multis millibus, reliquias ultra Nicrum,* (ſic enim illic legimus, non *Nigrum,*) *& Albam fuiſſe remotas.* Significat enim Probũ eos qui ex Alemannis ſupererant, in ulteriorem Germaniæ regionem, & tranſnicrinam, ſive (ut hodie loquimur,) tranſneccaranã atque tranſalbanam Ducatus Wirtenbergenſis partem ſubmoviſſe; verſus Danubium, cui propter ſecuritatem Galliarum præſtabat illos eſſe viciniores quàm Rheno. Et Rhetiæ provinciæ ſteriliori minus erat periculi à Germanis. Siquidem de Albi inclyto flumine non videtur accipiendum, quem à recentioribus *Albiam* vo-

Tectoſages.

Teck.

Alba mons ad Hercynium ſaltum.

Fl. Vopiſci locus.

Albis.

cari haud ignoro. Sub Auguſto certe ſemel contigit,ut Albis eſſet limes imperij Romani, qui mox Varo Quintilio occiſo vix in Rheno ſtetit. Et Tacitus notum olim fuiſſe dicit: *ſed nunc,* inquit, *tantum auditur,* Neque enim poëticæ laudes Claudiani Panegyriſtæ ad hiſtoriæ veritatem ubique ſunt trahendæ. Quanquam vero Probus ipſe in epiſtola ad ſenatũ gloriatur ſubactam eſſe omnem quà tenditur late Germaniã, novemq; reges gentium diverſarum ad ſuos pedes ſtratos jacuiſſe: arbitror tamen quod de ſubmotis reliquiis indicat Vopiſcus, accipiendum de Alemannis potius quàm Germanis inferioribus; cum quibus & Francis aliter intervenire pax potuit, nempe per fœdus aut certas conditiones. Igitur de numero fertiliſſimorum Germaniæ locorum circum Hercynium ſaltum, in quibus Tectoſages ſeu cæteri Galli cõſederunt, illa Alba eſt, pars poſtea Martianarum ſylvarũ. ſic enim plurative Marcellinus appellat, indicans per has Julianũ Aug. tranſiſſe, quũ Danubiũ ex Rauracis adiret navigaturus in Illyricũ.

Martianæ ſilvæ.

Manet adhuc Botemi nomen.] Velleius Paterculus *Boiohemum* vocat, Heimum ſive *heim* Germanica dictio, patriam ſignificat & domicilium, unde nuſquam non obviæ locorum appellationes in Germania, Depravatum Pauli Diaconi codicem, in quo ſic legitur hiſtoriæ Langobardorum libro primo, capite decimotertio: *Dicuntur poſthac Anthaib & Banthaib, pari modo Nurgundaib per annos aliquot poſſediſſe*; tu iſthæc ſic emenda, *Dicuntur poſthac*

Heim.

hæc Anthaim & Banthaim, pari modo Burgundhaim per annos aliquot poſſediſſe. Hoc eſt, Antarum, Vandilorum, ut ſit Banthaim pro Vandhaim, atque Burgundionum regiones. Loquitur de Longobardis è Scandinavia progreſſis, Quemadmodum enim Tacitus hic *Boiemum* dixit, ſic poſſemus juxta Latinam inflexionem, *Anthemum* & *Burgundhemum* uſurpare. Sunt autem hæ veteres Burgundionum ſedes, priuſquam per Germaniam in Sequanos commigrarunt. Sic etiam reſtituenda ſunt illa locorum nomina, quorum fit in lege Salica mentio circa principium, ubi mendoſe ſcriptum eſt à librariis Gallicis, in loco cognominato *Salechamne, Bodecamne, & Widocamne*: quum debeat eſſe, *Salinghaim, Bodinghaim & Vvidinghaim*: ut intelligas Salingorũ, Bodingorũ, & Widingorũ vicos ſive tractus. Nam Franci quum germaniſſimi Germani fuerint, huiuſmodi appellationibus inferioris Germaniæ loca, in quam primum tranſgreſſi ſunt, inſignivere. Nec aliud eſt ibidem *Salegaſte* ſive *Vuidagaſte*, quàm Salingorum ſive Widingorum præfectus. Sed de his in noſtris rerum Germanicarum libellis amplius. hic tantùm lectorem admonere voluimus per occaſionem.

Nam nec tributis cōtemnūtur.] Suſpicor à Tacito ſcriptum, *condemnantur.* Nam damnare Livius etiam pro multare uſurpat, ut lib. 5. dec. 4. *Multos pecuarios damnarunt.* Niſi quis malit, *comminuuntur.*

Nō numeramus.] Repoſuim⁹ ex autoritate vetuſtio-

cuſtioris illius editionis, *Non numeraverim*.

Eos qui Decumates agros exercent.] Hi agri indicari certe non poſſunt. Sed tamen fuere propinqui Rheno, argumento Gallorum occupantium. Mihi, quod antè dixi, non contigit inſpicere codicem vetuſtum manuſcriptū, qui nos hic adjuvaret. Nam fieri poteſt, ut pro *Devinates* aliquis ſcripſerit *Deumates*, quod poſtea verſum ſit in *Decumates*. Ut fortaſſe Devinam accipiamus pro Daventria, Devonam vocat Ptolemæus in illa confuſa Germaniæ oppidorum nomenclatura. Sed hic te fruſtra torqueas, niſi anſam cogitandi præbeat ſcriptura vetuſta. Adjuvare quoque poterit, quod addit, *Sinus imperij*. Ergo Rhenus, ut videtur, illic ſinum facit. Sed & immenſorum lacuum prope Friſios infra faciet mentionem Tacitus, Paulo poſt, ubi nos habemus, *intelligere occaſione*, illic erat, *neceſſitates*. Tacitus, lib 1. Annalium, *Juſſoſq; dicta cum ſilentio accipere, temporis ac neceſſitatis monet*,

Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cuiuſque audentia apud Cattos in conſenſum vertit.] Hæc clauſula ſic recte diſtinguitur. Hoc tamen attendendum, *rara & privata audentia*, ſeptimo caſu dictum eſſe, id eſt, per raram & privatam audentiam. nam *vertit* hic abſolute protulit Tacitus, ut quum Annalium libro undecimo dixit, *Ac ni cædem eius Narciſſus properaviſſet, verterat pernicies in accuſatorem*. Sic enim illic legendum docuimus ex manuſcripto codice, non *perniciem*. Et

In conſenſum vertit.

Verto abſolute.

eodem

eodem libro paulo antè, *Seu forte lapſa vox in præſagium vertit.* & multis aliis in locis. Sic & Livius ſubinde loquitur. Emenda lectionem Livianam, libro decimo tertiæ Decadis, ubi vulgatæ editiones in hunc modum habent: *Et induratus præter ſpem reſiſtendo timor hoſtium, ac ne vertatur in audaciam periculum eſt.* Et ſcribe, *ac ne vertat in audaciam, periculum eſt.* Porrò facit ad hunc locum de crine apud Cattos ſummittendo, quod Tacitus noſter lib. 20. ſcribit: *Civilis*, inquit, *barbaro voto, poſt cœpta adverſus Romanos arma propexum rutilatumq́; crinem patrata demum cæde legionum depoſuit.* Erat autem Civilis ille natione Batavus. & Cattorum pars quondam Batavi fuere.

Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, q. t. e. ſ. Vſipij ac Tencteri colunt.] Hæ nationes omnes in ditionem poſtea ac nomen Francorum conceſſere, ceu Græcorum provincias hodie *Turciam* vocamus. Sub inclinationem enim Romani imperij regnarunt in Germania potenter Saxones cum Toringis, Franci ac Alemanni, qui & Suevi, propriis adhuc ſubjectarum aut fœderatarum nationum appellationibus diſcreti. Nam Francorum quibus *Anſibariis* nomen fuerit, quibus item *Saliis*, meminit Am. Marcellinus. Liber qui formulam Romani imperij in Occidente continet, oſtendit Ampſivarios aliquando militaſſe inter Gallias ſub Magiſtro peditum in præſenti. Sicut & Bructeros. Dubito num Angrivarij. *Francia.*

Nunc Chamavos & Angrivarios immigraſſe.

Chamavi. *narratur.*] Chamavi, ſicut Briſgavi. Chamavorum cohortem XI. agentem Peami, ſub duce Thebaidos militaſſe liber indicat de præfecturis Romanis. Auſonius in Moſella,

Accedent vires, quas Francia, quasq; Chamavi Germaniq; tremant. (ve-

Angreiffer. Angrivarios juxta Germaniæ linguæ etymon interpretari licet, aggreſſores. Archiepiſcopus Agrippinenſis Coloniæ, quæ in Ubiis eſt, ſe *Ducem Angeriæ* ſcribit, quaſi dicas Angrivariæ.

Aliæq; gentes haud perinde memoratæ.] Hujuſmodi gentium haud perinde memoratarum una fuere Franci: qui circumjectarum nationum aucti primum imperio, deinde una cum Alemannis ſuperiorem tenentibus Rheni ripam, quum ipſi inferiorem poſſiderent, tranſgreſſi in Gallias, (ut nulla fides regni ſociis) ad Tolbiacum memorabili prælio, quo de ſumma rerum decernebatur, copias Alemannorum deleverunt, duce Ludovico, quem vulgus Clodoveum appellat. Tandem etiam devictis Saxonibus, nullo uſquam reſiſtente populo, totius propè Occidentis potiti ſunt ditione. Poterunt Romani qui, (ceu Juſtinus ſcribit) finitimis populis armis ſubjectis, primùm Italiæ, mox orbis imperium quæſivere, & hactenus eſſe nobis exemplo Turcæ, quorum item initio neque obſcurius quicquam, neque incertius: ſi modo licet citra piaculum, noſtratem optimeque meritam de Chriſtiana pietate gentem, cum truculentiſſimis hoſtibus noſtris conferre: cum quibus nuper, quod bene ac feliciter

vertat.

vertat, juſtum piumque bellum ſuſcepimus, auſpiciis & ductu Caroli Auguſti atque Ferdinandi Cæſaris.

Eundem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent.] Eundem intellige cum Chaucis. Et quia ſuprà dixit, *In ſeptentrionem ingenti flexu redit*: ac ſequitur, *Vtraque ripa caſtra ac ſpatia*: minus placet quod in annotatiunculis reperi quondam collati codicis, *Eundem Germaniæ ſitum.*

Ne Parthi quidem ſæpius admonuere.] Arbitror Tacitum *admovere* ſimpliciter uſurpaſſe, quod Livius dicere ſolet, *admovere exercitum, & admovere caſtra.* Sanè quum veterem Germaniam à Danubio provinciæ Romanæ, duæ Rhætiæ, Noricum & duæ Pannoniæ: à Rheno contigerint, Sequanicus tractus qui Helvetios & Rauricos complectebatur, tractus Argentoratenſis, in quo Argentoratum & Seleſtadium veteris Elcebi colonia, (unde *Elſatiæ* vernaculum nomen.) ac Germaniæ duæ: nihil mirum ſi ſubinde admoverunt Germani, non tam propulſantes pericula Romanis impugnantibus, quàm prædatum dulcedine provincias Romanas incurſantes. *Elſatia.*

Ac ſæpe in ipſo ſolo vertice ligant.] Ablatiuus ipſo, non erat in Artolphi libro, meliusq; expunxeris, ſed pro *ligant* erat, *religatur*. Et pro, *ut hoſtiũ oculis ornantur, Et hoſtiũ oculis armantur.*

Contrà Langobardis paucitas, nobilitas: quod.] Scripſimus, *nobilitasq; quod plur.* Mox pro *Reudigni*, videbatur eſſe, *Vendigni*. Item, Suarines. *Vendigni.*

Quæ-

Quæcunq; adventu hoſpitioq; dignatur.] Sic in hujus libri initio dixit, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitijs mixtos. Illic legebatur, *quemcunq;*, ſubaudi locum, Cogitandum an pro *adventu* ſcribendum ſit, *advectu*, qua voce etiam utitur Annalium lib. 20. *Hæc*, inquit, *de origine & advectu dei, celeberrima.* Sic enim & illic legendum pro *adventu*, quemadmodum nos caſtigavimus. Adjuvat hic indubiam conjecturam quod præcedit, *Invehi populis arbitrantur*.

Auguſta Vindelicorum. *Atque in ſplendidiſſima Rhetiæ provinciæ colonia.*] Putatur eſſe Auguſta quam vulgo Vindelicorum appellant, quòd Vindeliciæ ſit proxima, ſed tamèn in Rhætia prima. Notum etiam eſt è recentioribus Chronographis Licum amnem ſeparare Bajoarios à Suevis, poſtquam videlicet Germanici juris factæ ſunt provinciæ, quum ſub Romanis idem fluvius Rhætiam primam à ſecunda, quæ eadem Vindelicia fuit, indubie diſterminaret. Ex hoc vero cognoſcere potes, quàm late diffuſa fuerit Hermundurorum natio, plurimum occupans ſoli.

Trudui. Paulo poſt, *Et Tudri genus*, legebatur, *Et Trudi*. Proximis ſane ſeculis Trutonis & Trutomanni nomen apud majores noſtros auditum eſt, teſtimonio ſunt veteres donationum & contractuum tabellæ. Hincque heroinarum Germanicarum vocabula, *Adeltrudis & Gertrudis*, à ſincero videlicet amore fideque.

Ac deinde Marcomanni & Quadi agunt.] Liber qui continet formulã imperij in Occiden-

te,

te, docet poſtea Marcomannos Seniores & Juniores intra Italiam ſub Magiſtro peditum in præſenti, Marcomannos equites intra Aphricã ſub Comite & Magiſtro equitum præſentali, Alam verò primam Quadorum in Oaſi minore militaſſe, ſub Duce Thebaidos.

Lygiorum nomen.] Quod ex Cornelio Nepote tradit Plinius, Q. Metello Celeri tum Galliæ proconſuli, Indos à rege Suevorum dono datos, affirmat eruditiſſimus candidiſſimusq; vir Hermolaus Barbarus, in quodam Pomponii Melæ codice eandem rem narrantis legiſſe, non à rege Suevorum, ſed *Lydorum.* Quid ſi quis à rege *Ligorum* ſcripſiſſe Melam putet? nam Suevorum nomen generalius eſt, etiam Ligios complectens, ut autor uterque recte ſcripſerit.

Elyſiòs.] Cogitandum an Seliſios aut Sleſios fortaſſis hic potius ſcribendum ſit. Nam hæ gentes mihi videntur ad Danubium vergere. Eſt autem hodie Sleſiorum populus inſignis, unde nobis C. Vrſinus Velius prodiit Muſarum alumnus, & alii compluſculi literarum ſtudiis celebres.

Trans Ligios Gothones regnant.] Inter mediterraneos aut littorales gentes, quum Langobardos, tum Gothones annumerat Tacitus. Sed mirum an ab his inſulares olim, an ab inſularibus hi antè prodierint.

Suionum hinc civitates, ipſe in Oceano.] Forte melius legatur, *Suionum hinc civitates ſitæ in Oceano.* Eginhardus in vita Caroli Magni Sueo- *Sueones.*

nes recentiori vocabulo Nortmannos oſtendit appellari. quum ait: *Sinus quidam ab Oceano Orientem verſus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis verò quæ nuſquam centum millia paſſuum excedat, quum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multæ circumſidunt nationes. Dani ſiquidem & Sueones, quos Nortmannos vocamus, & Septentrionale littus, & omnes in eo inſulas tenent.*

Eſtuorum gentes.] Repoſuimus, *Aeſtyorum gentes.* Putaverim Aeſtyos eſſe qui Eginhardo *Aiſti* modo citato loco dicuntur. Nam ipſe pergens in narratione, *At littus*, inquit, *auſtrale Sclavi, & Aiſti, & aliæ diverſæ incolunt nationes.* Apparet autem in archetypo fuiſſe, *Aeſtuorum* pro *Aeſtyorum*, ex quo alius fecerit, *Eſtuorum.* nam u pro y veteres librarii ponebant.

Peucinorum Venedorumq; & Femiorum nationes.] Caſtigavimus, *& Fennorum nationes.* Venedorum mentio quoque fit Plinio.

Procerum connubiis mixtis.] Conjicio ſic fuiſſe ſcriptum: *Sordes omnium ac torpor. Ceterum connubiis mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur.*

Fennis mira paupertas.] Apud Jornandem involutum atque mendoſum ſcriptorem, Finni inter mitiores Scanziæ cultores enumerantur; *Finni*, inquit, *mitiſſimi.* Quando vero libellus hic à Tacito Germanis dicatus eſt, propter ſtudioſos antiquitatis Germanicæ non poſſum omittere

Finni.

mittere

mittere quin Pauli Diaconi locum explicem huc pertinentem. Is ſtatim in hiſtoriæ Langobardicæ exordio, Scritofinnos inſulæ Scandinaviæ vicinos facit. quanquam illic mendoſe ſcriptum eſt *Scritobini*. Sunt autem hæc illius verba: *Huic*, inquit, *loco Scritofinni* (*ſic enim gens illa nominatur*) *vicini ſunt. qui etiam æſtatis tempore nivibus non carent, nec aliud, ut pote feris ipſis ratione non diſpares, quàm crudis animãtium carnibus veſcuntur. de quorum etiam hirtis pellibus ſibi indumenta coaptant. Hi à ſaliendo, iuxta linguam barbaram, etymologiam ducunt. ſaltibus enim utentes, arte quadam, ligno incurvo ad arcus ſimilitudinem feras aſſequuntur.* Hactenus ille. Non diſſentiunt hæc cum his quæ Tacitus ſcribit, quum inquit, *Sola in ſagittis ſpes. Idemq́ venatus viros pariter ac fœminas alit.* Quod vero dicit de barbaro nominis etymo, facile eſt intelligere Finnis iſtis à faciendo paſſu contigiſſe appellationem. nam *ſchriten* Germanis eſt paſſum facere. Emenda prodigioſe corruptum locum apud Iornandem non longe à principio Gotthicæ hiſtoriæ, ubi ſic habetur in vulgatis editionibus: *Alia vero ibi gẽtes tres Creſennæ.* tu ſcribe: *Aliæ vero ibi gentes Scritofennæ, quæ frumentorum non quæritant victum; ſed carnibus ferarum atque avium vivunt. Vbi tanta paludibus fœtura ponitur, ut & augmentum præſtent generi, & ſatietatem ac copiam genti.*

Scritofinni.

Scritofinni unde ſic dicti.

Vt illis ne voto quidem opus eſſet.] Scripſimus.

opus ſit. Nam vetus editio cum qua noſtram conferebamus, manifeſte habebat, *ut.* Quid ſi Tacitus ſcripſit, *ut illis ne voto quidem opus. Sed cætera jam fabuloſa.*

FINIS.

D. JO-

D. JODOCI WILLICHII RESELLIANI, IN CORNELII TACITI Equitis Romani Germaniam

COMMENTARIA,

Quibus inſertæ ſunt Hiſtoriæ
Zythi Germanici, contra multos ſcriptores;
Succini, contra pleroſq;:
Suevi fluminis contra omnes Geographos.

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISS. PRINCIPI D. SIGISMUNDO MARCHIONI BRENNOPYRgenſi, Stettinenſi, Pomeraniæ, Caſſuborum, Sclavorum, Sileſiæ duci, Burggravio Norici caſtri, &c. domino ſuo clementiſſimo, S. P. D.

PERSIS LEX FUIT INter alias, ut ſinguli ſubditi regi, dum equo veheretur in ſuo regno, munus pro facultate & artis affectione offerrent, ita agricolæ aut fruges, aut earum primitias, opifices ſua opera, neque nimis atrita & prava, neque nimis præcioſa & magnifica, paſtores aut oves, aut boves, vinito-

res villum, pauperiores lactaria opera, lac, palmas, caſeos, maturaq; bellaria ferebant & donabant, eademq; appoſita exeunti regi & equitanti gratiſſima fuerunt munera, neq; alio atque munerum nomine appellabantur. Quare Artaxerxes aquam, quam Sinætas attulit in auream phialam excipere non dedignatus eſt. Sic & Miſes eidem acceptiſſimus fuit dum illi equitanti per Perſidem malum Punicum, idq; maximum in vanno obtulerat, rex admiratus de horto interrogavit, & gaviſus per ſolem! inquit, homo tali curatione & diligentia poterit etiam civitatem ex parva ampliorem reddere.

Tanta enim fuit ſubditorum in magiſtratum ſuum obſervantia & reverentia, cujus ipſe ſpecimen præbere, quoties non ſtudui, ſed nunquam mihi munuſculum tanto principe dignum fuit, & ſicut Muſicam non tantopere adamat, qui ejuſdem vim vel primis labris non deguſtarit, & ut ille ait,

Laudat venales qui vult protrudere merces.

Ita ego libellum ſed paucis Illuſtriſſime & generoſiſſime Princeps de meliore nota commendabo, ut tibi gratior foret, quàm Perſarum hujus aqua, illius malum Punicum olim fuerat. Cornelius Tacitus eques Romanus eodem modo deſcripſit, quo locos depingendæ regionis Rhetores docent. Sunt enim in principio limites conſtituendi, quibus terminales fluvij adijciuntur. Mox non origo tantum, eaq; non ex fabulis, ſed ex ſacris & prophanis hiſtorijs ſubditur, ſed & ſucceſſio magiſtratus à quopiam cui plus ocij eſſet, uſq; ad noſtra tempora ſure-

ra ſurrogaretur? Nunc de Germanorum etymo, ãjsq; genialibus, peregrinorumq; ducum adventu, ut primordia ejuſdẽ certius exquirerentur, diſſerit, unde Germanos indigenas eſſe, tum ex hiſtoriis, tum ex ſimili corporum habitu comprobat. Hinc nativarum rerum veluti armentorũ & pecorum copia (cum nulla ſub id tempus fuerant metalla neq; ararια, neq; plumbaria, neq; argentaria, neq; auraria) accedit. Numos quidem habebant, ſed qui Belgis vicini erant, bigatos & ſerratos, & cum ferraria non aderant, facillime de eorundem armatura, & de alijs deſcribendarum regionum capitibus quis inditium faceret, quibus adjolutis tanquam communibus toti Germaniæ ſingulas nationes ejusdem ordine geographico recenſet, in quibus ſingularia facta & mores non neglexit. Itaque hic libellus propter exemplum depingendorum regnorum magnopere expetendus eſt. Sunt & hodie non pauci, qui quaſdam regiones adumbrare ſibi permiſerunt, ſed ſi Tacitum ſecuti fuiſſent, longe commodius & diſpoſuiſſent & explicaſſent. Tacitus autem non ſolum tabulis regionum, quas Romani in ſenatu ſtudioſiſſime propter imperij amplitudinem conſervabant, uſus eſt, ſed & ipſe multa perluſtravit & audita & viſa, præſertim ſub Veſpaſiano refert, cum Belgarum, qui hodie omnes in Germanorum appellationem venerunt, præſes fuerat. Tabulis quoque chorographicis iјsdem Plinium Secundum, Livium, Melam, & Florum, & ex Græcis Ptolomeum & Arrhianũ, tanquam iisdem fundamentis niti videmus. Quare de ejus fide dubitandum non eſt, qui dili-

 genter

genter fabuloſa à certis & exploratis diſcernit. Deinde ſi hiſtoriarum lectio in principibus propter res geſtas requiritur, quanto magis Germaniæ deſcriptio in Germanis expetenda eſt. Vix dici poteſt ut jucundum ſit, mores veterum & recentiorum in legibus tam civilibus, quàm œconomicis & ſtudiis inter ſeſe conferre, Gentiles ſane Germani, & ſi magis bello dediti erant quàm agriculturæ, tamen longe honeſtiorem vitam vixerunt, atq; vel hodie nos qui ſalutamur Chriſtiani. Illi enim fœnus ignorabant, illi fidem matrimonij religoſe ſervabant, illi in contractibus ſimplices, candidiq; fuerunt. Contra hodie nobis ſunt tot uſurarij quadruplatoribus peiores, tot adulteria etiam impunita, tot & tantæ in negociatione fraudes ſunt, ut vix quiſpiam aut mente concipere aut verbis aſſequi poſſit. Inculta quidem ſub id tempus fuit terra, ſed incolæ erant moratiores, Poſtquam autem Gregoriana lege imperium Romanum ad Germanos translatum erat, ut excultiſſima facta eſt, urbibus, ædibus, arcibus & agris, ita per diverſarum gentium colluvie vicia ſuppullularunt, non aliter ac Romæ de Græcorum malemoratorum conſuetudine querela fuit. Porrò neq; compluriums hiſtoriarum lectio uſui eſſe poteſt, niſi quis regionum & populorum nomina ad noſtratia probe collata tenuerit. Perſpice juxta mecum, optime Princeps, vel quoſdam tuos ſubditos, quosnam alios credis Angrivarios propter bellicam artem laudatiſſimos eſſe, quàm Angermundos, quos antiquitatis ignari neſcio à qua picea ſylva derivare conati ſunt. Eſt autem Angermundum vetuſtius multorum

torum

torum opinione oppidum Caroli Cæſaris opus valde in arce editiori inſigne & ſacellum. Quinam ſunt Langobardi, quibus à promiſſa barba nomen inditum eſt, alij quàm quidam veteres Marchici cum ſubditis ducatus Luneburgenſis, atq; Inſubres eorundem virtutem mutato nomine à novis incolis & victoribus adhuc teſtificantur. Verùm hæc incerta quis eſſe judicaret, & quiſpiam me tuis aliquid auribus dare judicaret, accerſamus & Suevos Semnonas, eosq; tuos ſubditos, quos ab Angrivariis citra Albim usq; ad Suevum fluvium Ptolomæus conſtituit, eosq; nemo homo candidus, & modice peritus alios faciet, atq; epiſcopatus Havelsbergenſis, Prignitij, ducatus Rappinenſis, totiusq; Havellandiæ incolas, qui à Tacito noſtro & vetuſtiſſimi, & nobiliſſimi commemorantur, imò inter hos caput Suevorum cenſetur, eorumq; potentiam Julius Cæſar explicat. Suevorum, inquit, gens eſt, longe maxima & bellicoſiſſima omnium Germanorum, centum pagos habere dicuntur. quorum Eutropius, Oroſiusq; meminerunt, eosq; propter rei militaris peritiam & virtutem, nemo ſibi unquam optavit hoſtes. Quiſnam Julium Cæſarem, cum pro Ubiorum tutela Rhenum ponte junxerat, Arioviſtum regem repulerat, aliosq; Germanos deinceps ſubjugaturus, retinuit alius, atq; fama adventus horum Suevorum exercitus, quæ cum ad illum manaverat, exuſto ponte, ut perſequendi occaſio ſubita præriperetur, domum reverſus eſt? Quidnam apud hiſtoriographos de rebus geſtis illuſtribus perciperes, niſi hos tuos Marchicos caperes? Dic quæſo quando

unquam majorem & celebriorem cladem Romani acceperunt, quàm Quintili Vari? qui in Cheruſcorum, cum iiſdem auxilio fuerat, vicini Semnones, agro cum tot legionibus interemptus eſt, atq; D. Auguſtum Cæſarem nunquam in vita ſua petius luxiſſe ſcribitur? Sed quid multis? librum conficerem, ſi veterum horum Suevorum hiſtorias ſub priſcis appellationibus in noſtrum uſum collatis enumerare pergerem. Afferto imperium & avi tui Sigiſmundi, non Sarmatarum tantum, ſed & multorum veterum Germanorum regis, cujus tu & corporis lineamenta, mores, imo & ipſum ingenium ita refers, ut veluti jure hæreditario nomen illius receperis. Hujus enim regnum vel ad ipſos Quados pertinet, ubi Elyſiorum & Marcomannorum pars quædam eſt, quibus adnumera ultra Viſtulam, Gythones, Venedos, Ciſtobocos, Peucinos, Fennos, Baſtarnas, Sudinos, Bodinos, Hamaxobios vetuſtiores Roxolanos, Alanos, & penè ipſos Tauroſcythas, quorũ hiſtorias ſi paſſim vel in tanta barbarie collegeris, tui avi peritiam rei militaris contra immaniſſimos hoſtes, autoritatem, fortunam & virtutem ſupra modum admirabere. Adeo refert propter aptiorem rerum olim geſtarum cognitionem Taciti Germaniam noviſſe. Sit tibi & exemplo Joachimus alter inter Septemviros prudentiſſimus, cujus mores aſſidue tanquam in ſpecula contemplator, credasq; tibi à patre vere olim quod ab Ænea Virgiliano Aſcanio dictum competere, utpote,

Diſce ex me virtutem.

Quid enim quæſo & admirabilius & præſtantius

eſſe potuit, quod in tantis turbis & tumultibus totius Germaniæ proximis ſola Marchia bellum experta non ſit? Itaque puritas religionis contra multos Syçophantas in altißima pace conſervata eſt. Matrem quoq; eamq; reginam præſtantißimis & corporis & animi dotibus præditam, unde haud parum ſalutis tibi ſperandum erit, honorabis, & nos deum Opt. Max. ſedulo invocabimus, ut is tua, tuorumq; pia conſilia & incœpta fortunaret. Eſt enim cor regis juxta Prophetam in manu domini, atq; voluntatem noſtram in huius libelli explicatione boni conſulito, quem & ſcholijs & juſtis commentarijs ad miraculum usq; docti Beatus Rhenanus, Alciathus, & Althamerus planum facere omnibus non dedignati ſunt, quibus & magna gratia habenda eſt, quod & ſuam patriam excolere, & nobis veterum monumenta obſcuriora dilucida reddere conati ſunt. Bene valeat Celſ. T. Ex Academia Francofordiana tua, cuius tu cum patre tuo liberaliſſimus Mecœnas fortunante Deo futurus ſis.

Celſ. T.

addictiſſ.

Jodocus Willichius Reſellianus.

P. CORNELII TACITI, EQUITIS ROMANI LIBELLUS, DE SITU, MORIbus, & populis Germanorum.

PRIOR GERMANIAE DESCRIptio & communis.

GERMANIA omnis à Gallis Rhætiſq́, & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Daciſq́, mutuo metu aut montibus ſeparatur, Cætera Oceanus ambit, latos ſinus & Inſularum immenſa ſpacia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac Regibus, quos bellum aperuit.

I.

DE LIMITIBUS GERMAniæ.

GErmaniæ amplitudo intra certos limites deſignatur, nunc Orientalem, ubi eſt Sarmatia, id eſt, interior Polonia ultra Viſtulam, & Dacia Carpatho monti incumbens, quæ nobis bona ex parte Vvallachia eſt, nunc Occidentalem, ubi eſt Gallia, præſertim Belgica, & Rhætiæ, tam prima quàm ſecunda, in qua hodie florent Avares, & Suevi, Nunc Meridionalem, ubi ſunt Pannoniæ, & ſuperior, quæ Oſtria, & inſe-

inferior, quæ Hungaria eſt cum Danubio fluvio, qui utranq; perluit, ſicut & Rhetiam ſecundam videlicet Ripenſem, nunc Septentrionalem, ubi eſt Oceanus ſeptentrionalis, qui nominatur modo Germanicus, modo *Sueuicus*, in quo videtur multitudo & ſinuū & inſularum, veluti ſi quis à Viſtula usq;, id eſt limite Orientali numerarit, occurret *Venedicus*, ubi eſt mons Regius Boruſſiæ, *Codanus* à quo eſt Codanum, vulgò & corruptè, ut fit, Gedanum & Dantiſcum. *Pucicus*, circa Dantiſci confinia, ubi quoq; ſuccinum colligitur, *Pomeranicus* juxta Sidenorum tractum, qui nobis hodie ſunt Stedinenſes. Hamburgēſis, juxta Albis oſtium, ubi & æſtuária quotidie videntur, & ſic Occidentis terminum usq; pergendum eſt. Inſulæ quoq; plurimæ repertæ, vel bello, vel propagatione gentiū, vel rerum promercalium indagine, veluti in ſinu, qui eſt & à Finlandia Finlandicus ab ortu, ſic & ab Occaſu, à Suetia Sueticus, ubi eſt Nepria, in Balthico ſunt Oonææ, Oxilia, Gotthia, Elandia, Bernholmū, Fionia, Jaro, Foſen, unde maxima Aſellorū copia in multas regiones defertur. Hi ſanè limites Taciti tempore cōſtituti duabus de cauſis ſunt. Prior eſt mutuus metus propter bellacitatem Germanorum. Poſterior eſt munitio locorū nativa, qualis eſt tum in maximis fluminibus, tum in æditioribus montibus. Tacitus autem ſui tēporis rationē ſecutus eſt, qui ſub Adriano, hoc eſt, circiter centeſimum & viceſimum annum, poſt natum Chriſtum floruit. Quare conſultius propter diverſarum ſententiarum reconcilia-

opus ſit. Nam vetus editio cum qua noſtram conferebamus, manifeſte habebat, *ut.* Quid ſi Tacitus ſcripſit, *ut illis ne voto quidem opus. Sed cætera jam fabuloſa.*

FINIS.

D. JO-

D. JODOCI WILLICHII RESELLIANI, IN CORNELII TACITI Equitis Romani Germaniam

COMMENTARIA,

Quibus inſertæ ſunt Hiſtoriæ
Zythi Germanici, contra multos ſcriptores;
Succini, contra pleroſq;:
Suevi fluminis contra omnes Geographos.

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISS. PRINCIPI D. SIGISMUNDO MARCHIONI BRENNOPYRGENſI, Stettinenſi, Pomeraniæ, Caſſuborum, Sclavorum, Sileſiæ duci, Burggravio Norici caſtri, &c. domino ſuo clementiſſimo, S. P. D.

PERSIS LEX FUIT INter alias, ut ſinguli ſubditi regi, dum equo veheretur in ſuo regno, munus pro facultate & artis affectione offerrent, ita agricolæ aut fruges, aut earum primitias, opifices ſua opera, neque nimis atrita & prava, neque nimis precioſa & magnifica, paſtores aut oves, aut boves, vinito-

res villæm, pauperiores lactaria opera, lac, pal[illegible] caſeos, maturaq; bellaria ferebant & don[illegible] eadem appoſita exeuntiregi & equitanti gratiſſima fuerunt munera, neq; alio atque munerum nomine appellabantur. Quare Artaxerxes aquam, quam Sinætas attulit in auream phialam excipere non dedignatus eſt. Sic & Miſes eidem acceptiſſimus fuit dum illi equitanti per Perſidem malum Punicum, idq; maximum in vanno obtulerat, rex admiratus de horto interrogavit, & gaviſus per ſolem! inquit, homo tali curatione & diligentia poterit etiam civitatem ex parva ampliorem reddere.

Tanta enim fuit ſubditorum in magiſtratum ſuum obſervantia & reverentia, cujus ipſe ſpecimen præbere, quoties non ſtudui, ſed nunquam mihi munuſculum tanto principe dignum fuit, & ſicut Muſicam non tantopere adamat, qui ejuſdem vim vel primis labris non deguſtarit, & ut ille ait,

Laudat venales qui vult protrudere merces.

Ita ego libellum ſed paucis Illuſtriſſime & generoſiſſime Princeps de meliore nota commendabo, ut tibi gratior foret, quàm Perſarum hujus aqua, illius malum Punicum olim fuerat. Cornelius Tacitus eques Romanus eodem modo deſcripſit, quo locos depingendæ regionis Rhetores docent. Sunt enim in principio limites conſtituendi, quibus terminales fluvij adijciuntur. Mox non origo tantum, eaq; non ex fabulis, ſed ex ſacris & prophanis hiſtorijs ſubditur, ſed & ſucceſſio magiſtratus à quopiam cui plus otij eſſet, usq; ad noſtra tempora ſure-

ra ſurrogaretur? Nunc de Germanorum etymo, dyſq; genialibus, peregrinorumq; ducum adventu, ut primordia ejuſdē certius exquirerentur, diſſerit, unde Germanos indigenas eſſe, tum ex hiſtoriis, tum ex ſimili corporum habitu comprobat. Hinc nativarum rerum veluti armentorū & pecorum copia (cum nulla ſub id tempus fuerant metalla neq; æraria, neq; plumbaria, neq; argentaria, neq; auraria) accedit. Numos quidem habebant, ſed qui Belgis vicini erant, bigatos & ſerratos, & cum ferraria non aderant, facillime de eorundem armatura, & de alijs deſcribendarum regionum capitibus quis initium faceret, quibus adjunctis tanquam communibus toti Germaniæ ſingulas nationes ejusdem ordine geographico recenſet, in quibus ſingularia facta & mores non neglexit. Itaque hic libellus propter exemplum depingendorum regnorum magnopere expetendus eſt. Sunt & hodie non pauci, qui quaſdam regiones adumbrare ſibi permiſerunt, ſed ſi Tacitum ſecuti fuiſſent, longe commodius & diſpoſuiſſent & explicaſſent. Tacitus autem non ſolum tabulis regionum, quas Romani in ſenatu ſtudioſiſſime propter imperij amplitudinem conſervabant, uſus eſt, ſed & ipſe multa perluſtravit & audita & viſa, præſertim ſub Veſpaſiano refert, cum Belgarum, qui hodie omnes in Germanorum appellationem venerunt, præſes fuerat. Tabulis quoque chorographicis iiſdem Plinium Secundum, Livium, Melam, & Florum, & ex Græcis Ptolomæum & Arrhianū, tanquam iiſdem fundamentis niti videmus. Quare de ejus fide dubitandum non eſt, qui dili-

genter fabuloſa à certis & exploratis diſcernit. Deinde ſi hiſtoriarum lectio in principibus propter res geſtas requiritur, quanto magis Germaniæ deſcriptio in Germanis expetenda eſt. Vix dici poteſt ut jucundum ſit, mores veterum & recentiorum in legibus tam civilibus, quàm œconomicis & ſtudijs inter ſeſe conferre. Gentiles ſane Germani, & ſi magis bello dediti erant quàm agriculturæ, tamen longe honeſtiorem vitam vixerunt, atq; vel hodie nos qui ſalutamur Chriſtiani. Illi enim fœnus ignorabant, illi fidem matrimonij religoſe ſervabant, illi in contractibus ſimplices, candidiq́; fuerunt. Contra hodie nobis ſunt tot uſurarij quadruplatoribus peiores, tot adulteria etiam impunita, tot & tantæ in negociatione fraudes ſunt, ut vix quiſpiam aut mente concipere aut verbis aſſequi poſſit. Inculta quidem ſub id tempus fuit terra, ſed incolæ erant moratiores. Poſtquam autem Gregoriana lege imperium Romanum ad Germanos translatum erat, ut excultiſſima facta eſt, urbibus, ædibus, arcibus & agris, ita per diverſarum gentium colluvie vicia ſuppullularunt, non aliter ac Romæ de Græcorum malemoratorum conſuetudine querela fuit. Porrò neq; complurium hiſtoriarum lectio uſui eſſe poteſt, niſi quis regionum & populorum nomina ad noſtratia probe collata tenuerit. Perſpice juxta mecum, optime Princeps, vel quoſdam tuos ſubditos, quosnam alios credis Angrivarios propter bellicam artem laudatiſſimos eſſe, quàm Angermundos, quos antiquitatis ignari neſcio à qua picea ſylva derivare conati ſunt. Eſt autem Angermundum vetuſtius mul-

torum

torum opinione oppidum Caroli Cæſaris opus valde in arce editiori inſigne & ſacellum. Quinam ſunt Langobardi, quibus à promiſſa barba nomen inditum eſt, alij quàm quidam veteres Marchici cum ſubditis ducatus Luneburgenſis, atq; Inſubres eorundem virtutem mutato nomine à novis incolis & victoribus adhuc teſtificantur. Verùm hæc incerta quis eſſe judicaret, & quiſpiam me tuis aliquid auribus dare judicaret, acceſſamus & Suevos Semnonas, eosq; tuos ſubditos, quos ab Angrivariis citra Albim usq; ad Suevum fluvium Ptolomæus conſtituit, eosq; nemo homo candidus, & modice peritus alios faciet, atq; episcopatus Havelsbergenſis, Prignitij, ducatus Rappinenſis, totiusq; Havellandiæ incolas, qui à Tacito noſtro & vetuſtiſſimi, & nobiliſſimi commemorantur, imò inter hos caput Suevorum cenſetur, eorumq; potentiam Julius Cæſar explicat. Suevorum, inquit, gens eſt, longe maxima & bellicoſiſſima omnium Germanorum, centum pagos habere dicuntur. quorum Eutropius, Oroſiusq; meminerunt, eosq; propter rei militaris peritiam & virtutem, nemo ſibi unquam optavit hoſtes. Quiſnam Julium Cæſarem, cum pro Ubiorum tutela Rhenum ponte junxerat, Arioviſtum regem repulerat, aliosq; Germanos deinceps ſubjugaturus, retinuit alius, atq; fama adventus horum Suevorum exercitus, quæ cum ad illum manaverat, exuſto ponte, ut perſequendi occaſio ſubita præriperetur, domum reverſus eſt? Quidnam apud hiſtoriographos de rebus geſtis illuſtribus perciperes, niſi hos tuos Marchicos caperes? Dic quæſo quando

unquam majorem & celebriorem cladem Romani acceperunt, quàm Quintili Vari? qui in Cheruſcorum, cum iiſdem auxilio fuerat, vicini Semnones, agro cum tot legionibus interemptus eſt, atq; D. Auguſtum Cæſarem nunquam in vita ſua pejus luxiſſe ſcribitur? Sed quid multis? librum conficerem, ſi veterum horum Suevorum hiſtorias ſub priſcis appellationibus in noſtrum uſum collatis enumerare pergerem. Afferto imperium & avi tui Sigiſmundi, non Sarmatarum tantum, ſed & multorum veterum Germanorum regis, cujus tu & corporis lineamenta, mores, imo & ipſum ingenium ita refers, ut veluti jure hæreditario nomen illius receperis. Hujus enim regnũm vel ad ipſos Quados pertinet, ubi Elyſiorum & Marcomannorum pars quædam eſt, quibus adnumera ultra Viſtulam, Gythones, Venedos, Ciſtobocos, Peucinos, Fennos, Baſtarnas, Sudinos, Bodinos, Hamaxobios vetuſtiores Roxolanos, Alanos, & penè ipſos Tauroſcythas, quorũ hiſtorias ſi paſſim vel in tanta barbariæ collegeris, tui avi peritiam rei militaris contra immaniſſimos hoſtes, autoritatem, fortunam & virtutem ſupra modum admirabere. Adeo refert propter aptiorem rerum olim geſtarum cognitionem Taciti Germaniam noviſſe. Sit tibi & exemplo Joachimus alter inter Septemviros prudentiſſimus, cujus mores aſſidue tanquam in ſpecula contemplator, credasq; tibi à patre vere olim quod ab AEnea Virgiliano Aſcanio dictum competere, utpote,

Diſce ex me virtutem.

Quid enim quæſo & admirabilius & præſtantius eſſe

eſſe potuit, quod in tantis turbis & tumultibus totius Germaniæ proximis ſola Marchia bellum experta non ſit? Itaque puritas religionis contra multos Sycophantas in altiſsima pace conſervata eſt. Matrem quoq; eamq; reginam præſtantiſsimis & corporis & animi dotibus præditam, unde haud parum ſalutis tibi ſperandum erit, honorabis, & nos deum Opt. Max. ſedulo invocabimus, ut is tua, tuorumq; pia conſilia & incœpta fortunaret. Eſt enim cor regis juxta Prophetam in manu domini, atq; voluntatem noſtram in huius libelli explicatione boni conſulito, quem & ſcholijs & juſtis commentarijs ad miraculum usq; docti Beatus Rhenanus, Alciathus, & Althamerius planum facere omnibus non dedignati ſunt, quibus & magna gratia habenda eſt, quod & ſuam patriam excolere, & nobis veterum monumenta obſcuriora dilucida reddere conati ſunt. Bene valeat Celſ. T. Ex Academia Francofordiana tua, cuius tu cum patre tuo liberaliſſimus Mecœnas fortunante Deo futurus ſis.

Celſ. T.

addictiſſ.

Jodocus Willichius Reſellianus.

P. CORNELII TACITI, EQUITIS ROMANI LIBELLUS, DE SITU, MORIbus, & populis Germanorum.

PRIOR GERMANIAE DESCRIptio & communis.

GERMANIA omnis à Gallis Rhætiisq́; & Pannoniis, Rheno & Danubio fluminibus, à Sarmatis Daciisq́; mutuo metu aut montibus ſeparatur. Cætera Oceanus ambit, latos ſinus & Inſularum immenſa ſpacia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac Regibus, quos bellum aperuit.

I.

DE LIMITIBUS GERMANIÆ.

GErmaniæ amplitudo intra certos limites deſignatur, nunc Orientalem, ubi eſt Sarmatia, id eſt, interior Polonia ultra Viſtulam, & Dacia Carpatho monti incumbens, quæ nobis bona ex parte Vvallachia eſt, nunc Occidentalem, ubi eſt Gallia, præſertim Belgica, & Rhætiæ, tam prima quàm ſecunda, in qua hodie florent Avares, & Suevi, Nunc Meridionalem, ubi ſunt Pannoniæ, & ſuperior, quæ Oſtria, & inſe-

inferior,quæ Hungaria eſt cum Danubio fluvio, qui utranq; perluit,ſicut & Rhetiam ſecundam videlicet Ripenſem,nunc Septentrionalem,ubi eſt Oceanus ſeptentrionalis, qui nominatur modo Germanicus, modo *Suevicus*,in quo videtur multitudo & ſinuũ & inſularum , veluti ſi quis à Viſtula usq;, id eſt limite Orientali numerarit, occurret *Venedicus*,ubi eſt mons Regius Boruſſiæ, *Codanus* à quo eſt Codanum, vulgò & corruptè, ut fit, Gedanum & Dantiſcum. *Pucicus*, circa Dantiſci confinia,ubi quoq; ſuccinum colligitur, *Pomeranicus* juxta Sidenorum tractum, qui nobis hodie ſunt Stedinenſes. Hamburgẽſis, juxta Albis oſtium,ubi & æſtuaria quotidie videntur, & ſic Occidentis terminum usq; pergendum eſt. Inſulæ quoq; plurimæ repertæ,vel bello,vel propagatione gentiũ, vel rerum promercalium indagine, veluti in ſinu, qui eſt & à Finlandia Finlandicus ab ortu,ſic & ab Occaſu, à Suetia Sueticus,ubi eſt Nepria,in Balthico ſunt Oonææ, Oxilia, Gotthia, Elandia, Bernholmũ, Fionia, Jaro, Foſen, unde maxima Aſellorũ copia in multas regiones defertur. Hi ſanè limites Taciti tempore cõſtituti duabus de cauſis ſunt. Prior eſt mutuus metus propter bellacitatem Germanorum. Poſterior eſt munitio locorũ nativa, qualis eſt tum in maximis fluminibus, tum in æditioribus montibus. Tacitus autem ſui tẽporis rationẽ ſecutus eſt, qui ſub Adriano, hoc eſt, circiter centeſimum & viceſimum annum, poſt natum Chriſtum floruit. Quare conſultius propter diverſarum ſententiarum reconcilia-

tionem

tionem eſt, ab ætate triplicem Germaniam præſcribere. Nam ſubinde ejus termini, ut pleruſque fit in rebus humanis, commutati ſunt. Sit igitur Vetus, Media, & recens. Vetus eſſet nobis Beroſiana. Is enim plurimum ab aliis variat, cum tercentum annos ante natum Chriſtum vixerat, & Germaniæ amplitudinem his verbis complexus eſt, *Regna*, inquit, *ab hoc anno ſalutis humanæ tunc magna habebantur. In Aſia quidē noſtrum omnium celſiſſ. Babylonicum, in Aphrica Aegyptium & Libycum. Poſtremo in Europa, 4. noſtri numerant, Celtiberū, Celtæ, Kytim, quod illæ gentes Italicum appellant, & Tuyſconum, quod à Rheno per Sarmatas in Pontum finit.* Verum hæc de longitudine Germaniæ ſatis ſunt dilucida, nimirum ut limes orientalis ſit Pontus & Tanais, Occidentalis, Rhenus ipſe. Latitudo quoque eſt manifeſta. *In Europa*, inquit, *Sarmatiæ regem fecerunt Tuiſconem n Tanai ad Rhenū, junctiq; ſunt illi omnes filii Iſtri, & Mæſæ cum fratribus ſuis ab Adula monte uſq; in Meſembericam Ponticam. Sub his tenuerunt Tyras, Arcadius, Aemathius.* Ex qua ſanè verborum ſerie eadem quæ antea fuit longitudo ſeptentrionalis colligitur, cui adjicitur & latitudo meridionalis (Sic enim utrinq; terminos extremos comprehendit) quæ tum Danubios, id eſt, Danubii accolas usq; ad ejus fontem qui eſt Adula, tum Mæſos, tam ſuperiores quàm inferiores, hoc eſt, Valachos, Boſſinos, & Bulgaros continet. His quoq; Tyrios & Thracas, quibus author fuit Tyras, & Arcadas, ab Arcadio, & Æmathios

ab

ab Æmathio dictos adjecit, & ad Ponticã Meſembriam usq; pertinet, id eſt, ad Meſembriam Thraciæ civitatem, in Ponti Euxini littore ſitã, olim Menembriam, à Meno conditore, & Thracica lingua Bria, quæ eſt civitas, juxta Strabonem, cui & Stephanus nonnihil ſuffragatur, dictam, quæ & hodie, ſed corruptè, ut fit in tanta barbarie, Meſſember nominatur. Ea verò Germaniæ Beroſianæ dignoſcitur ad cardines mundi amplitudo, & ſi quis tempus obſervaturus ejusdem eſſet, à diluvio annum 155. jam inde ab initio mundi 1812. juxta calculum veriorem inveniet.

Cæterum media Germania eſt Corneliana ſeu Ptolomaica, ſeu Pliniana, à qua Strabonis non admodum variat, qui Chriſti tempore floruit, ſicut Tacitus, Ptolomæus, & Plinius penè coætanei fuerunt, quæ cum ſatis ex ipſis authoribus nota ſit, cur repetatur operæ precium eſſe non video. Id verò non ſic accipiendum eſt, ut flumina ſint ſtricti limites. Nam utramq; ripam eorundem accipit. Itaq; ultra Viſtulam, Varinos, Venedos, ſub quibus eſt in Boruſſia patria mea Reſellium, & Epiſcopatus Heylſpergenſis, Peucinos & Baſtarnas, in quorum tractu eſt Boriſthenes, connumerat. Eodem modo ulteriorem Rheni partem capit, dum Treviros, Nervios, Vangiones, Tribocos, Nemetas, Ubios, Batavos, Mattiacos & alios recenſet. Sic ultra Oceanum Eſſluos atque Fennos habet. Quare pleroſq; limites propter proximam viciniam civiliter capere oportet.

Porrò

Porrò recens Germania quæ noſtra eſt memoria uſitatior ultra Rhenum eatenus eſt extenſa, ut omnes Belgas, quibus tum & olim cōmune cum Germanis Celtarum erat nomen, usque ad Alpes Tridentinas contineat. Ita quoq; ultra Viſtulam ortum verſus usque ad Scythas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet. Germanos quoq; eſſe Carpathi accolas haud ignoramus. Quapropter Germaniam duplicem fecerunt nonnulli ſcriptores, atq; Irenæus epiſcopus Lugdunenſis vetus author, & Apoſtolorum temporibus vicinus, Germaniæ cis Rhenanæ meminit, ut quæ ſua ætate Eccleſias haberet Chriſti profeſſione inſignes. Ita Transrhenanam Germaniam & Tacitus, & Ammianus Marcellinus agnoſcunt. Ptolomæus quoq; Germaniam triplicem fecit, unam quidem inferiorem, quæ patet intra Moſam & Rhenum usque ad Obrincam, id eſt, Moſellam, ubi ſunt Menapii, Batavi, Agrippinenſes, & alii loci finitimi. Alteram verò ſuperiorem intra Obrincā & Rhenum usque ad Juraſſum montem, quo loci ſunt Nemeti, Treviri, Vangiones, Triboci, Leuci, Raurici & Helvetii. Tertiam nominat magnam, quæ quicquid terrarum intra Rhenū & Viſtulam eſt, capit. Hic verò plerumq; controverſia naſcitur, num Scythæ ſint Germani? ad rogatum quis reſponderet, Scythas Europæos juxta Beroſianam delineationem, à Germanis non eſſe excludendos, quibus ultra Tanaim & paludem Mœotida vicini erant. Alii Scythæ Aſiatici, tam intra Imaum, quàm extra Imaum

mon-

montem, quos nemo finibus Germaniæ etiam vetuſtiſſimæ concluderet. Hi autem ſunt contra quos Alexander Magnus decertavit, ſed nō vicit.

Rhenus Rhæticarum alpium inacceſſo ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem verſus, Septentrionali Oceano miſcetur.

Danubius molli & clementer edito montis Abnobæ jugo effuſus, plures populos adit, donec in Ponticum mare ſex meatibus erumpat, ſeptimum enim os paludibus hauritur.

II.

DE DUOBUS GERMANIAE Fluminibus celebrioribus, & terminalibus.

PORrò inter Germaniæ flumina primas tenent, tum propter vicinas gentes, quibus ferè perpetua erant cum Germanis bella, tum propter limites, qui plerisque ſunt notiores, de quorum utroq; eſt dictum quoddam Germanicum, in quo Danubius mulieri, & Rhenus marito confertur.

Die Donaw iſt aller Waſſer eine Fraw
Aber der Rhein mag mit ehren wol jhr Man
ſein.

Cæterum de fonte Rheni eſt haud parva inter authores controverſia. Hic ejus fons eſt in excelſo vertice Rhæticarū Alpium, Cæſar verò eundem ex Lepontiis ſcaturire aſſerit. Sic Strabo in Adula monte fontem ſtatuít, qui hodie ab accolis *Etzel* nominatur. Neq; refragatur Pto- *Rhein.*

lomæus his verbis, καὶ ἔτι τοῦ ἀπὸ τῆς πηγῆς ἐπὶ τὰς ἄλπεις ὄρει, ὃ καλεῖται ἀδοῦλας ὄρος. Pomponius tamen Mela aliquanto luculentius, quem ſub Claudio Imperatore floruiſſe non dubito, deſcribit, *Rhenus*, inquit, *ab Alpibus decidens, prope à capite duos efficit lacus, Venetum, & Acroniū. Mox diu ſolidus certoq; alveo lapſus, haud procul mari huc & illuc diſpergitur.* Neſcio cur Strabo ſit diligentior ſolito inter Græcos ſcriptores cū & populos Rhenanos, accolas, item longitudinis & latitudinis terminos connumerat. Hodie tamen multi exactius rimati ſunt, & veteres quodam modo conciliari poſſunt. Eſt enim in ſummis alpibus mons S. Gotthardi dictus, cui ita Adulas mons connectitur, continenti quidē jugo, ut ſit ſummarum Alpium veluti brachiū, aut cornu, ibi Rheni initium fit, ut pote ab Orientali earum parte, ubi Adulæ monti conjungitur, & Lepontii (vulgò *die Graupuntur*) habitant, & ibidem duo exiſtunt fontes, Vnus, ut minimum, diei itinere propter montium juga diſtat. Alter eſt magis occiduus, magisq; ſeptentrionalis, non ita longè à Ticini fontibus. Hodie nominatur ille Rhenus anterior, hic poſterior, ſicut & in tabula Ægidii Tſchudi cernitur, Verum dum ad occidentem modicum flexum agnoſcit, potius quis hunc ad ortum ſtatueret. Nam per vallem Ætuatiorum (vulgò hodie *Tavetſch*) ad ortum currit, ubi hodie ſunt Canini, aut juxta vulgus *Gryſones.* Labitur ſic usq; ad inſignem pagum Spelucam, per Schamis &

Altam Rhætiam (ſic enim arcem in excelſiſſimo monte ſitam nominant) prope pagum Tuſcanum, ubi fluvium Albellam ab ortu contrario curſu lapſum à dextris excipit. Verùm cum hæc & multò plura ab aliis recentioribus rerum Germanicarum ſcriptoribus adnotata ſunt, prudens omitto. Nomen autem Rheni Germanicum eſſe *von dem Rhinnen*, quòd eſt fluere, plærisque conſtat.

Danubius, *die Donaw*, à montibus Abnobæ vulgò *die Baar*, oritur. Nam plærique veteres & nonnulli recentiores, ibidem ejus fontem ſtatuunt ad Doneſchingum, per Suevos, Bavaros, Oſtriacos, Ungaros, Valachos & alios in mare Euxinum exoneratur. Meo autem judicio eſſet Danubius *die Don hinab*, ſicut Menapii ſunt, *den Men hinab*. Neque damnandi adeo ſunt veteres inter quos eſt Herodotus, cujus ſententià apud Celtas oritur, & Ariſtoteles idē refert, ἐκ δὲ τῆς πυρήνης (τοῦτο δὲ ὄρος πρὸς δυσμὴν ἰσημερινὴν ἐν τῇ κελτικῇ) ῥέουσιν ὅ τε ἴστρος καὶ ὁ ταρτησσὸς, οὗτος μὲν οὖν ἔξω στηλῶν, ὁ δὲ ἴστρος δι᾽ ὅλης τῆς εὐρώπης εἰς τὸν εὔξεινον πόντον. Sic traditur ut ex Pyrenæo monte ſcaturiat Danubius, qui perluit hinc totam Europam. Septem enim hoſtiis, ut ſcribitur, Pontum Euxinum ſubit. Altera verò parte ejusdem montis Tarteſus, qui extra Herculis columnas profluit. Hic meritò quis de Pyrene addubitaret, cum & Herodotus non montem, ſed urbem ex ea facit, atque hodie ex montibus nō adeo magnis (Strabo enim ῥάχιν μετρίως ὑψηλὴν agno-

Donavv.

Pyreneus mons.

agnoſcit) profluit duobus fontibus, quorum unus eſt *Prygen* ad cœnobiũ Divi Georgii in Hercynia ſylva ſupra Viligam labitur. Alter eſt *Pregen* ſupra Ferenbach oppidum. Neque id in dubium vocari poteſt, quod Galliam Celticam veteres nominarint. Nam Celtarum appellatio & Gallis & Germanis fuit communis, imò Cæſar aſſerit, à Germanis ortos eſſe Celtas. Id cuique veriſimile eſſet, ex proxima utriusque nationis vicinia & confinitio, atque ibidem initium Germaniæ occidentale Strabo præſcripſit his verbis ἄρχεται (Danubius, qui & Iſter eſt) μὲν οὖν ἀπὸ τῶν γερμανικῶν ἀκρῶν τῶν ἑσπερίων. Id quoque mirum mihi videtur, quod Suevos, cum Ptolomæo ſint Rhæti, ad fontem Danubii Strabo collocaverat ὅπου αἱ τοῦ ἴστρου πηγαὶ πλησίον σουήβων καὶ τοῦ ἑρκυνίου δρυμοῦ. Id tamen certum eſt, Suevos hodie eandem partem incolere. Verùm cum Cæſar Rhenum Danubio lib. 4 præferat, non adeo ineptè cum muliere confertur Danubius, nam quoque aquam ſubalbidam eſſe nemo qui vidit addubitare poteſt. Ea autem fit à nimia argillæ, quæ nobis eſt *Than*, copia, vel in ipſo flumine, vel in ejus ripâ. Quare milites dum ſtativa caſtra, aut ad Budam, aut ad Strigonium habebamus, in vaſa aquam eandem excipiebant, mox, dum argilla in fundo ſubſederat, erat potabilis.

Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq́ aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos, quia nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur qui mutare ſedes quærebant, & immenſus ul-

trâ

trà, utq; ſic dixerim adverſus Oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuq;, niſi ſi patria ſit.

Celebrant carminibus antiquis. quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Tuiſconem deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoresq;. Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plures deo ortos pluresq; gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant: eaq; vera & antiqua nomina.

III.

DE PRIMA ORIGINE GERmanorum.

HÆc dicta ſunt de Germaniæ limitibus & terminalibus duobus fluminibus. Nunc & Germanorum primam originem explorat, eosque juxta Tacitum αὐτόχθονας, hoc eſt, *indigenas* eſſe plerique omnes contendunt. Sunt autem hi populi, qui non aliò referunt ſuam originem, ſed ex ipſo ſolo nati videri volunt. quales ſeſe & Athenienſes eſſe gloriantur. Atque hic indigenas finit, ut pote aliarum gentium adventibus & hoſpitiis non commiſtos, idq; quatuor comprobat rationibus, quarum prima eſt, ex conſuetudine quærentium novas ſedes, qui-

agnoſcit) profluit duobus fontibus, quorum unus eſt *Prygen* ad cœnobiũ Divi Georgii in Hercynia ſylva ſupra Viligam labitur. Alter eſt *Pregen* ſupra Ferenbach oppidum. Neque id in dubium vocari poteſt, quod Galliam Celticam veteres nominarint. Nam Celtarum appellatio & Gallis & Germanis fuit communis, imò Cæſar aſſerit, à Germanis ortos eſſe Celtas. Id cuique veriſimile eſſet, ex proxima utriusque nationis vicinia & confinitio, atque ibidem initium Germaniæ occidentale Strabo præſcripſit his verbis ἄρχεται (Danubius, qui & Iſter eſt) μὲν οὖν ἀπὸ τῶν γερμανικῶν ἄκρων τῶν ἑσπερίων. Id quoque mirum mihi videtur, quod Suevos, cum Ptolomæo ſint Rhæti, ad fontem Danubii Strabo collocaverat ὄντες αἰεὶ τοῦ ἱεροῦ πηγαὶ πλησίον σουήβων καὶ τοῦ ἑρκυνίου δρυμοῦ. Id tamen certum eſt, Suevos hodie eandem partem incolere. Verùm cum Cæſar Rhenum Danubio lib. 4. præferat, non adeo ineptè cum muliere confertur Danubius, nam quoque aquam ſubalbidam eſſe nemo qui vidit addubitare poteſt. Ea autem fit à nimia argillæ, quæ nobis eſt *Than*, copia, vel in ipſo flumine, vel in ejus ripa. Quare milites dum ſtativa caſtra, aut ad Budam, aut ad Strigonium habebamus, in vaſa aquam eandem excipiebant, mox, dum argilla in fundo ſubſederat, erat potabilis.

Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos, quia nec terra olim, ſed claſſibus advehebantur qui mutare ſedes quærebant; & immenſus ultrâ

trà, utq; ſic dixerim adverſus Oceanus raris ab orbe noſtro navibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Aſia, aut Africa, aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuq;, niſi ſi patria ſit.

Celebrant carminibus antiquis. quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt, Tuiſconem deum terra editum & filium Mannum, originem gentis conditoresq;. Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Quidam autem licentia vetuſtatis plures deo ortos pluresq; gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Suevos, Vandalos affirmant: eaq; vera & antiqua nomina.

III.

DE PRIMA ORIGINE GERmanorum.

HÆc dicta ſunt de Germaniæ limitibus & terminalibus duobus fluminibus. Nunc & Germanorum primam originem explorat, eoſque juxta Tacitum αὐτόχθονας, hoc eſt, *indigenas* eſſe plerique omnes contendunt. Sunt autem hi populi, qui non aliò referunt ſuam originem, ſed ex ipſo ſolo nati videri volunt, quales ſeſe & Athenienſes eſſe gloriantur. Atque hic indigenas finit, ut pote aliarum gentium adventibus & hoſpitiis non commiſtos, idq; quatuor comprobat rationibus, quarum prima eſt, ex conſuetudine quærentium novas ſedes, qui-

bus iter marinum uſitatius fuit, quàm terreſtre. Secunda eſt proximam confirmans à difficili. Nam Oceanus Germanicus eſt, raro ab aliis gẽtibus aditur, cum ſit immenſus, cum ſit adverſus. Tertia eſt ab inutili, & inamœno. Nam Germanica terra erat ſub id tempus inculta, ergo informis, ergo aſpera, erga odioſa. Idq; abſq; controverſia verum fuit propter Hercyniam ſylvam, quæ adhuc integram bonam Germaniæ partem occuparat, ſed hodie vix ejusdem veſtigia reliqua ſunt, ita exculta eſt non tantum agricultura propter agrorum fertilitatem, ſed etiã civitatum illuſtrium magnificentia, ita ut vix regio aliqua ſit, & excultior, & populoſior. Quarta eſt ab ipſorum Germanorũ teſtimonio. Siquidem cum tardius æquo literarum uſus ad Germanos venerat, annales habebant, veluti quandam χρονολογίαν, non ſcriptis relictam, ſed cantilenis plerumque rhythmicis res geſtas, & tempora celebrabant, quod etiamnum in deſuetudinem non abiit, imò hujusmodi cantilenarum Magiſtri, in quibusdam civitatibus aluntur, qui quamlibet hiſtoriam, aut ſacram aut prophanam, vel ex tempore in ſuas rhythmos atq; certas leges componere, & concinere poſſunt, inter quos ſæpe hujusmodi certamina Muſica conſtituuntur, qui cantilenas nõ niſi ut vocant Magiſtrales, hoc eſt, Magiſterio dignas, (vulgò *die Meyſtergeſenge*) aut propoſitis brabiis, aut pignoribus depoſitis, in publica hominum & auditorum, & ſpectatorum corona, concinunt. Ex iſtiusmodi ſanè carminibus, ceu

Meiſter-Singer.

anna-

annalibus Tuiſconem deum ex ipſa Germanica terra natum (cujus filius fuit Mannus, & hujus rurſus tres filii, Ingævon, Iſtævon, & Hermion, in quos tota Germania diviſa fuit) eſſe conſtat, quibus accenſentur, & alii ut videntur, dii, tanquam ex hoc deo orti, a quibus natæ multorum Germanorum aliæ atq; aliæ appellationes ſunt, ut Marſi, Gambrivii, Vandali. Verùm cum Germanorum Regum nullum, quod equidem ſciam, Chronicum extet, ſylvã eorundem quandam adumbrabo, tum ut cui plus ocii, eandem adaugeat & ſuppleat. Informabo autem bona ex parte ex Beroſo & Hebræis.

I.

DE TUISCONE, PRIMO Rege.

THuyſcon apud Moſem *Aſcenas* dicitur, filius Gomeri primogenitus Sarmatas maximos populos fundavit, autore Beroſo, & ab hoc Germani ſunt Thuyſcones, qui & hodie paſſim, *die Teutſchen* nominantur. Sic à Gomero, poſtquam decimo anno Nimbroti, in Italiã colonias ex Armenia deduxerat, Combri & poſtea Cimbri dicti ſunt, cum ex Italia decedentes Septentrionalia loca petebant, ubi & hodie Cimbrica Cherſoneſus eſt, quã hodie Holſati, & Schondaniani aliquot incolunt. Itaq; ſexto decimo anno, poſt initium regni Italici factum Thuyſcon circiter Nimbroti, qui eſt Saturnus Babylonic⁹, annũ quintũ & viceſimũ regnavit.

De quo ſcribitur, ut Thuyſco Gygas Sarmatas apud Rhenum legibus informaverat.. *Anno Mundi, Ante natū Chriſtum, A diluvio univerſ.*
1812. 2150. 155.

2.

DE MANNO SECUNDO REge Germanorum.

HIc fuit Thuyſconis filius apud Sarmatas Rheni, regnavit anno Semiramidis Nini regis uxoris ſexto, juxta Beroſum, à quo multa nomina vel hodie apud Germanos compoſita ſunt, ut *Hardtman*, à viri robore. *Radtman* vir Senatorius. Sic enim virum *Manni* voce paſſim ſignificant. Porrò ſub id tempus circiter quinque annos antequam Mannus patri ſucceſſerat, Iſis Juno Ægyptia Oſyridis uxor prima frugum inventrix fuit, atque tunc Zythum, quòd à Nili quodam oſtio, Peluſiacum, id eſt, Ægyptium excoctum dicitur. Oſyris autem in Ægypto & Apis, & Serapis dicebatur, ſicut nobis Germanis eſt *Orytz*, & ante Manni imperium circiter quatuordecim annos Abraham ex Tharah natus eſt. Regnavit autem. *Anno Mundi, Ante natum Chriſtum, A diluvio.*
1963 . 1999 306.

3.

DE INGAEVONE, TERTIO Rege Germanorum.

HIc multorum ſententia Manni fuit filius, quē peritū pleriq; fuiſſe ſcribunt, Itaq; ad compri-

comprimendam & refrenandam hominum audaciam & libidinem, Academias, quæ ſunt publica literarum ſtudia, inſtituit. Hujus loci eſt, illud Ovidij,

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Altero poſt hujus regni initium anno vitam cum morte Noah homo afflictiſſimus commutavit. Regnavit autem *Anno*

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluvio.*
2007	1955	350.

Ab hoc autem Germani nonnulli præſertim circa Oceani ſinus habitantes *Ingævones* nominantur, qui Germanorum Etymologia (Nam Latini propter ſuas ἐγκλίσεις ſubinde nomina depravant) ſunt inwoner, qui interiorem Germaniæ partem incolunt, apud Plinium ſunt Wigævones à nomine wig vel wog id eſt, fluctu maris aut fluvij & wonen eſt habitare, nimirum quod ſint littorales & Inſulares propè Oceanũ, quales ſunt Chauci, Cheruſci, Foſi & Cymbri. Ita ab ejus fratre Iſtævone ſunt Iſtævones, apud Plinium Wiſtevones die weitſten woner. Hi ſunt in Rhenum & Danubium remoti. Quapropter Rheni ripam fecerunt olim unam quidem Gallicam, circa quam habitabant Celtæ, Helvetij, Boji, Araviſci, Oſi, Treviri, Nervii, Vangiones, Treboci, Nemetes, Ubii, Batavi. Alteram verò Germanicam appellare ſoliti erant, quam incoluerant Catti, Mattiaci, Uſipii, Tencteri, Bructeri, Chamavi, Angrivarii, Dulgibini, Chaſuarii & Phryſii. Hi omnes Wiſtwoner / ſcilicet *Iſtævones* nominantur. Hic autem Iſtæ-

von circa Oſyridis tempora, populos intra Rhenum & Danubium gubernavit, ſicut & Beroſus meminit.

4.

DE HERMIONE, QUARTO GERmanorum rege.

Hermion Thuyſconum rex, vir armis ferox, quo tempore apud Aſſyrios Aralius & optimo ingenio, & ſtudio militari regnavit, eiusque tam Hermionis, quàm Aralij tempore, Iſaacus à patre offertur, cum eſſet 25. annos natus, juxta Joſephum, & altera promiſſio de omnium gentium in ſemine Abrahami benedictione facta eſt. *Anno*

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluvio.*
2068	1894	411.

Ab hoc ſanè Germani ſunt *Hermiones*, quos Plinius, cum aliquot annos in Germania verſatus ſit, rectius *Herdeuones* appellavit, ſicut Germanis ſunt Herdwoner/ cum ſint Mediterranei als die auff dem harden wonen/ cũ neq; ad Rhenũ neq; ad Danubiũ pertineant, ſed ſunt, qui cõtinentem incolunt. Tales autem numerantur & Suevorum partes, & Danubij quidam accolæ, illic quidem ſunt Semnones, Longobardi, Reudingi, Aviones, Angli, Varini, Endoſes, Suardones, Nuithones. Hic verò ſunt Hermunduri, Nariſci, Marcomanni & Quadi. Hos plagam Germaniæ partem meridioalem, quæ Danubio prætenditur, inhabitaſſe non ita obſcurum,

rum eſt: ſicut infra ſuo loco ſingula patefaciemus.

5.

DE MARSO, QUINTO GERmanorum Rege.

MArſum, ſunt qui & Martem nominant, quem veteres Germani, propter rem militarem, coluiſſe feruntur, unde ſunt *Dictmarſi*, & alij complures ſeptentrionales. Cæterum circa hujus tempora Abraham cum Eſau & Jacobū duodecim annos natos Theologiam docuerat, mortuus eſt annorum 175. Regnavit autem, *Anno*

Mundi	*Ante natum Chriſtum*	*A diluvio.*
2114	1848	457.

6.

DE GAMBRIVIO, SEXTO Germanorum rege.

VIr fuit ferocis animi & invicti apud Thuyſcones regnavit, à quo ſunt nomina Germanis adhuc reliqua *Gamper, Cempher*, qui eſt contentioſus, & rixoſus. Quid ſi & hinc Cimbris inditum eſſet nomen. Tunc autem Bel Ochus Aſſyriorum rex fuit à Belo dictus. Nam in imperio ſuo circa Pontificatum Beli Jovis, & circa auſpicia atq; divinationes occupatus fuit, juxta Beroſum, cum BelOchus eſt Beli amator. Regnavit autem, *Anno*

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluvio.*
2176	1786	519.

7. DE

7.

DE SVEVO THVISCONVM SEptimo rege.

AB hoc Suevi, hodie die Schwaben dicti ſunt. Ejus autem regis patria ſedes ad Carpathum montem, qui ab eodem Suevus nominatur, erat. Imperium quoque ejus fuit ab hoc Suevo uſq; ad Rhenum. Sub hoc autem Iſis Herculis mater in Germaniã venit, quæ poſtea tanquam Dea, præſertim in Helvetiorũ tractu culta eſt. Hercules verò hic Libyus appellatus fuit. Huius quoq; temporibus Tyrannis Buſyridis in Phœnicia illuſtris fuit, atq, tunc *Celtes*, inde κελτῶν appellatio manſit apud Celtas, hoc eſt, Gallos, cum quibuſdam Germanis per montes, quos Pyrenæos à conflagratione ſylvarum dictos nominant, ab Hiſpanis ſeparavit. Uterq; Balei Aſſyriorum regis undecimo anno nono floruit.

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluvio,*
2219	1743	561.

8.

DE VANDALO OCTAVO GERmanorum rege.

TErtia Altadis Aſſyriorum regis anno apud Thuyſcones Vandalus rex fuit, circa cujus tempora Hiſpanus filius Hiſpalis, nepos Herculis ex Celtiberis nomen Hiſpanorum fecit, & *Galatha* Celtæ Galli vocati ſunt, & hinc Ptolomæo *Celtogalatia* eſt. Verùm ab hoc Vandali,

vulgò

vulgò die Wandel vel die Wenden/ orti ſunt, ex quibus hodie florent Poloni, qui Lechitæ, Bohemi qui Zacchi nominantur, Sclavonij, Croatij, quorum reliquiæ ſunt circa Vandalicas civitates Oceani Germanici accolas, velut Lubecum, Roſtochū, Dantiſcum, & alias civitates, quæ etiā nūm Vandalicæ vulgò die Wendiſchen Stätten appellantur. Eſt enim illis eadem lingua, ſed per diverſas regiones ſunt aliæ atque aliæ διάλεκτοι. quales ſunt Græcis & Germanis. Regnavit *anno*

Mundi,	*Ante natum Chriſtum;*	*A diluvio;*
2265	*1697*	*608.*

9.

DE TEVTONE NONO Germanorum rege.

VErum cùm hic apud Thuyſcones Germanos regnaverat, à ſe *Teutones*, à quibus ſunt apud Ptolomæum *Teutonarij*, cognominavit. Sub id tempus Narbon, & non Harbon, ſicut nonnulli legere malunt, in Gallia rex fuit, unde quædam eius pars Narbonenſis dicta, quatuor ante annis Joſeph centum & decem annos natus diem obijt. Regnavit autem *Anno*

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluvio.*
2315	*1647*	*657.*

10.

DE HERCVLE ALEMANNO, DEcimo Germanorum rege.

HIc Thuyſconum rex fuit, cum Pharao, id eſt, Ægyptiacus magiſtratus, quippe Anemophis ſecundus Ægyptiorum rex, edictum de necandis Hebræorum liberis propoſuerat. Hunc tamen Herculem Germani indigetabant, de quo paulo poſt plura. Regnavit *Anno Mundi* 2332 *Ante natum Chriſtum,* 1630 *A diluvio.* 675.

Ad hunc modum quis dextrè & vetuſtiſſimas Hiſtorias. & ſupputationem temporis Hebraicam ſecutus, in Chronologia Germanorum pergeret. Dici nequit, quantum fructus diſcipuli rerum Germanicarum facerent. Siquidem regum ſucceſſio ſic diligentius notaretur, veluti cum Herculi Alemanno patri tres reges ſurrogantur, ut Bojus der Beyer/ Noricus der Nornher, Hunnus der Haun. His ſubſtituuntur, Ingeramus der Jngram, Adologarius, der Adelger, Laërtes der Larein, Ulyſſes der Jſſingk, Brennus der Brenner, vel melius Berno, Hector, der Hykar vel Hechtar, Francus der Franck. His quoque adnumerarentur, Medo primus, Belloueſus, der Baldweys, Sigoueſus Sygweys, Helitonius der Helt, Medo ſecundus, Ciconius der Zecco, Laudinus der Laudin, Lomnorius vel Leonorus, der Lenhart, Lutharius vel Lotharus der Luther, Viridomarus der Wirdtmer,

mer, vel Fridtmayer, Dorulacus der Durlach, Britomarus der Wreumar, Ariouiſtus der Ernveſt, qui à quibusdam *Ernſtus* vocatur, cum ſit prorſus nomen Germanicum, utpote aut glorioſus, aut potius honeſtatis & gloriæ tenax, cujus & in Gallico commentario ſæpè Cæſar meminit, qui cum ejus linguæ ignarus fuerat, multa nomina in Latinarum dictionū formam ſic derivavit, ut pleraque depravaverit ſæpe errore literarum, quæ Græcæ Germanis familiares fuerunt. Quare factum eſt, ut quæ voces ς litera finiunt, illi elementi figura decepti x ſubſtituerunt, ἐρεντρειξ nobis *Erentreich*, hoc eſt, honorabilis, honorandus, honoris dives, illis eſt *Orgentorix*, Sic ex κάστριχ, qui eſt *gaſtreich*, hoſpitalis, *Caſtigum* fecerunt, Sic ex Fριδρειχ nobis *Friedreich*, pacificator, pacis dives, Latini *Fœdericum* à fœdere dictum ſubſtituerunt. Sic apud Plinium Bodomanci ſunt pro *Bodenmangel*, Planaratis pro *plugradt* id eſt, rotis aratri. Hæc & alia, ſi quis attentius obſervaut, multò verius atq; vel Plinius, vel Tacitus, vera & antiqua nomina eſſe affirmabit.

Ceterum Germaniæ vocabulum recens, & nuper additum, quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi Gallos expulerint, nunc Tungri nunc Germani vocati ſint, ita nationis nomen, non gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à ſeipſis invento nomine Germani vocarentur.

IIII. *DE*

IIII.

DE GERMANORVM appellatione.

Porrò hactenus Germani ipſi Thuyſcones Cimbri, Marſi, Gambrivij, Suevi, Vandali, Tungri, & hujusmodi dicti ſunt, ſed ex Teutonibus primi *Tungri* in Gallias tranſmiſſo Rheno irruperunt, quas pulſis incolis occupatas etiamnum retinent, iisdem ſedem Ptolomæus intra Tabudā & Moſam fluvios collocat. Nam Menapii per Moſam à Tungris ſeparantur, quorum oppidi etiamnum ruinæ extant, ad utramque Jecoræ ripam, qui juxta Trajectum in Moſam ſeſe exonerat, Ammianus quoque Marcellinus Tungrorum in ſecunda Germania, civitatem amplam & copioſam agnoſcit, ſicut hodie beneficio Maximiliani Imperatoris Handtuerpia eodem loco eſt ditiſſimum emporium. Mirum eſt quod de Tungrorum fonte Plinius memoriæ prodiderat, nimirum quod hujus aquà corpora purget, quòd tertianas febres diſcutiat & calculorum vicia. Has autem facultates & hodie vulgus Tungrorum in ruinis eorum concedit, Tungros quoque bellicoſiſſimos fuiſſe, alibi Tacitus & Julius Capitolinus teſtantur, atque eos temporibus Diocletiani imperatoris floruiſſe ex Flavio Vopiſco liquet. Ab ijsdem quoque reliqua ſunt nomina *Tungerheim* vicus, *Tungerſee* oppidum non ita longè ab Agrippina. Fuit autem Tungrorum urbs Trajectum vetuſtiſſima

Tungri.

tiſſima, quod hodie eſt *Maſtrich*, id eſt Moſæ trajectus. Illos vero Divus Maternus Chriſto lucrifecit, ibidem Eccleſiam quam Cathedralem vocant, ordinavit. Fuit eorundem Epiſcopus Servatius. Verùm cum eorum urbs ampliſſima per Hunos devaſtata fuerat, Epiſcopatus Trajectũ transferebatur, & poſt annos nati Chriſti 710. Leodium, ubi & hodie Epiſcopus Leodienſis vitam degit, der Biſchoff von Lüttich. Somnia igitur ſunt & fabulæ, cum à Troianis Tungros ortos eſſe fingant. Ab his autem Tungris diu peculiare vocabulum permanſit Germanis ſed commilitonibus diſplicuit. Quare aliud omnibus commune excogitarunt & *Germanos* nominarunt, inſignem prorſusq; virilem audaciam ſignificaturi, quos poſtea ſuperioris Germaniæ populi Alemannos appellarunt. Vtrinq; autem eiuſdem rei ſignificatio eſt. Siquidẽ ut Germanis eſt nobis, *gar man*, id eſt, prorſus vir, ut qui virili animo totus eſt, ita Alemannus eſt *Alman*, id eſt, totus vir. Nam tunc Alemanni dicti ſunt, cum collectitia Germanorum gens ad ſuperiorem Danubij & Rheni partem conſediſſet. Quapropter Almanni & Germani non ſignificatione differunt, ſed loco tantùm. Itaq; Juſtinianus Imperator ſe & Alemanicũ, & Germanicum appellare ſolitus eſt. Communius eſt verbum Germanorũ ſicut & ex Commentario Cæſaris deprehendere licet, *Eburones* inquit, *Pæmanos, Cereſos, Condruſos omnes uno nomine Germanos appellatos fuiſſe.* Figmentum judico Germanos eiſe tanquam fratres Gallorũ, cum **Germani.**

ſit Teutonica dictio ex *gar*, ſeu *ger*, quod totum ſeu robuſtum (unde eſt nobis *ein kerle* Charolus) & *man*, quod virum ſignificat. Nam appellationes mirum in modum noſtratibus etiam hodie gratiſſimæ ſunt. Neq; à Romanis inditum eſt nomen, ut creditur, neque Strabonis authoritas quempiam moveret, cum non tam bellè inter Romanos & Teutonas conveniebat, ut legatos propter elegantiã Latinæ linguæ Romam mitterent. Atq; cuilibet genti τὰ ἐπιχώρια pulchriora videntur. Quare Tacitus Germanos vocari nomine à ſe invento affirmat. Germanorum quoq; nomen vetuſtius eſſe ex Cæſare, qui Germanos & non Tungros habet, conjecturam facere cuilibet integrum eſt. Neque verò mihi *Alemanni.* diſplicet *Alemãnos* dictos eſſe à collectitia Germanorum manu, non ab Hercule Alemanno. Nam circiter Probi imperatoris tempora, varij Germani, ut Helveti, Vindelici, & alij vicini Romanos ex provincia expellere conati ſunt, atque ſic collecti Alemanni nominabantur. Hinc factum eſt, ut Rhetia ſuperior, in Alemaniam abijt, ſicut ex Ammiano Marcellino non eſt obſcurum, unde in Vindelicia eſt *Almangoeu*, Etiamſi Vindelici diu Rhæti fuerant, tamen Vindelici plerique Alemannorum nomen receperunt, quorum virtute Romanorũ cohortes præſidiarias retinuerunt. Eſt & bona Helvetiæ ſub Alemannia pars. Ex quibus facile colligitur, Alemannos eſſe *allerley mann*, præſertim apud Vindelicos & proximos vicinos Helvetios.

Fuiſſe

Fuiſſe apud eos & Herculem memorant. Primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem Baritum vocant, accendunt animos, futuræq; pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur, terrent enim, trepidántve, pro ut ſonuit acies. Nec tam vocis illè quàm virtutis concentus videtur. Affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur objectis ad os ſcutis, quo plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat.

V.

DE GERMANORVM, CVM ituri ſunt in prælia, invocatione & barritu.

HAud multò ante Herculis Alemanni meminimus, Germanis eſt potius fortaſſis *Altman*, quàm Alman, cujus nomen ijsdem eſt *Ercle* Bojorum pater propter fortitudinē Deus fuit Germanis juxta cùm Iſide matre. Hunc autem præliaturi Germani invocarunt, hymnumque cecinerunt. Notum autē eſt, ut varia Herculis ſunt apud Græcos potiſſimum etyma, atque diverſos fuiſſe Hercules nos quoq; in commentarijs epigrammatis Virgilio inſcripti, de laboribus Herculis, nonnulla adnotavimus. Verùm an Mars inter Deos Germanorū tutelares, qui & τοπικοὶ ſunt, numeraretur, haud multò poſt explicabitur. Invocabant autē propter ſecundiorē belli eventum. Nam Mars eſt ἄλλο πρὸς

ἄρης, & apud Latinos communis, aut juxta Varronem eſt, qui maribus in bello præeſt, aut juxta Ciceronem, quod omnia vertat. Itaque Græcis eſt ἄρης vel ἀπὸ τοῦ αἴρειν, quod eſt tollere & interficere, vel ab ἀρᾶς id eſt, damno, & calamitate. Plato Germanorū voto ſuffragari videtur, ἀπὸ τοῦ ἄρρενος. quod viriles & *Charolos* efficiat. Idem ἀλαλάξιος à ſono confuſo, quaſique voce non articulata, ſicut & ἐρείπιος latè ſonans, utpote à voce & ſtrepitu militari, quo pugnantes in prælio utuntur. Sunt enim qui gruum vocem imitantur, ut Troës Homerici, & hodie Turcici milites. Sunt qui aſininam vocem exprimūnt, Quare & olim propter eandem vociferandi rationem nonnulli Marti aſinū jugulabant. Sunt qui elephanti vocem repræſentant, ut eſt Germanorum *barritus*, qui Elephanti vox eſt, & barrire juxta Feſtū familiariter elephanti conceditur, cujus uſus erat, ſicut ex Tacito liquet, aut ut hoſtes iſto tum diſſono vocis tumultu perterrefacerent, aut ut omen belli inde colligerent, aut ut eſſet ad erigendos animos quoddam προτκέλευμα. Quæ conſuetudo & Scythis fuit, cum claſſico dato pugnam inierant, primo occurſu ad ardorem excitandum vehementiſſimo clamore occurrebant, qui ſi conſonus fuerat, neq; impar, neq; varius, neq; diſſonus, alacres præliū faciebant, cum ſibi futurā victoriam pollicebantur. Talis enim clamor voluntatis & animi cujusq; eſt index. Sic enim in hoc cōgreſſu militari clamor animorum impetū ſignificabat, qui magnarum victoriam ſæpe cauſa eſt.

eſt. Eodē modo & Germani ſuo barritu futuræ pugnæ fortunā augurabantur. Quare Vitruvius 3. lib. c. 18. *Clamor*, inquit, *quem quidam barritū vocant, non prius attolli debet, quàm acies utraq; ſeſe junxerit.* Ubiis & Treviris in more poſitum erat ut virorum cantu & fœminarū ululatu terrorem hoſtibus incuterent, voceq́; tumultuóſa obtunderent, Si quis verò alias etymologias inquireret, per me licebit.

Cæterum & Ulyxem quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum, adiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumq́;, quod in ripa Rheni ſitum hodieq́; incolitur, ab illo conſtitutum, nominatumq́; ἀσκιπύργιον. *Aram quin etjam Ulyxi conſecratam adjecto Laertæ patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaq́; & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos, in confinio Germaniæ Rhætiæq́; adhuc extare, quæ neq; confirmare argumentis, neq; refellere in animo eſt, ex ingenio ſuo quiſq; demat, vel addat fidem.*

VI.

DE ULYSSE GERMANICO, *& tumulis cum Græcis inſcriptionibus.*

Supra Ulyſſem inter reges Germaniæ ſicut & Laërtem ejus patrem connumeravimus, utrunque Germanum, non Ithacenſem, Itaque Tacitus Fabula ne ſit an Hiſtoria ſubdubitat. Et ſi quis tempora noſtratis Ulyſſis, & Ithacenſis conſiderarit, potius fabulam judicabit, Deinde

de neque ex erroribus Ulyſſis Homerici eum in illum tractum perveniſſe conſtat. Fingunt autem Ulyſſem poſt Trojam devaſtatam (cuius comes fuit Oenops, cum domi Leodem reliquerat, Hujus enim ſubinde vel inter procos Penelopes Homerus meminit) *Aſciburgiū* perveniſſe. Id autem erat oppidum infra Coloniam Agrippinam non procul à Xantho Cliviæ ditionis municipio admodum celebri. & in exiguum abijt vicum, cum etiamnum *Aſchelburg* nomen eſt, Nam qui ex hoc *Emexich* faciunt, parum ſapere mihi videntur. Vterque longa & diutina peregrinatione defatigatus. Ulyſſes quidem ut ſociorum animos leniret, Aſciburgij nomen in ἀκρωνήριτον vertit, veluti ſi non vero promontorio Ithacæ Nerito, certè ficto ſe oblectarent. Oenops verò, ut deſiderium Leodis filij, quo tenebatur, mitigaret, ad Moſam urbem condidit λεώδιον & à filio ſuo appellavit: quod præſertim per Carolum magnum inſtauratum, vel hodie floret. Hæc autem in medio relinquemus diſcrimine. Nam ſolus Homerus, ſi hiſtoriam ſecutus eſt, mediocriter iſtud ipſum refelleret. Erant conjecturæ duæ, quibus hiſtoriam eſſe colligebant. Prior quidem eſt, ex inſcriptione aræ, paterni nominis acceſſione. Poſterior eſt ex epitaphijs, quæ Græcis literis conſcripta erant, & has eò ex Græcia Ulyſſes attuliſſe creditur. Verùm id ipſum altius, ne fabulis innitamur, repetendum eſſe duxi. Conſtat apud Europæos tantū duarum nationū literas fuiſſe, Græcorum & Romanorum, quibus erant &

Aſchelburg.

Monarchiæ,

Monarchiæ, ſicut Judæis erant Hebreæ, ſed in Aſia. Itaque barbariei notam Germani & aliæ proximæ gentes ſubterſugere n equiverant, usq; ad Tarquinij Priſci tempora. Nam tunc Phocenſes in Joniæ (quæ hodie Turcico nomine *Queis* dicitur) capite in Galliam Narbonenſem navigantes in eodẽ littore Maſſiliam condiderunt, juxta Euſebium & Juſtinum lib. 43. ubi Schola inſtituta erat, quò proptèr ingenij cultum & Romani ſuam Juventutum ablegarunt, ut Græcas literas condiſcerent, juxta Strabonem lib. 4. Ita hinc in Gallias lingua Græca propagata eſt, Quare Strabo φιλέλληνας inquit, κατεσκεύαζε τοὺς γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνιστὶ γράφειν. Quod eſt, *Maſſilia Gallos linguæ Græcæ ſtudioſos ita fecit, ut contractus & pacta Græcè ſcriberent.* Sic & Cæſar in 6. de bello Galli. Gallos in omnibus ferè rebus publicis & privatis rationibus Græcis literis uſos eſſe teſtatur, atque idem Julius Cæſar in Helveriorum caſtris tabulas Græcis literis conſcriptas reperit. Poſtquam verò Romani Gallias ſubjugarunt, & vicìnas regiones, mox in easdem certis inſtitutis & ſuam linguam, leges atque mores pro virili plantarunt. Ita Galli prius Latinis literis uſi ſunt atq; Germani. Hi enim circa tempora Caroli Magni, utpote anno 800. poſt natum Chriſtum, Græcis literis Germanica ſcripſerunt, ſed admodum, ut fit in principio, rudibus. Itaq; omnes rationes & acta Græcè usq; ad tempus Rhodulphi Cæſaris Habſpurgenſis, unde ſunt Oſtriaci Archiduces. Tunc enim Germanicæ literæ Latinis

literarum elementis conſcriptæ erant, quemadmodum ex vetuſtiſſimis rationibus adhuc reliquis idipſum multò certius colligere licet. Atque lingua noſtra (quæ à veteri Celtica aut nihil, aut certè parum differt, niſi quod κεράσεις, & quædam vocum permutationes nimis exiguæ ex literarum affinitáte diſcrimen facerent) idem confirmant, præſertim in rerum nomenclaturis, quæ partim Latinæ ſunt, veluti in corporis humani partibus, eſt caput *eyn cop* eſt oculus *eyn og*, eſt naſus, *eyn naß*, Sic & in alijs rebus non ita pauca ſunt nomina, ut caſeus, *caß*, pyrum, *ein pyrn*, rapum, *eyn rup*. Partim Græcæ, ut σῖτος, *eyn brot*, pro pane, βούτυρον *buter*, θύρα *eyn thyr*, μόλη *eyn myl*, Sunt & ex utraque lingua communes, ut Oryza *eyn ryß*, μαντέλη *eyn mantel*, οἶνος vinum Wyn, Minus tamen Dialectos aut Celtica aut Saxonica eiuſmodi verba depravare conſuevit. Nam ſuperiores Germani diphthongon plus quàm ſatis adamant, ſicut Saxones abominantur.

Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos, propriam & ſynceram & tantum ſui ſimilem gentem extitiſſe arbitrantur. Unde habitus quoq; corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia, minimeq; ſitim æſtumq; tolerare, frigora atq; inediam cœlo ſolóve aſſueverunt.

VII.

DE GERMANICORUM CORPORUM habitu.

VEl hinc Germanos eſſe indigenas Tacitus confirmat, quod omnibus Germanis in tam Populoſa regione omnium corporum habitus idem ſit, quod quinque rationibus approbat, cæruleis oculis, rutila coma, corporibus magnis & validis, quibus gratior eſt frigidior regio quàm calida, quæ ediā commodius quàm ſitim perferre poſſunt. Hæ autem notæ non ſunt in tota Germania perpetuæ. Vſu enim quis comperit primum, ut oculi non omnibus ſunt cærulei, ſed & nigri & ſubnigri. Deinde coma eſt flava iis magis, qui ad parallelum ſextum decimum cohabitant. Nam vicini parallelis quartodecimo & quintodecimo nigriorem habent cæſariem, contrà qui circa parallelum vel octavum vel nonum ſupra decimum incolunt, multo albior capillus eſt. Etſi ex quorundam humorum in corpore redundantium fumo capillitii color naſcatur, tamen non parum ad hunc & aer vel calidus vel frigidus facit. Vbi enim eſt calidior, ibi & plæraque nigricant, ubi frigidior, ibi eadem albicant, quod tum experientia, tum ratione ex caloris & frigoris natura ſumpta, non poteſt eſſe obſcurum. Itaque non parum referret, & in Germania mundi inclinationes, quæ ſunt κλίματα, obſervaſſe. Certum alioqui eſt plæroſque in ſecunda Germania

eſſe albiores, quàm in prima, cum in magna ſint medii veluti coloris inter nigrorem & albedinem, ubique non paucos eſſe comperimus quorum capillus eſt rutilus. Ad hunc modum de totius corporis colore, cum ex victu & aere atque loco, tum verò ex natura certi humoris in eodem exuperantis quis diſſereret. Quare fit ut de colore Germanorum inter omnes non conveniat, Nam & Galenus duo vocabula, ut ſunt πυῤῥὸς & ξανθὸς in commentariis ſuper Polybum de victu ſic ſejungit, πυῤῥὸς plærisque eſt fulvus, ſicut aurum ſulvum eſt, ſed re vera eſt ruffus, ita ξανθὸς flavus, ſæpe tamen fit, ut πυῤῥοὶ ſint iidem propter colorem finitimũ, qui ξανθοί. Quare fit ut horum nominũ fit ſubinde abuſus, ὥστε γὰρ τινὲς ὀνομάζουσι τοὺς γεγηρακότας ξανθούς, καίτοι οὐκ ὄντας ξανθοὺς ἐὰν ἀκριβῶς τις ἐθέλει καλεῖν, ἀλλὰ πυῤῥούς. Poſtremo corpora & magna & valida ſeu firma ad impetum faciendum Germanis Tacitus tribuit, quorum aliquot ſunt laborioſa, minus ſitis quàm inediæ pacientia, quibus frigidior aura aptior, quàm calida eſt. Primum magna corpora ſunt nimirum quadrata, quæ habiliſſima non admodum neque gracilia, neque obæſa. Græcis ſunt εὔκρατοι juxta Galeni expoſitionem, qui ſic ait, λέγω δὲ εὐκράτους, οὓς οὔτε σαρκώδεις οὔτε ἀσάρκους, ἀλλὰ εὐσάρκους ὀνομάζουσι. Procreantur verò magna ex magnis, cum ſemen genitale ex omnibus corporis partibus in uterũ inſpergatur, ex cujus non jactu, ut nonnulli credunt, ſed & derivatione, & propagatione magna ex magnis, parva ex parvis, clauda ex claudis,

dis, juxta Hippocratis ſententiam enaſcuntur, ita ut ſimillimi parentibus filii prodeant, non tantum formâ, ſed & magnitudine, atque adeo temperatura, niſi μοιχικὰ λύτρα intercederent. Quapropter apud Lacedæmonios Archidamas rex peſſimè audiebat, quod brevioris ſtaturæ uxorem duxerat. Nam propter hanc ejuſdem ſtaturæ liberos fore timebant. Notum eſt vel ex Virgilio vel ex Homero, ut procerior ſtatura præſertim in heroibus laudatiſſima fuerat. Deinde corpora Germanorum, ut ſic dicam, bene habituata. quæ Græcis εὐεκτικὰ ſunt, cum iisdem εὐεξία, quæ Ciceroni eſt firma corporis conſtitutio, ſicut infirma καχεξία. atque Galenus ad Thraſibulum ait, εὐεξία οὐδὲν ἀλλ' ἐστιν, ἢ εὖ ἔχουσα ἕξις, ἡ δ' ἕξις διάθεσις μόνιμός ἐστι hoc eſt, *affectio ſtabilis bene ſe habẽs atq; cõſiſtẽs.* Quare idẽ in libello exhortatorio ad diſcẽdas bonas literas ἕξιν pronũciat ἔμμονον τινὰ καὶ δυσαλλοίωτον διάθεσιν. Hæc autem attenditur in corporibus aut ἀραιοῖς, aut πυκνοῖς quorum poſteriores homines πυκνόσαρκοι ſunt quorum εὐεξία velociter permutatur, ſicut & Polybus quadam ſententia teſtatur, ubi Galenus & cauſam adjecit, ne dogmaticis medicis prorſus aſſentiri videretur, ἐπεὶ, inquit, τάχιστα γίνεται, διὰ τὸ δυσδιάπνευστον. ἀναγκαζομένη δηλονότι μεταπίπτειν, εὐθέως ὁμαλῶς φαίνεται γενέσθαι, καὶ τὴν λύσιν. hoc eſt, *Euexia ſubito propter difficilem per halitum digeſtionem concidere cogitur.* Egregio ſanè verbo hic uſus eſt, ſicut alibi Hippocrates ξυμπτῶσιν aut ξυμπίπτωσιν id eſt, extenuationẽ concidentiũ, contractionẽ vocat, videlicet cũ moles

corporis

corporis conſidet & concidit, in qua requiritur ἀνάθρεψις, nimirum cum corpus emaciatum & conciſum refocillatur, & reficitur. Poſtea corpora Germanorum non ſunt ex æquo laborioſa, cujusmodi in omnibus nationibus eſſe haud dubito, atque corporum vires atque conſuetudo attenditur. Adhæc eadem magis frigora, quàm æſtum tolerant, id fit, cum conſuetudine, tum naturæ ductu, qui rebus ſimilibus gaudet. Poſtremo inediam facile perferunt, ſitim non ita. Quod ſi Germani bona ex parte temperaturæ eſſent frigidæ & humidæ, hoc eſt, ſi pituitoſi eſſent, tam ſitim, quàm inediam ferre poſſent. Verùm audiendus eſt Galenus, qui non adeo ab illa ſententia diſcedere videtur. Nam is in 2. de temperamentis, Gallis, Germanis, Thracibus & Scythis eſſe frigidam & humidam cutim affirmat, ideo eſt mollis, alba, & pilis nuda, contrà Æthiopibus, Arabibus, & iis qui ad meridiem cohabitant, cutis eſt uſta, dura, ſicca & nigra, tum propter æſtum ambientem, tum propter calorem naturalem foras actum. Idem in commentariis Hippocratis ἐπιδημιῶν Gallis, Germanis & Scythis tribuit temperamentum humidius, ſed de frigiditate controverſiam adhuc eſſe aſſerit, Vbi quoque de oculorum colore breviter diſſerit, quod quàm cum oculis vel cæruleis, vel cæſiis conveniat, hoc loci non planum faciam, ne longius à re præſente abiiſſe videar. Etiamſi olim ἀνατομικῶς corpora Germanorum diſſecare maluerant, quibus de cauſis incertum eſt, veluti in
bello

bello, quod contra Marcum Autonium gerebatur, tamen præter viſcerum ſitum nihil aliud animadvertere, ut ait Galenus, potuerant. Verùm in dubium dicta Hippocratica non immeritò vocarentur, ſi quis aliquanto attentius obſervaret, veluti de Scythis ſub quibus & Germanos plærosque comprehendiſſe Hippocratem arbitror, cum eos ad Tanaim collocat & citra, ubi Sa matæ incolunt, iisdem colorem fulvum tribuit, rationem addit propter frigus ingens. Nam Sol vehemens ad eos non accedit & à frigore albedo exuritur, & fit fulva. Quid multis? rationes ex locis, quos & Hippocrates agnoſcit communes afferendæ ſunt, vel ex anni temporum permutatione, aut æquali, aut inæquali, ſicut Aſiani à quibusdam Europæis diſcernuntur, aut ex conſuetudine & legibus, ut cum Scythis, quod eſt hoc loci Tartaris etiam num μακροκέφαλοι gratiores ſunt, itaque in prima ætate eorum corpora ſic formantur, Ita cũ Aſiani natura timidiores effœminatiores & imbelles præ Europæis exiſtant, tamen ex legibus bellaces eſſe ſolent, ſicut & hodie Gedroſii, Perſici, & Aſiatici, potiſſimum velites plurimum collaudantur, vel ex certa aut aeris, aut habitationis aut aquæ ratione. Quare Hippocrati Phaſiani, id eſt, Phaſidis Colchorum fluvii accolæ ſunt ingenti magnitudine, corpulentia valde excellenti, & alia, quæ ibidem ſubſequũtur. Ita in Germanorum corporibus hæc capita adnotanda ſunt. Bellaciſſimi enim ſunt, non tantùm natura, ſed & conſuetudine diutina,

præſer-

præſertim cum eorum Magiſtratus, αὐτοκράτωρ ſeu αὐτεξούσιος monarcha ſit. Bibaces quoque ad conſuetudinem referendum eſt, & non ad naturam. Nam cum ventres eorum propter frigus externum ſint calidiores juxta Hippocratis ſententiam (ſic enim occluſis meatibus cutaneis calor internus non expirat, ſed magis adaugetur) voraciores quoque eſſent, & ſicut revera ſunt. Quare potiſſimum tempore hyemali admodum famelici exiſtunt. Audentiæ quoque & firmitudinis tum ex interno calore præcordiorum, tum ex aſſiduo exercitio rationes peterentur.

Terra & ſi aliquanto ſpecie differt, in univerſum tamen aut ſylvis horrida, aut paludibus fœda, humidior quà Gallias ventoſior quà Noricum ac Pannoniam aſpicit. ſatis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, ſed plerumq; improcera, ne armentis quidem ſuus honor, aut gloria frontis, numero gaudent, eæq; ſolæ & gratiſſimæ opes ſunt.

VIII.

DE TERRA GERMANOrum.

ETſi variæ ſint ubique terrarum formæ, tamen quæque regio à propria, quæ & familior eſt, bona ex parte nominari ſolet, atque hoc modo Germanorum terra, eſt ſylveſtris propter multos ſaltus, paluſtris, cum paſſim multæ profluant paludes, ventis expoſita, præſertim

Septen-

Septentrionalibus, pecoroſa & armentoſa eſt. Nam opulentia Germanorum in re pecuaria maxime conſiſtit, qualis fuit & patriarcharum & veterum regum & heroum. Quare apud Homerum regibus ſuum erat τίμιον, & Ulyſſes decantatiſſimus ab omnibus, pecora atq; armenta apud Ephyræos, id eſt, Corinthios vendidit. Sic & Job, qui opulentus deſcribitur, gregibus pecorum & armentorum abundavit. Itaque reges & magnates propter eorundem copiam & numerum, paſſim & in ſacris & in prophanis literis collaudantur, atque à pecore pecuniæ nomen natum eſt, atq; Plinius paſcua eorum laudatiſſima fuiſſe conteſtatur. Veteres quoq; Germaniam nonnihil iisdē de cauſis damnarunt, ut Seneca de Dei providentia Germanis ait, perpetuam hyemem, & cœlū turbidum &c. item de gubernatione mundi, Germanos eſſe incertæ ſedes aſſerit. Sic & Mela, Germaniam eſſe deſertam propter multa flumina pronunciat. Titus Livius quoque Germaniam eſſe ſylvam & ſolitudinem affirmat. Veriſimile ſanè eſt, veterem Germaniam Hercinia ſylva circumdatam fuiſſe, in qua Suevi, Franci & Norici incluſi erant. Jam vero ita exculta eſt nova Germania, ut Hercyniæ ſylvæ vix reliquiæ in montanis videantur, & ſunt iisdem ſua nomina, veluti à nigrore abietum *Nigra ſylva*, ab Otthonis imperatoris frequenti venatione *ſylva Otthonis*, unde eſt nobis *Otthenvvalder*, *Tyringiaca, Bojehemica*, in quibusdam tamen partibus Hercyniæ ſylvæ nomen non eſt expunctum & ob- *Hercinia ſylva.*

& obliteratum, & dicitur *am Hartz*. Nam Hercyniæ nomen prorſus eſt Germanicum, & ab *Hartz*, id eſt, reſina & pice, cujus magna iſthic eſt copia derivatur, alii cum linguæ Germanicæ ſint imperiti, aut ex Græcis, aut ex fictis quibusdam hiſtoriis etyma divinant & derivant. Neq; verba Taciti de tota Germania accipiuntur, ſed de ea, quæ & Rheno & Danubio concluditur. Siquidem tota Suevia, inferior Bavaria, & Franconia eadem ſylva obducebatur. Neque in reliquiis hujus ſylvæ hodie ſui incolæ deſunt, præſertim in convallibus, quibus inſignes amnes effluunt. Celeberrimæ quoque urbes intra quadringentos annos poſtquam imperium ad Germanos translatum erat, exortæ ſunt, cujusmodi viſuntur, *Noriberga, Ulma, Herbipolis, Babeberga, Uratislavia, Amberga, Norlinga, Heilpruna, Heidelberga, Stuckgardia, Tubinga, Friburgum*, & alia penè infinita oppida. Nemoris quoque Hercynii reliquiæ in montibus Lunæ & Sudetis, id eſt, montibus Boihemicis, quottidie propter metalla, quæ in eorum circuitu plurima eſt, ſucciduntur, & inſignes urbes metalliferæ intra paucos annos ibidem extructæ ſunt. Pertinet tamen ea adhuc per limites Poloniæ & Pomeraniæ usque ad Dantiſcum, ubi & mons & ſylva, ſicut ipſe in meis peregrinationibus vidi, deſinit, cujus una pars *Havelſperg* eſt, & altera Epiſcopalis mons mœnibus ejusdem urbis penè incumbens. Videntur & ejus veſtigia circa Daciam, & Pannoniam inferiorem prope Caſſoviam non exigua.

Argentum & aurum propitii an irati dii negaverint, dubito. Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere, quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione & uſu haud perinde afficiuntur.

Eſt videre apud illos argentea vaſa, legatis & Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quàm quæ humo finguntur, quanquam proximi ob uſum commerciorum aurum & argentum in precio habent, formasq; quasdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt, atq; eligunt: interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant veterem & diu notam, Serratos, Bigatosq;. Argentum quoque magis quàm aurum ſequuntur, nulla affectione animi, ſed quia numerus argenteorum facilior uſui eſt promiſcua ac vilia mercantibus.

Ne ferrum quidem ſupereſt, ſicut ex genere telorum colligitur. Rari gladiis, aut majoribus lanceis utuntur, haſtas, vel ipſorum vocabulo frameas, gerunt anguſto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum habili, ut eodem telo, pro ut ratio poſcit, vel eminus pugnent, & eques quidem ſcuto frameaq; contentus eſt, pedites & miſſilia ſpargunt, pluraq; ſinguli atq; in immenſum vibrant, nudi aut ſagulo leves, nulla cultus jactatio. Scuta tantum lectiſſimis coloribus diſtinguunt, paucis loricæ, vix uni alterive caſſis aut galea.

De

IX.

DE METALLORUM INOPIA apud Germanos, quæ ex horum mercatura, nomiſmate, & telorum genere colligitur.

SÆpe antea admonuimus Tacitum Germaniam, qualis ſuo tempore fuit, conſcripſiſſe, circa quod & Plinius vixit, qui in Hiſpania metalla mirum in modum collaudat, atque tum æris metalla in Germania reperta fuiſſe memoriæ prodidit, atq; ſpecus quærendis argenti venis Curtius Ruffus recluſit. Cur autem metalla Germanis non ſint, triplex hic ratio eſt, Una, quia dii irati ipſis non concedunt, ita ipſe tot & tanta dona dei Opt. Max. beneficia agnoſcit. Altera eſt, quia metallicæ rei periti deſunt, cum nemo homo, qui iſthic aut ex venis, aut ex commiſſuris lapidum, metalla inquireret. Nam μεταλλᾶν Græcis eſt idem, quod Latinis *ſciſcitari*, curiosè exquirere, nimirum quod percontatores unum de alio veſtigent, atq; eliciant. Quare multis ſunt μέταλλα tanquam μετάλληλα, quod & Plinius lib. 33. c. 6. explanat. Utcunq; autem una inventa vena eſt, non procul invenitur alia. Hoc quidem & in omni ferè materia, inde metalla, videntur dixiſſe. Siquidem non ſolitariè, ſed ſimul & cum aliis eorundem venæ reperiũtur. Itaq; metalla eſſent hac ratione, quod cum aliis, hoc eſt, μεθ' ἄλλων vel μετὰ ἄλλα id eſt, poſt alia reperiantur, Ariſtoteli quoq; ſunt μεταλλευτὰ, quòd inquirantur, dicta, etiamſi ejusdem au-

Metalla.

thoris

thoris τὰ ὄρυκτα, ſi quis ad vivum reſecaturus eſſet, ſine inquiſitione non indagantur, tamen civili quodam modo foſſilia, à metallis, quæ veteribus erant nota, diligenter ſeparari poſſunt. Tertia verò ratio eſt, quia Germani, ſtudio, uſu, & κτήσει metallorum, non perinde ſeſe oblectarunt, idq; ex continentia Germanorum comprobat. Nam in eodem loco illis pocula argentea, quo fictilia & Samia tam ſunt, quàm habentur æſtimanturque. Optandum per Charitas eſt! ſi quid votis proficeretur, eandem virtutem atq; hodie apud noſtrates perdurare. Hinc factum eſt, ut olim nummorum tantus uſus nō erat. Nam juxta Tacitum proximi hoc eſt, nobis Transrhenani Germani, in mercimoniis aurum & argentum non adeò repudiabant, & typos Romanæ monetæ non ignorabant, ſicut etjam num paſſim in eadem parte vel in agris ejusmodi moneta, eaq; varia, utiq; Romani nominis ab agricolis invenitur, in qua imagines Cæſarū cum inſcriptione & titulis & ſymbolis ceu emblematibus ſignatæ videntur. Imagines autem Cæſarum non ſemper propriæ ſunt. Nam Neroniani nummi habitum cytharedi, Severiani typum Alexandri Magni, Octaviani ſydus capricorni inſculptum habebant. Ita Germanis uſitatiores fuerunt nummi, propter ſerræ notā *Serrati*, ita Romanis à bigis *bigati*, à quadrigis *quadrigati*, & ſicut in illis imago duorū equorum currui junctorum, ita in his quatuor equorum ſubmiſſorum expreſſa fuit, ita à victoria *Nummi Serrati & Bigati.*

Victoriati. Fuerunt enim & olim non minus atq; hodie ſingulis gentibus ſua ſymbola & typi cũ inſcriptionibus, veluti Perſis *ſtateres Dareici*. In Philippeis erat *bovis imago*. In Alexandreis *mula currui juncta*, In Atticis *noctuæ ſignum* videbatur. Nec multa occidentalibus & meridionalibus Germanis tales nummi propter mutua commercia in proxima vicinia frequentiores erant, & præſertim argenteos, cum ſint communiores in emptionibus & venditionibus, & ἰυςεπισοι magis adamabant. Verùm Germani interiores hoc eſt, qui nobis ſunt citra Rhenum ad Viſtulam usque, rerum permutatio in uſu fuit, cujus uſus in plærisque locis nondum in deſuetudinem abiit, & plærumque aut war vmb war/ hoc eſt, merces pro mercibus, aut ſtich vmb ſtich/ à veteri emptionis ut arbitror, ritu nominant. Ad hunc modum Homerici reges non pecunia, non ære ſignato, ſed mercibus, vinum, æs & ferrum coemere, conſueverunt. Sic enim Iliad. η canit,

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο κάρηκομόωντες ἀχαιοὶ,
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοίσιν βοέσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνθεάπεσσι. τίθεντο δὲ δαῖτα θάλειαν.

Hujus & Ariſtoteles in politicis meminit, & maximopere eam commendat. Negat quoque Germanis ferrarias fodinas eſſe, & colligit quia Germanorum tam peditum quàm equitum tela parum ferri habent. Itaq; obiter eorundem armaturam paucis recenſet, in qua primum ſeptẽ telorum genera numerat, quorum primum eſt

Armatura Germanorum.

gla-

gladius,quo cincti,& cæſim & punctim feriunt, lancinant, & hoſtem petunt. Rariores tamen Germanis propter ferri inopiam gladios tribuit. Alterum eſt telum *lancea* major,id eſt, haſta oblongior, qualis erat Phalangi Macedonicæ *fariſſa*, longo ferro in mucrone munita, & multis eſt lancea à latitudine ferri dicta. Eſt quidem teli genus longiſſimum, & Gellius ex Varrone dictionem Hiſpanicam & non Latinam aſſerit, & qui milites lanceam gerunt, *Lancearii* ſunt, Tertium eſt *framea*, quæ ipſa hoc loci eſt haſta ſed brevior, quaſi dimidiata ſariſſa, à nobis hodie dicitur *cyn halbe ſtange*, & verè eſt ſpiculum, id eſt, lancea brevis, cujus ferrum erat ſicut & hodie triangulum unciarum novem, & hoc eſt Græcis λόγχη nobis *cyn lonch*, Haſtile autem pedum penè ſex, interdum & octo eſt, & cum ſit quoque miſſile juxta Vegetium, prudenter hic telum eſſe ait, quo & cominus & eminus, magis tamen punctim quàm cæſim pugnatur. Hic tamen cum ferri copia deſit, λόγχην brevem & anguſtam fecit, atque *frameas* à Germanis vocari tradidit, cujus nomen eſſe reliquum nobis nondum audivi, niſi quis ſtylum prælongum cultellis affixum ſimilitudine quadam, quem etiam *cyn pfrym* nominamus, intelligere malit. Malè cum Rhomphæa quæ ingentis erat longitudinis apud Latinos grammaticos confertur & ab ea derivatur. Hic enim prorſus Germanicam dictionem eſſe affirmatur. Solebant quoque Germani in experimentis & tyrocinio adoleſcentulos frameis & ſcuto exornari. Quartū

eſt *ſcutum*, quod equiti tribuitur tanquam familiarius telum. Ita Romani ferè peditibus clypeos, & equitibus ſcuta dederunt. Deinde in eodem colores varii diſtinguuntur, ſicut Græci frequenter *ruſſatis*, Carthaginenſes *albis*, Corinthii *rubris* utebantur. Sed hic tantum colores lectiſſimi habebantur, Græci quoq; diverſa inſignia addiderunt & numina, vel Neptuni, vel Gorgos, vel Minervæ, Agamemnon caput leoninum, Alcibiades Cupidinem cum ſagittis retinebat. Nota ſunt ſcuta Achillis apud Homerũ, Herculis apud Heſiodum, Æneæ apud Virgilium. Sunt & *cetrati*, cum *cetræ* ſint ſcuta ex loro rhomdoeide, ſicut *peltati*, cum *pelta* ſit ſcutum breve lunæ inſtar, & tales erant in principiis milites ὁμόπμοι. Lucani quoq; ſcuta ex vimine contexta coriis tegebant. Verùm hodie Sarmatarum & Turcarum ſcuta ex nervaceis partibus concoctis & compactis, corio obducta ſunt, in quibus plærunq; volucres & voraces, quæ ſunt Homero οἰωνοὶ, depictæ ſunt & ſicut Alexander Macedo ſuos ſcutatos ab argenteis clypeis ἀργυράσπιδας, ita Alexander Severus χρυσάσπιδας nuncupavit. Quintum, *miſſilia* cõplectitur, vetuſtioribus βέλη tela, ut ſagittæ, lapides, jacula erant, ſed hodie cum ænea tormenta inventa ſunt, longe alia & miſſilia ſunt, velut ex ſclopetis glandes, ex bombardis globi ferrei plærumque centum libras plus minus graves in hoſtes eorumque mœnia mittuntur. Sextum *loricas*, id eſt, tunicas ſtrictas olim ex loris, hodie ex ferreis annulis intertextas continet,

net, & ſunt *pectoralia*, Græci θώρακες, ſicut Homero ſunt λινοθώρακες, hoc eſt, lineo thorace induti. Scythæ hodie ex bilice, cui goſſipium cū fruſtellis vitreis ſuffarctum eſt, teſſellatim & anguſtius conſuunt, *eyn pantzer*. Septimum eſt *galea*, quæ & caſſis eſt, atque paucos Germanos eſſe galeatos propter ferri defectum pronunciat. Verùm de Germanorum armatura ſi quis deſiderat, eundem Tacitum lib. 2. annalium & alibi paſſim legat, voti ſui compos erit. Porrò illhæc, ſicut ſua memoria author uſu comperit, ſcripta reliquit, ut qui non pænitus Germanis metalla denegarit, ſed perſtringit eorum ſtudiū aliquanto negligentius. Dicit enim, quis nam venas auri & argenti ſcrutatus eſt? Plinius tamen æraria metalla inventa fuiſſe ſuo tempore teſtatur. Verùm hodie dei opt. max. beneficio vix ulla in toto terrarum orbe regio eſt propter metallorum & diverſorum copiam Germaniæ conferenda. Siquidem paſſim metalla plumbaria, æraria, ferraria, argentaria, auraria & alia id genus, videlicet juxta Noricas alpes, juxta Juraſſum, juxta & intra Sudetos, juxta Carpathum, juxta Suittonum montana hodie celeberrima ſunt, quorum nomina ſi quis cupit, & vetera & nova, Georgii Agricolæ intra metalla nati, & rei metallicæ, ſi quis alius, peritiſſimi, egregia ſcripta perlegat. Quid, quod & in noſtra vicinia apud Lygios, quos hodie *Sileſios* nominamus, in ea parte, qua eſt Saganum, Sorabium, Sprottum & Gorlicium tanta ferri copia eſt, *Metallaria Germaniæ.*

ut lapides paſſim ſub ſummo ceſpite inveniantur, & quod mirum eſt imperito, ut iisdem in locis illi ipſi renati ſint, ſicut ferri copia perpetua ſuppeditaretur. Tertio autem ab hinc anno dum Corruduno usque ad Maringos, id eſt, Cracovia, quæ minoris Poloniæ & regia & caput eſt, uſq; ad ducatum Opalienſem Vratislaviam verſus iter feci, metalla plumbaria & argentaria admodum inſignia vidi, ut *Vlcoſchi*, quod Cracovia tertium usque ad lapidem diſtat, & *Tarnobii*, circiter VIII. M. P. ab Opalio, cujus mœnia & arcem Viadrus noſter interluit, diſſidentis, metalla argentaria eaque feraciſſima, ex quibus aliquot puri argenti pondo non ſemel eruta ſunt, & inde omnia numiſmata in tota Sarmatia excuduntur & ſignantur: atque inter hæc duo oppida, ſi quis trita & publica via deviaverit, in loco ęquiore atq; pratenſi multos puteos cum ſcalis penſilibus & machinis tractoriis, ſed tum propter diſſidiam diverſarum nationum, tum propter ἀταξίαν (Nam neque præſides, neque leges metallicas habent) tum propter magnam aquæ confluentis vim deſertos reperiet, & ſub id tempus plæræq; metallicæ operæ in Nordtvvegiaca metalla confugerant. Atque apud nos exigui fluvii ſunt auriferi ad montium quorundā radicem. Non quod eorum arenæ auriferaces eſſent, cum iisdem neque venæ, neq; commiſſuræ, neq; fibræ ſint, ex quibus metalla naſcerentur, ſed illud ipſum aut ex imbrium aut amniū, aut rivorum ab auriferis montibus impetuoſa fluxione abreptū affertur, undè

Fluvii auriferi.

undè latinis ſunt à radendo ramenta, Græcis ψήγματα quaſi auream quis ſcobem diceret, quæ in lotione arenæ iſtorum locorum corraditur, & colligitur. Milites quoq; Germani ſunt vel *nudi* vel *ſagulati*, id eſt, ſagulo militari induti. Idipſum ut eſſent expeditiores, factum eſſe non dubito. Hodie eorundem veſtes ita ſunt diſſectæ, ut ubique facile adhæreant, taceo ut nihil brumali tempore calefaciant. Nudos autē ſic, ut non ſint aut tunicati, aut ſagulati, accipio, quales etiamnum plærique omnes eſſe conſueverunt cum fœmoralibus & tibialibus conjunctis ornati ſunt, id eſt, caligati. Veteribus autem *caliga* calciamenti genus ad mediam uſque tibiam fuit, in cujus ſuperiori parte caput quoddam Leonis apparuit, & ſæpe ferreis clavis multiplicibus munita, & ab hac milites *caligati*, nominantur, & tales in tapetiis, & antiquis marmoribus, Ulyſſes, Hector, Ajaces, Achilles, & alij Heroes adhuc videntur. Notum eſt proverbium de *Maximini*, apud Julium Capitolinum, & de Epicratis apud Ciceronem, *caliga*.

Equi non forma, non velocitate conſpicui, ſed nec variare gyros in morem noſtrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe, ut nemo poſterior ſit. In univerſum æſtimanti plus penes peditem roboris, eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus, centeni ex ſingulis pagis ſunt, idq; ipſum inter ſuos vocantur, & quod primo numerus fuit, jam no-

men & honor eſt. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilij quam formidinis arbitrantur. Corpora ſuorum etiam in dubijs prælijs referunt. Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut cõcilium inire ignominioſo fas, multiq́ſ ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierunt,

X.

DE EQUITATU ET PEDITATU Germanorum, atq́ſ aciei inſtructione.

SI quis hic attentius animadverterit omnem gloriam rei equeſtris non minus adimit, atque Julius Cæſar, qui in 4. Gallici belli libro ait Germanos, neq; jumentis importatis uti, ſed quæ apud ipſos prava & deformia nata ſunt, & turpiſſimum apud eos ephippiorum uſum haberi adjecit. Ita in equis neq; ſpectare formam neq; velocitatem, neque gyrorum rationem aſſerit, ſed agitationis formã exprimit, quæ Græcis eſt ἱππάσια. quæ fit aut in ſiniſtram converſione, quæ eſt & στροφή. de qua ſic Xenophõ, πέφυκεν inquit, ὁ ἵππος εἰς μὲν τὰ δέξια στρεφόμενος τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δὲ τοῖς ἀριστεροῖς, *quod eſt, ſi equus in dextram converſus fuerit, dextris quoque procedit, ſin autem in ſiniſtra, ſiniſtris.* Germanis autẽ flexus in dextrũ uſitatior fuit, ſicut veteribus Romanis in ſiniſtrum. Eſt & πέδη quaſi concatenata agitatio, qua per utramque buccam agitantur, de hac ſic Xenophon ἱππασίαν δὲ ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην, ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ τὰς γνάθους

γνάθους στρέφεσθαι ἐθίζειν, καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς ἱππασίας ἰσάζωνται. hoc eſt, *eam agitationem collandamus, quæ πέδη dicta eſt. Siquidē ſic aſſueſcunt equi in utramq; buccam cõverti, & agitationis permutatio confert, nimirū ut utraq; bucca utrinq; in agitatione adæquetur.* Quoniam in utranq; partem convertere rectum eſt, & niſi oris contumacia ſit impedimento, paris facultatis eſſe ſolet. Eſt & alia quæ cum ſit veluti catena altera parte, itaq; laxior & magis producta. Eſt & κυκλοτερής, *circularis* aut gyrata. Nam gyrorū apud veteres, ſicut & ex Virgilio liquet, exquiſita ratio & ars magna habebatur. Eſt & ὀρθόδρομος cum ea in directum fiat curſum, non in alteram partem converſa. Eſt & ἀπόκαμψις, cum *agitatio flexuoſa* ſit, de quibus ita Xenophon, ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὴν ἑτερομήκη πέδην μᾶλλον τῆς κυκλοτεροῦς. ἥδιον γὰρ οὕτως ἀναστρέφοιτο ὁ ἵππος, ἤδη πλήρης ὢν τοῦ εὐθέος, καὶ ἅμα περιφέροιτο τὸ ὀρθοδρομεῖν καὶ τὸ ἀποκάμπτειν ἅμα μελετῷν ἄν. Ita Germanis fuit, equorum *circumactio* aut in dextrum aut in rectum. Nam eam, qua in orbe fit, Romanis uſitatiorem prorſus neglexerunt. *Flexuram* autem ab agilitate & promptitudine, ut arbitror (Sunt enim iſthæc verba mihi adhuc ſubobſcura & in varios ſenſus torqueri poſſunt, quos Lectori permitto. hæc autem ita paſſim habentur, uno flexu dextros agunt, ita conjuncto orbe ut nemo ſit poſterior) collaudat. Cæterum Tacitus peditatui quàm equitatui contra Strabonis ſententiā plus tribuit. Nam penes peditum plus roboris fuiſſe ſcriptum reliquit. Quapropter in præliis faciundis

undis pedites equitibus permiſti erant, eosque in equeſtri pugna ante aciem ordinant. Itaque pedites & juvenes delectos propter corporis integritatem, & velociores eſſe oportebat. Ita prima frons in acie florem juvenum pubeſcentium ad militiā habebat, atq; hi ſunt anteſignani, cum ante ſigna & circa ſigna, nec non etiam in prima acie dimicent. Ita principes, hoc eſt, ordinarij, cæteriq; principales nominātur. Quid ſi ijdem apud Livium in 8. ab urbe cond. antipilani eſſent? Et cum Germania ſicut & hodie juxta Cæſarem Helvetia, in pagos diviſa fuit, veluti Suevis Semnonibus juxta Albis ripā uſq; ad Suevū, (ubi hodie Marchia media, & in hac hexapolis Prignitia, & epiſcopatus Hauelbergianus) centum erant pagi, ut infra planū faciemus. *Pagi* autem nomine quasdam unius regiunculæ oras & plagas ad unum fontem ſitas capimus. πηγή enim & Doricè πάγα, eſt unde nobis Germanis adhuc eſt *eyn pach*, velut fons & fluvius. Itaq; *Pagani* & hi ſunt, qui in utraq; ripa fluminis cohabitant, atq; aut binorum aut ternûm millium virorum eſſet ditiuncula *eyn gebiet* vel *eyn marck* vel *eyn ort*, interdū & XX M. hominum ut minimum continebat. Ideo pagi modo anguſtiores, modo per hominum accolentium multitudine habebantur ampliores, ita & apud Cæſarem *Morinorum pagi* leguntur. Ad hunc modum quis in Marchia, qua nunc vitam vivimus, quatuor pagos conſtituerent, juxta Albim, ubi eſt *antiqua*, juxta Suevum, ubi eſt *media*,

Pagus.

Ein Pach.

dia, juxta Viadrum, ubi eſt *nova Marchia*, & denique juxta Ucarum lacum prægrandem, ubi eſt à Primiſlao Sarmatarum rege Primiſlaum vulgò *Printzlau*, ſitum, & hodie *Ucaria Marchia*, id eſt, pagus Ucarius nominatur. Sic & tota Germania in aliquot diſtrictus per ſingulas nationes ferè fluvij inſignioris accolas diſcernebatur. Vndè eſt nobis à Rheno *Rhingou*, (Sic enim pagum *eyn gou* appellant.) Sunt & ab incolis quibuslibet pagi admodum celebres, ut à Rhetis *Rhetigou*, ab Alemannis *Almangou*, à Tigurinis *Zürchergou*, & ſic de alijs judicandũ eſt. Quare Germani milites conſcripturi ex ſingulis pagis centenos evocabant, atque ſic *centenary* ſunt, vulgò *daſs cent*, ſeu apud Francos *Contones*, quorum præfectus erat non alius, atq; Romæ Centurio, isque primarius, tanquam primipili ductor, atque Livio eſt idem primipilus, nobis hodie eſt *Centgrafe*, id eſt, centum militum evocatorum comes & præfectus; atque in Francia, Otthonis ſylva, & Palatinatu tales præſides etiamnum appellantur, ex ruſticis delecti, & ab officio comites ceu *Landgravij*. Itaque nomen dignitatis eſſe, & non numeri in militum delectu Tacitus aſſerit. Verùm eorundem acies eſt *cuneata*, cum ea adverſariorum ordines cuneat, i. e. ſcindit & dividit. Eſt enim eius acumẽ anguſtius & cuneatius, & ſubinde magis atq; magis latior procedit. Cõfert autẽ hęc inſtructio, quòd à pluribus in unum locum tela mittantur, cujus typus videtur apud Ælianum. Erant quoque iiſdem ſua ſigna bellica, & ſicut plerique aut tutelares

Gaus.

Cent.

Bellica ſigna.

telares Dei, aut quorundam animalium ferè terribilium effigiem habebant, ut Thebani *ſphinga*, Perſæ *auream aquilam* ſupra oblongam haſtam patentibus alis, quod eſt ſignum Cæſaribus Germanis militare, interdum fuit & *Solis ſimulachrum*, aut ſacer & *æternus ignis*. Porus Indorum rex *Herculem*, Cyrus *aureum gallum* lanceæ affixum, Cymbri *æneum taurum*, Oſyris *canem*, Eumenes *Cererem* & *Alexandrum*, Neoptolemus *Minervam* pro bellico inſigni gerebant. Ita Germanis *effigies lucis* detractas præire jubebant non aliter ac Ægyptij pictis tabellis animalia quæ colebant. Erat & in aggrediundis hoſtibus conſuetudo, non tantum Germanis, ſed & Gallis, ut congreſſu militari ſuum, de quo antea plura, *barritum* ſervarent. Solebant & Germani non prius acies committere, quàm per matresfamilias, (quas non ſecus caſtris educebant, ac Dionyſius ſuas mulieres thyrſigeras) ſortibus & vaticinio prædictū erat. Erat & ijsdem quædam in conflictu diſciplina, ut loco cederent, & rurſus pro conſilio inſtarent, idque ſæpenumero fiebat, quoties milites diſſipati in ſuos mox ordines cedendo redirent, ut coacto exercitu omnes uno impetu in hoſtes incurſionem facerent, & magno ardore pugnam repararent, cujus ſanè conſilij afferuntur & aliæ cauſæ, nimirum ut equites dimiſſis equis ſeſe peditibus æquato omnium periculo immiſcerent, ut ſpe fugæ erepta pedeſtri prælio acrius inſtarent, ut vi in hoſtes jam ſparſos & incompoſitos viam facerent, ſic & tranſ-

fugis

ſugis nullus locus concedebatur. Neque alia Romanis in ſuis cuneis & phalangibus fuit ratio. Itaque conſilium ſalutare potiſſimum in magna animorum conſternatione, rebusq; accisis, deſperataq; ſalute profuit. Verùm qui hæc Taciti verba, inter quos eſt & Annius Viterbienſis repetunt, ſic legunt, conſilii magis quàm formidinis arbitrantur, alioqui echpſin ejuſdem adverbij quis ſtatueret. Erat ijsdem & mos perinde ac heroibus Homericis, ut corpora vel potius cadavera ſuorũ in caſtra referrent. Nam & Homero ignominioſum eſt, αὐτοὺς eſſe ἑλώρια κύνεσσιν, οἰωνοῖσι καὶ πᾶσι, id eſt, *corpora* (Sic enim αὐτοὺς pro σώματα hoc loci accipimus) *à canibus & avibus carnivoris*, veluti ſunt corui & vultures, *dilacerarentur*. Dici nequit, quàm religioſe Turcę eam conſuetudinem adhuc mordicus retineant. Poſtremo ſunt & illis mulctæ militares, veluti ῥιψάσπιδας cum tanta infamia notarent, ut penitus excommunicari, hoc eſt, à ſacris & concilijs, videlicet à publico cœtu diviſi & ſeparati eſſent, cum capite diminuti judicētur. Verùm in transfugas, & patriæ aut civium proditores capitali pœna animadvertebant, hodie laqueo vitam finiunt, cùm in crucem ferè agantur. Ita & Juba rex ſui loci deſertores cruce affixit, eorundem autem Aufidius Caſſus & manus & pedes detruncavit. Tales & olim fuſtuario plectebãtur, quod & hodie Pannonibus inferioribus in uſu eſt, & ſuo vocabulo *Harõ Paltza*, id eſt, tribus fuſtibus dignũ, veluti quodam proverbio clamant. Legitur quoq; ut Alexan- *Transfugarum pœna.*

der Magnus quendam caſtelli cuſtodiæ præpoſitum propter deſertam ſtationem nece punierat. Ridicula & Dacorum fuit conſuetudo, ut male pugnantes capita loco pedum ponerent, atque γυναικοκρατούμενοι, id eſt, *miniſteria uxoribus præbere* cogerentur. Solebat quoq; Aphricanus poſterior transfugas beſtijs objicere, Paulus Æmilius elephantis, & Germani arboribus ſuſpendere, & imbelles paludi ſubmergere conſueverunt. Pro ſtipendio autem ijsdem erant, ſi vero conſentaneũ ſcribitur, epulæ & largiorã convivia. Fuit & tumultuaria caſtrorũ munitio etiamnum uſitata, cum pro vallo diſpoſitos currus mutuo nexu habuerant, unde eyn Wagenburg nominatur, atq; in obſidione diuturna propter telorũ faciliorem impulſionem aggerem jacere (qui ipſis hodie eſt ein Polwergk vel eyn Schantz) & ex terra effoſſa & lignis contra murum extollere ſoliti erant.

Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt: Nec regibus infinita aut libera poteſtas, & duces exemplo potius quàm imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, ſi ante aciem agant admiratione, præſunt.

XI.

DE GERMANORVM REGIbus, ducibus, eorumq́; poteſtate.

SIcut Magiſtratus Germanorum ſummus erat rex, ita reſpublica eorundem regia. Reges autem & duces officiorum ſunt nomina, quia

ſubditos

ſubditos aut cives aut milites regunt & ducunt, illi quidem Germanis Königk ſunt, nimirum quod ſint köndigk, hoc eſt, periti, prudentes & ſapientes, & ſicut in capite eſt τὸ ἡγεμονικὸν, ita in rege reliqua membra ſudita, gubernante prudẽtia ſapientiaque, potiſſimum collaudantur. Hi verò Hertzogen nominantur; cum dictio ſit integra Hertzog/ hoc eſt, duces vel exercitus, vel militum. Regnum autem non erat hæreditarium, ſed arbitrarium, cum ex nobilitate unus aliquis deligebatur, & ab officio regio rex ſalutabatur, & non à cognatione & ſanguinis ſucceſſione. Quæ conſuetudo & hodie multis nationibus, quas barbaras plæriq; nuncupant, relicta eſt. Verùm nobilitas non ex ſanguinis propagatione, ſed ex rebus præclarè geſtis cenſebatur, alioqui ejus aut Noëus ejus filius nobilitatis primus author fuiſſet, ſicut non pauci ſentiunt, quis non omnes homines ex hoc ſtemmate nobiles judicaret. Rectius facerent, ſi Nimrotum fortem venatorem conſtituerent Babyloniorum regem, qui αὐτοκράτορα δύναμιν id eſt, *plenam & ſummam poteſtatem* primus affectabat. Quarè nimis excelſam turrim, ne naufragium timeret, ibidem exædificavit. Cæterum in principio reges vel Babylonij, vel Perſici, vel Syriaci, vel Ægyptij vel Judaici ex gregarijs hominibus propter virtutes ſingulares delecti erant. Nonne Saul ex paſtore armentario? Nonne David ex opilione? Nonne Romulus & Remus ex paſtoribus, reges creati ſunt? & reges Germani ex officio magis quàm ex cognatione

nobiles erant? Deinde ijsdem viſum eſt, ut reges non eſſent αὐτοκράτορες, & αὐτεξούσιοι veluti quibus eſſet, merum imperiũ, qui eſſent ſui juris, ſuæque poteſtatis & arbitrij abſque controverſia, id conſilij ad vitandã tyrannidem & inſolentiam, quæ in regia republica frequentior eſſe conſuevit, prudentiſſimè intendebant. Adhu . ſane modum duces ex virtute potiſſimum militari ab ipſis regibus ſumebãtur, ſi tales ſubditis magis exemplo quàm imperio præeſſent. Exemplũ verò ſumebatur, ſi probi, ſi morigeri, ſi bellicoſi, vel in prima acie fuerunt. Hi quoq; non ſui juris & arbitrij erant, ſed regis juſſa exequebantur. Quare ijdem aut exercitui, aut provincijs præficiebantur, unde nunc duces militũ *die Heuptleute*, nunc duces provinciales, der Landtſchafften Führer vnd Heuptleute.

Cæterum neq; animadvertere, neq; vincire, neque verberare quidem, niſi ſacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam nec ducis juſſu, ſed velut Deo imperante, quem adeſſe bellantibus credunt, effigieſq; & ſigna quedam detracta Lucis in prælium ferunt. Quodq; præcipuum fortitudinis incitamentum eſt, non caſus nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, ſed familiæ, & propinquitates, & in proximo pignora, unde fœminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium, hi cuiq; ſanctiſſimi teſtes, hi maximi laudatores, Ad matres, ad conjuges vulnera ferunt, nec illæ numerare aut exugere plagas pavent. Ciboſq; & hortamina pugnantibus geſtant.

XII.

DE SACERDOTUM MILITARIUM *officio.*

VEl ex Moſe Sacerdotes aut domi, aut bello, ſed propter doctrinam fuiſſe conſtat, quorum priores, utpote domeſticos domi docentes Romanorum more *togatos*, & poſteriores *ſagatos* tanquam bellicos doctores nuncupabimus. Verùm Germanorum ſacerdotũ bellicorum non eſt aliud munus, atq; lictorũ Germanorum. Nam illis verberare, vincire, in vincula conjicere, & punire, ſolis permiſſum erat. Hi tamen diſcernuntur à lictoribus, quod illi tanquam Dei & non magiſtratus alicujus juſſu imperioq; ſibi tribuerunt, nimirũ ut ex religione ignavis & conſceleratis terrorem incuteret. Incredibile eſt, ut religio etiam gentilis, ſi quid aliud, homines & in officio retineat & manſuefaciat. Itaque ejuſmodi ſacerdotes pluſquam ſatis imperij ſibi ſumpſerunt, ſicut Jovis ſacerdotes in Meroe ea ſuperſtitione animos impleverunt ut interdum miſſo nuncio regi Æthiopiæ necem demandarint, cujus dominiũ nemo detrectare auſus eſt, usque ad Erganem regem, qui ad unum omnes ſacerdotes interemit, ſacerdotiumq; totum ſuſtulit. Cæterum ut religioſiores eſſent prælıaturi, ut non ſuis viribus, ſed Dei beneficio vincerent (eſt & hoc ſacræ ſcripturæ conſentaneũ, quæ manifeſte docet à deo victoriam donari. Item Deum manus ad prælium docere & dirigere) ſtatuas & ſimula-

cra deorum, vel *Martis*, vel *Herculis*, vel ferarum terribilium, quarum ora propter terrorem incutiendum hiabant lucis, id eſt, nemoribus alicui divorum conſecratis detracta ferre ſolebant, ut vel ſolo effigiei conſpectu moverentur, ejusque auxilium expeterent, ſacerdotesque ſumma obſervantia venerarentur. Itaque ſacerdotũ caſtigatio tanquam Dei vindicta judicabatur.

XII.

DE CUNEORUM GERMAnicorum conſtitutione.

PORrò ut majori tum fide tum cõſtantia contra hoſtes decertarent, non quoslibet & gregarios milites, aut in turmã, aut in cuneum, ſed propinquos familiares, atq; adeo ipſos liberos condecuriabant. Nam ſic movebantur, atque mulierum lugubri ululatu atque infantum vagitu animi eorum ad cõſtantiſſimũ conflictum percellebantur & invitabantur, cumq; jam pro uxoribus & liberis, & *pro focis*, ut dicitur, *& aris* pugnandum eſſet. Hinc vel laudabantur ſtrenui milites, vel ignavi vituperabantur. Erant autem hic prælij facti teſtes & laudatores veri non adulatores, ſed ipſi familiares, atque adeo propinquiſſimi. Quare neque matres neque uxores vulnera, aut filiorum aut maritorum dinumerare, & propter veram teſtimonij dictionem, & propter juſtam laudationem puduit. Fuerunt & in officio, quoties ſuis pugnantibus cibos afferebant, quoties eoſdem

dem exhortabantur. Sunt enim hic hortamina ἀπὸ κελεύσματι & παροξυντικὰ παρορμητικὰ velu- ti talia hortamenta, quibus pugnantes jubentur, incitantur & impelluntur, cujuſmodi exẽplum in Cymbrico bello, juxta Florum & Plutarchum in Mario, propoſitum legitur. Mulieres autem lanificum, colus & fuſus decet, ſicut & Homerus canit, ſicut olim conſuetudo fuit, ut ſponſa etiam nuptiarũ die colum comptam, & fuſum juxta cum ſtamine ad maritum deferret. Verùm hic matronas lanæ admovere manus, aut calathum, aut penſa tractare, non aliter atque apud Perſas probroſum videtur. Romana quoq; diſciplina militaris mulieres caſtris intereſſe vetuit. Neque permittebatur ijsdem, ut caſtra ſequerentur, cujus conſuetudinis & in Gallo Virgilij ſit aliqua mentio. Atq; Scipio Aphricanus maximus imperator in bello Numantino multa millia ſcortorum expulit, atque milites ſtantes prandere, nihilq; cocti veſci coëgit. Hodie ita impuri ſunt milites, & Germani & Hiſpani, ut nihil propter fœdam libidinem illis ſit turpius. Hoc autem loci honeſtæ uxores exercitui adhibentur, tum ut ignavis animũ adderent, tum ut commeatum ſuppeditarent, tum ut aciem inclinatam reſtituerent.

Memoriæ proditur, quasdam acies inclinatas jam & labantes à fœminis reſtitutas, conſtantia precum & objectu pectorũ, & monſtrata cominus captivitate, quàm longè impatientius fœminarum ſuarum nomine timent, adeo ut efficacius obligentur animi civitatum, quibus inter obſides puella

quoq; nobiles imperantur. Ineſſe quinetiam ſanctum aliquid & providum putant, nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam diu apud pleroſq; numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complureis alias venerati ſunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.

XIIII.
DE FOEMINIS GERMAnorum.

NOn tantum erant in pugna exhortatrices uxores Germanorum & commeatuũ curatrices, ſed & acierum inclinatarum inſtauratrices duplici ratione, una eſt *invocatio* & *conflictatio*. Nam in ea fuerunt ſententia, ut non niſi dijs invocatis vincerent. Quare & nobis in more poſitum eſt, ut prælium facturi, ſint & Chriſtiani & Caroli. *Chriſtiani* quidem cum Deum, eumque auxiliatorem in belli cauſa honeſta defenſorem longè præſtantiorem, atque eſt Ajacis ſeptemplex ſcutum invocent. *Charoli* autem, cum benè armati fortiter contra hoſtes digladiantur, ſicut *Charolos*, hoc eſt viros fortes & ſtrenuos decet. Ita & fœminæ Germanorum aciei inclinationem tum pijs precibus, tum forti & conſtanti conflictatione confirmabant. Altera eſt præſentis *periculi* veluti *captivitatis* ὑπόδειξις. Nam alioqui eam propter uxores ſibi unice charas, ſicut infra de matrimonio planius fiet, valde timebant. Nam & in obligationibus pactorũ cum alijs civitatibus, non alij obſides

ob fidem

nis ſinem juxta Feſtum, quàm nobiles puellæ reperiantur. Sciebant enim iſtos non tam ſubitò hac obligationis receſſuros eſſe, ut in corpora adeoque vitam earum ſæviendi alicui poteſtas fieret. Verùm cum in ijsdem ſanctum, & quodammodo artem providum quiddam eſſe judicarant. neq; concilia earum repudiabant, neq; reſponſa tanquam oracula negligebant, cujusmodi *Velleda* apud Bructeros, & *Aurinia* apud Cattos fuerat. Illius quidem multa ſunt vaticinia & reſponſa in 21. annalium Taciti. Hujus verò nomen adhuc apud veteres Saxonas reliquum eſt. Sic enim ſagas, quæ incantationibus præſagiunt, *Aurin* tanquam divinatricem *eyn Warſagerin*, cum fatidicæ ſint, appellant, atq; hodie multarum rerum eventa, aut ex cera in labrũ aquæ plenum affuſa per certa carmina varijsque modis effigurata, aut herbarum quarundã conſecratione, aut alijs & monſtroſis rationibus divinant. *Velledam* verò Tacitus qui Galliæ Belgicæ præfuit, in proxima vicinia Bructerorum, id eſt, bona ex parte *Weſtphalernen* vidit, atq; ſe ſub Veſpaſiano vixiſſe manifeſtè teſtatur, videlicet anno à nato Chriſto 75. Id autem veriſimile mihi videtur. Nam ad id tempus hiſtoria illius Auguſta pertinet, & in ejus fine erga Veſpaſianum. *Vetus*, inquit, *mihi obſervantia, & cum privatus eſſet amici vocabamur*. Verùm quibus eum ſub Ælio Hadriano Auguſto floruiſſe placet, annum à Chriſto nato 120 ſtatuunt, atq; ſic 46. anni interſunt, quod tempus non tanti momenti in hoc diſſidio eſſe judico.

Deorum maximè Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoq; hoſtijs litare fas habent. Herculem ac Martem conciſis animalibus placant. Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat. Unde cauſa & origo peregrino ſacro, parum comperi, niſi quod ſignum ipſum in modum Liburnæ figuratũ, docet advectam religionem. Cæterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant deorumq; nominibus appellant, ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.

XV.

DE DIIS GERMANORUM, *eorumq; religione.*

QUanta ſit mentis humanæ cæcitas, jam tũ ſuapte voluntate, tum Sathanæ perpetui ſalutis hominum hoſtis impulſione, vel ex hoc loco liquet. Nam iſte ſic homunculos devincit, ut non niſi ipſe tanquam verus Deus ab ijsdem excolatur. Quid nam igitur hic aliud vides, quàm turpiſſimam Germanorum εἰδωλομανίαν & Sathanæ odioſiſſimam malitiam. Numerantur quatuor dii ijque præcipui, *Mercurius, Hercules, Mars* & *Iſis*. Hi ſanè communes toti Germaniæ fuerunt, alioqui ſingulis penè Marchijs ſui erant dij. Quarè Teutonibus, de quibus paulò poſt, *Teutanes* erat ipſe Mercurius, In quibusdam & *Solem*, *Vulcanum* & *Lunam* voluerant. Quid multis? hos deos judicarant,

à quibus

à quibus multum beneficii cumulatum eſt. Illis quoq; ſuæ ceremoniæ in ſacrificando fuerant. Nam *Mercurio* homines mactabant, ſicut Græci in ipſa invocatione ſuos ſacrificabant liberos, veluti Iphigenia ab ipſo Agamemnone propter ſecundioris venti votum immolata fuit. Aliis verò diis bruta tantum mactabant. Aras quoque ſingulis diis per certam effigiem, ſicut & hanc ex Iſide patet, dedicabant, eaſque frondibus ornabant diis ipſis familiaribus, ut Jovis arā *eſculus*, Apollinis *laurus*, Minervæ *olea*, Veneris *myrtus*, Bacchi *hædera*, Panos *pinus*, Ditis aram *cupreſſus* expoliebat. Victimæ quoq; erant ἄρτιαι, ἄτομαι, μὴ ἔμπηροι quas & Solon ἀφελᾶς nūcupare conſuevit, hoc eſt, ut eædem *integræ, inſectæ, immutilatæ* vel *ſynceræ* eſſent. Neque verò omnibus intereſſe ſacris qualibuscunque licuit. Quare ſupra eos à ſacris excluſos tanquā, ut hodie loquuntur, excommunicatos, qui in acie ſcutum amiſerant, neque polluti ad eorū ſacra propter impuritatem admittebantur. Itaque non ſecus ac Græci ſacra adituros τίς τῇδε hoc eſt, *quisnam hic*, rogabant, ſed referebatur πολλοὶ ϗ ἀγαθοὶ, id eſt, *multi & boni*. Siquidem impuram vitam viventes ſemper à ſacris arcebantur. An verò Germani in victimis colorē, certūque geſtū mactandi Homerico modo obſervarint, mihi incertum eſt. Scythæ quoq; nonnihil prudentiores judicarentur, qui *Marti* ſuo non homines ſed quaslibet beſtias hoc ritu ſacrificabant, ut victimæ primi pedes ligarentur, et ea ad aram ſiſtebatur, quam per laqueum collo injectum

Excluſi à ſacris.

ctum, & per baculum circumductum ſtrangulabant. Sic & Lacedæmonii Marti ſuo humana victima litabant, atq; Ariſtomenes Meſſenius eò dementiæ pervenit, ut tercentos homines, inter quos & Theopompus fuit, uno ſacrificio mactarit. Quapropter tantam truculentiam Romani perferre noluerunt, Senatus conſulto cautum fuit, ut nullus homo, nullus humanus ſanguis portò litaretur. Tantum Sathan apud ſuos poteſt, ut non niſi humani cruoris diſperſione placaretur. Hic autem impoſuit quadam imitatione Hebræorum ſacrificiorum, quorum gentiles velut Simii non aliter ac Romanenſes ſacrifici, imitatores & ſpectatores ſunt. *Iſida* quoq; Ægyptiacam in Germaniam veniſſe ex navigio conjecturam Tacitus facit. Nam ex Luciani dialogis non eſt obſcurum, ut navigationi præfuerat. Servius autem ex ea *terram* facit, Plutarchus & ante eum Diodorus Siculus, *Lunam* eſſe fingit. Itaq; juxta Plutarchum eſt κερασφόρα id eſt, *corniculata* Lunæ modo, μελανόστολος *pulla ſtola* ornata propter ejus occultationem & inũbrationem præſertim in Solis coitu, & ejus ſacerdotes lineas veſtes induti erant. Itaq; poetis eſt dea *linigera*, ut Ovid.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba

Idem: *Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem*
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Ejusq; pompam & metamorphoſis Ovidianæ fuſiſſime explanat, eaq; τιθήνη i. e. *nutrix* & πανδεχὴς id eſt *generationis omnium rerum nutrix & ſusceptrix* dicitur. Quarè in baſi ejus templi

t[illegible], autore Plutarcho, inſcriptio. ἐγὼ ἀμι πᾶν τὸ γεγονὸς [illegible] ἐσόμενον, κ τὸ πεπλον ἐμον ὀυδὲς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν. Hic verò eandem apud *Sue-* [illegible] *Semnonas* cultam fuiſſe ſubjicit, hoc eſt, *Al-* [illegible]*colas* in quorũ vicinia eſt *Luneburgũ* civi-tas admodũ inſignis, & humanitatis ſtudioſa, u-bi idolũ *Iſidis*, hoc eſt, *lunæ* etiãnũ in arce excelſa ſupra montem calcariũ conſpicitur, videlicet eſſe cornutæ, qualis luna ſolet ferè triduana, e-jusq; effigiem deauratam, & hodie ſenatores Luneburgenſes petentibus commonſtrant. Ego [illegible]ò ſententiam meam permutavi. Nam ipſe [illegible]ſi *Leoninum* πύργον eſſe contendi, cum ibidẽ & inſignia Leonis habeantur, atque Saxonica dialecto leo *eyn luy* nominatur. Quare ibidem vicinas *civitates à ſeptem Planetis*, quos olim coluerant defenſas eſſe affirmant, ut *Hamburgii* Jovem Hammonem, & alia quæ iſthic ceu cer-tiſſima eſſe narrantur. Volunt & ab Iſide *Iſnam*, *Iſenachum*, *Eiſibergũ* derivare, ſed incertæ ſunt conjecturæ, cur non potius apud Cattos noſtra-tes ſicut adhuc Germanica lingua retinet *Marckpurg*, tanquam *pyrgum Marchiæ*, hoc eſt, [illegible]ictus & oras. Certum eſt Cattos propriam ſedem hodie non retinere, ſicut ſuo loco pla-num fiet. Attende ſit ne apud Hermunduros *Marſipurgum* idem quod *purgum Marchicum*, id eſt, finitaneũ. Neq; Germani ſuis diis templa ædificaverunt, neq; ſtatuas fabricarunt, cũ res cæleſtes multò digniores ſint, quàm ut ho-minis imagine effigurarẽtur, quarũ conſuetudi-nem

Civitates planeta-rum.

nem & Chriſtiani Imperatores ſæpius ſecuti ita ſunt, ut à multis εἰκονομάχοι dicti ſint. Quarè pro templis illi *lucos* & *nemora* conſecrata retinuerant, in quibus ceremoniæ certæ per ſacrificia habebantur. Vidimus & eam conſuetudinem adhuc reliquam *Niemonis*, id eſt, hodie vocati *Memelu* accolas obſervare non longè à Regiomonte Boruſſiæ, ubi hircos potiſſimum mactant. Quare Germanica lingua *bockheiligen*, hoc eſt, hircorum cultores plærunque vocantur, eos tamen illuſtriſs. dux Albertus Marchio Brandenburgenſis, ſtudiorum ſingularis Mecœnas, ad veram pietatis Chriſtianæ formam reducere conatus eſt, iique ſunt veri in illis partibus Boruſſi, quorum lingua non eſt Vandalica & admodū peregrina ſed Græca deprava, ſicut Gallica & Hiſpanica ex Latina corrupta ferè nata eſt, ſicut ipſe uſu comperi, quoties Græciſſando illis locutus ſum, ut qui patriæ meæ vicini ſunt.

Auſpicia, ſorteſq; ut qui maximè obſervant. Sortium conſuetudo ſimplex, virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſq; notis quibusdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publicè conſulatur, ſacerdos civitatis, ſin privatim, ipſe paterfamiliæ precatus deos, cœlumq; ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur, & illud quidem etiam hic notum, avium voces, volatuſq; interrogare. Proprium gentis, equorum quoque

præ-

præſagia ac monitus experiri, publicè aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnituſq; ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides, non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum, illos conſcios putant. Eſt & alia obſervatio auſpiciorum, qua gravium bellorum eventus explorant. Ejus gentis cum qua bellum eſt, captivum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorũ, patriis quenq; armis committunt, victoria hujus vel illius, pro præjudicio accipitur.

XV.

DE SORTIBUS, ET AUSPICIIS Germanorum.

VEteribus erat μαντικὴ id eſt, certa divinandi futura ratio ex variis rebus. Germanis enim uſitatiores fuerunt ſors & auſpicia, ex quibus fiebant divinationes & humanorum eventuum prædictiones. In ſortibus quidem & prophanis eſt cauſa, ſed ea quæ ab aliis cauſa eſt per accidens, apud Ariſtotelem fortuna dicta. Sed hæc parum faceret, niſi tum ſpiritualis cauſa, cujus vi phantaſia movetur, & manus ſortientis impellitur, tum ſpiritualium miniſterium acceſſerit. Quamobrem ante ſortitionem ſacra propter ſpirituum ſortes dirigentium invocationem præmittebant. Sortes verò jaciebantur, aut virgulta diverſis notis ſignata, aut talo- *Sortium jactus.*

tum

rum jactus, aut teſſararum impulſus, aut carminum, ſeu Homericorum, ſeu Virgilianorum ſeu Pſalterii occurſus. Sortilegus autem in cauſa vel publica ſacerdos civitatis fuit, vel privata, paterfamilias. qui & ipſe domi ſuæ ſacerdotii officio fungitur. Verum quando ſortitiones licitæ ſunt, quando non, in ſacris literis ſolet fieri explanatio. Id tamen obſervandum eſt, ut *ſortes diurnæ*, hoc eſt quæ in unum diem durabant, iisdem erant, ſicut hodie multa Aſtrologorum vaticinia eò vergunt. Quare Germani ſubinde ſortiebantur, quod ſi uno die prohibuerant, altero eandem experiebantur. Neque tamen ſola ſorte cum aliquid fieri feliciter permiſerat, contenti erant, ſed & auſpicia propter rerum futuram certitudinem acceſſerunt. Germanis autem auſpicia præcipua judicabantur tria, quorum primum *ex avium*, aut *volatu*, aut *voce*, ſicut Romanis præpetes & oſcinæ erant, illud quidem oculis, hoc verò auribus innoteſcit. Alterum eſt ex *equorum hinnitu*, quos de more in lucis & candidos, & ἀζύγους nondum currui junctos publicè in hunc uſum alebant. Itaq; auſpices vel rex vel princeps eosdem non niſi ſacro curru preſſos, & junctos propter eorum & hinnitus & fremitus obſervationem comitabantur. Hoc autem auſpicii genus apud omnes maximi fiebat, adeò ut ſacerdotibus adæquarentur. Siquidem ſacerdotes deorum miniſtri, & equi conſcii divini conſilii judicabantur. Tertium eſt in *monomachia*. Nam in ſingulari certamine, & captivi, & unius alicujus ex

Auſpicia tria Germanorum.

ſuis,

ſuis, uter illorum ſuperior in eodem erat, animadvertebant, inde eidem parti victoriam tanquam rem præjudicatam pollicebantur. Fuit autem Germanis eadem, conſuetudo quæ Romanis, ut nihil inauſpicato facerent. Fuerunt verò vetuſtioribus auſpicia aut *pedeſtria*, quæ ex quadrupedibus capiuntur, aut *volucria*, aut *cæleſtia*, quæ bona ex parte μετεωρολογικῶς utpote cũ ex tonitruis & fulminum formis petantur, judidicari debeant, aut ſacra, videlicet ex ſacrificiis collecta. Ita Michael Scotus, ſi quid barbaro ſcriptori fidei eſt, & auguriorum decem genera enumerat, quæ cum ſint gentilia, & à Chriſtianiſmo diſſentanea, prudens omitto. Sic & ſingulis gentibus certæ aves futura præſagiebant. Unde Græci cum *aquila* ex dextra parte volarat, & maxime ſtridentibus alis, omen bonum indicabant, atque læta, & magna portendere dicebat. Inde & proverbium natum eſt, *Aquila volarat*. Sic & Athenienſibus ſua erat *noctua*, cujus volatus, ſemper fuit victoriæ auſpicium. Quid multis? & ſingulis penè principibus & imperatoribus, peculiaria ex avibus erant Præſagia. Nonne aquila Tarquinio Priſco, cum pileum in ſublimi detraxerat, & rurſus capiti impoſuerat, regnum ominabatur? Nonne & Alexandro Babyloniam ingreſſuro, & Ciceroni corvi involantes & obſtrepentes imminens periculum, extremasq; ærumnas prædixerunt? Ratum autem auſpicium eſſe contendebat, ſi corvus à dextra, & à ſiniſtra cornix aut picus apparuerat, Id quod & Melibœus Virgi-

lianus

lianus intellexerat, ſi poetæ genuinus verſus eſt, cum quærulus ſic canit

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Verùm iſthæc tam auſpicia quàm auguria. & plæraque divinationum genera Chriſtianus homo aſpernabitur, etiamſi quis ſigna eſſe contenderet, ſed idolatrica. Idquoque certum eſt. vel ex Plutarcho in Cæſaris vita, ut mulieres Germanorum ſortilegæ fuerant, quarum conſilio nullum prælium ante novilunium ipſi fecerant. Idem & Julius Cæſar repetit.

De minoribus rebus principes conſultant, de majoribus omnes, ita tamen ut ea quoq; quorum penes plebem arbitrium eſt apud principes pertractentur. Coeunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoetur Luna, aut impletur: nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, nox ducere diem videtur. Illud ex libertate vitium, quod non ſimul, nec juſſi conveniunt, ſed & alter, & tertius dies cunctatione coeũtium abſumitur. Ut turbæ placuit conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi jus eſt, imperatur. Mox rex vel princeps, pro ut ætas cuiq;, pro ut nobilitas, pro ut decus bellorum, pro ut facundia eſt, audiuntur, autoritate ſuadendi magis, quàm jubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum aſſenſus genus eſt armis laudare.

De

XVI.

DE CONSULTATIONIBUS *Germanorum.*

SIcut Græcis militibus ſuum erat *συνέδριον* ita Germanis erat conſultatio, in qua primum attenduntur cauſæ & negotia in ſenatum relata, eaq; ſunt vel minora vel majora. De illis principibus ſolis deliberare licuit, ſed de his non item. Deinde ſenatores adſunt, & principes & plebei de controverſiis deliberantes. Poſtea & tempus conſultationis præſcriptum eſt, tum *lunæ*, hac enim & *increſcente*, & *plena*, deliberationis tempus oportunum eſt, & dierum quos à noctis principio ad alterum usque ſupputant, tum cum iisdem tanta ſit libertas tarditatis vel intra triduum conventus. Adhæc in conſultationibus, non niſi armati & taciturni adſint. Nam cum per ſacerdotes ſilentium indictum eſt, cõfident. Poſtremo in hoc ſenatu reges vel principes magis ſunt ſuaſores quàm juſſores, ne quid Germanicæ libertati derogetur. His autem vel ſuffragantur, vel refragantur ſymbolis quibusdam, illic quidem *framearum concuſſio*, hic verò *fremitus* erat. Conſultationis autem nomine ſenatum, comitia, & conſilia intelligimus, in quibus actiones ſunt de rebus vel minoribus, quorum judicium eſt penes principes, ejusmodi eſſent cauſæ forenſes, privatæ, & lites & contentiones leviores, quas illi citra negotium cõponerent: vel majoribus, veluti eſſent publicæ totius aut civitatis, aut reipub. Hæ enim ejus- *Conſultationum ratio.*

modi ſunt, omnium ordinum in publica coronatum auſcultare, tum componere interſit. Nā quod commune eſt & publicū, neq; facile neq; tutum citra aliorum arbitrium eſt dijudicare. Quapropter id conſilii in controverſiis componendis potiſſimum placere debeat, atque etiamnum in pleriſque civitatibus eadem conſuetudo obtinetur, ut Judex vel pedaneus leviores cauſas penſitet & ſolus, ſed cum res ardua, periculoſa, totiq; reipublicæ oneroſa, aut tota civitas, aut ejus nomine ſæpe viginti quatuor viri convocantur. Neque tamen id prudentia caret, quod plebiſcitorum cenſura per principū placita, id eſt, ſenatuſconſulta præſertim quoties non è re publica fuerant, retractabantur. Id verò horrendum, ut non niſi armati coacto cōcilio interſint, Tyrii prorſus obſervarunt contrarium. Nam apud illos nemo cum telo concilium ingrediebatur, vel pœna capitis. Hic quoque erat aut diſſenſus, qui *murmure* & *fremitu* ſignificabatur, aut ſuffragium cum *frameas & tela concuterent*, ſonoq; armorum & *tripudiis* approbarent. Quæ conſuetudo fuit & Macedonibus, qui cū in publica conſultatione quidpiam improbarent, haſtis ſcuta quatientes obſtrepebant & averſabantur. Et ſicut Belgis ſilentium altiſſimum placuit in ſenaculo. Nam ſi quis aliquo concionante fremeret, parte veſtis mulctabatur. Ita Germani ſæpe tumultuabantur, & non niſi per ſacerdotis edictum tacebant. Erant & illis peculiares mores in rogandis ſententiis. Nā ſicut Syracuſis nemo rogatus ſen-

Senten. rogandar. mos.

ſententiam dixit, ſed ut quisque ætate & honore anteit, ita ſua ſponte quid ſibi conſilii ſit, in medium affert non rogatus, aut ſi omnes tacẽt, ſorte dicere coguntur, quibus in uſu erat, út in concionẽ prodituri per literarum elemẽta educerentur, ita Germani pro ætate & nobilitate primi audiuntur, ſententias autẽ rogabat ſenatus princeps. Mirum eſt cur non Perſas imitati ſint, qui probe poti & vino incaleſcentes vel de rebus graviſſimis conſultabant. Ridiculum hoc eſt, quod Germani & Lacedæmonii publicis conſiliis mulieres admiſerant, illasq; frequenti curia in exequendis negociis ſocias aſſumpſerant, multaq; fœminarũ arbitrio decreverant. Sic & Celtæ & Galli quicquid erat contentionis & inteſtinorum odiorum per fœminarum interventum compoſuerant. Rurſus Athenienſibus lex fuit, ut nulla fœminarum publicis conſiliis advocetur, nulli neq; ſuffragium ferre neque concionibus virorũ intereſſe liceret. Quid quod & Romani etiam pueros certis de cauſis excluſerunt. Tempus verò conſultationis fuit *luna, aut increſcente aut plena*, Sic enim cuncta felicius ſuccedere arbitrabantur juxta aſtrologorum placita, quæ & Turcam commoverant, ut is ſub initium novilunii prælium faciat, atq; inter inſignia ejusdem imago lunæ triduanæ perſpicitur, atq; adeo Viennam Oſtriæ ante paucos annos repetere conatus eſt, quod in D. Stephani turri ſit eadem luna deaurata. Is tamẽ conventus ſolet eſſe tardior propter libertatem. Nam ut ſtata hora, aut die juſſu princi-

Mulieres in conſiliis publicis.

Luna obſervantia.

pum convenirent, non conceſſerunt ſuæ libertatis ſtudioſiſſimi. Quare ſæpe trinoctium citius extrahebatur, quam convenirent. Eſt autem illis temporis ſupputatio, non à diebus, ſicut Romanis fuit, ſed à noctibus. Nam diem ſuum poſt occaſum ſolis, id eſt, noctẽ auſpicabãtur non aliter atque Judæi. Quapropter illis in more poſitum adhuc hodie eſt, ut noctes pro dierum multitudine ſubſtituant. Atque hinc quis videret, ut libertatem ſuam mordicus tenuerant, cum ſuaſores conciliorum principes tantum fuerant, & non præceptores & juſſores, cujus veſtigia paſſim ſunt reliqua, veluti cum princeps pro ſua libidine quodvis tentare non audeat, neque illi permittitur, ut nobilitatẽ totam convocat, ad ejus rei vel judicium, vel cõſultationem, talemque conventum plærunque *eyn ritterbanck*, hoc eſt, equeſtris ordinis conſeſſum nominant, & quicquid ibi decretum fuerit per nobilitatem, hujus & princeps arbitrio aut probat aut renuit.

Licet apud concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis intendere. Diſtinctio pœnarum ex delicto, proditores & *transfugas arboribus ſuſpendunt, ignavos & imbelles & corpore infames, cœno ac palude, injecta inſuper cratę, mergunt. Diverſitas ſupplicii illuc reſpicit, tanquam ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi. Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumq; numero convicti, mulctantur, pars ipſi qui vindicatur, vel propinquis ejus exolvitur.*

De

XVII.

DE POENARUM JUDICIALIUM diſcriminibus.

VErum cum in eodem concilio & crimen alicui facinoroſo intendere liberum erat, aut pœnæ aut mulctę militares habebãtur, quædam majores, ut pote quæ capitis ſupplicio luebantur, quædam minores, prout vel graviter vel leviter peccatum eſſet. Cautum enim eſt apud Juriſconſultos, ut non ſit major delicto pœna. Itaq; deſertores, ſeditioſos, fugitivos, aut ſi loco, ſtationéve, præſidióve ceſſiſſent, tergaq; dediſſent, aut ex caſtris aufugiſſent, tanquam peſſimo facinore aſtrictos capitali pœna plectere ſolebant. Hic autem eadem exprimitur, cum in crucem agebantur, atq; imbelles atque ignavi ſubmergebantur. Sic & Juba rex aſper & durus fuit, cum deſertores, qui loco amiſſo in caſtra aufugerant, cruce affixerat, eosdẽ Aphricanus poſterior beſtiis, Paulus Æmilius elephãtis objecit. Hodie quoq; in juſta militum ordinatione tales ſecuri percutiuntur, aut dum iter faciunt per taxiarchos & præfectos iſti damnati in aliorum militum haſtas & jacula currere coguntur, quod illi dicunt, *durch die ſpiß lauffen.* Mulctæ verò non erant pecuniariæ, ſed aut equinæ aut pecuariæ, quarum una pars vel regi, vel civitati ceſſit, altera ipſis vel eorum propinquis qui vindicabantur. Adjicit & ſententiam de ſuppliciorũ uſu. Nã ſic ſcelera, hoc eſt, gravia

Deſertorum & ſeditioſorum pœna.

& enormia delicta publice puniuntur, ut ſit aliis cõſceleratis gravius terriculamentum. Verùm in flagitiis, hoc eſt, levibus erratis aliquantulũ connivendum eſt, Quare Romani leviori pœna ſæviebant, veluti cum pro frumento hordeum dederant, aut extra vallum ſive tentoriis relinquerant, aut diſtrictis gladiis diſtinctos deſtituerant. Sic enim variis ignominiis affecti, & his contumeliis coerciti diligentius mandata exequuntur. Cæſar verò utiq; in aliis rebus convivere ſolitus, ſed ſeditioſorum & deſertorum acerrimus fuit inquiſitor & punitor maximus. Nota eſt Sertorii in eadem diſciplina ſeveritas cum cohortem propter morum obſcœnitatem, & immodicas rapinas ad unum interfecerat. Erat quoq; cenſio haſtaria, quoties milites haſtas dare jubebantur. Nam nonnullis propter probra ignaviæ & luxuriæ haſta adimebatur. Siquidem ſicut glorioſum erat, quoties viri fortes pura haſta donabantur, ita valde ignominioſum judicabatur, quoties ignavis & contumacibus adimebatur, tanquam ſpes merendi ſtipendia illis adempta foret. Ita nõ pro levi noxa ſed pro acri delicto hæc animadverſio habebatur. Vetuſti quoq; ſolebant aut militię gradu dejicere, aut exautorare, aut equum illi adimere, aut virgis cedere. Quid multis? quisq; ducum ſua diſciplina, eaq; familiari contentus erat, veluti cum Tiberius & prætorianum militem ob ſubtractũ pavonem capite punierat, cum & Peſcenius Niger ob ſurreptum gallinaceũ ea epulones affecerat ignominia, ne porrò illis furtum facere lice-

licerec, neve quid cocti obſonii ſumerent, ſed pane & frigidis veſcerentur, adeo multis Principibus & furta militum diſplicuerunt; Itaque legibus militaribus prudentiſſimè ejusmodi cavere conſueti erant. Dici nequit, ut Hiſpani juxta cum Germanis ſint furaciſſimi, aut propter imperatorum negligentiam, aut propter legum militarium (vulgò *die Artikels brieffe* in quo articuli & puncta earundem adnotata ſunt) contemptum.

Eliguntur in iisdem conciliis & principes, qui jura per pagos, vicosq́ reddant. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & autoritas, adſunt. Nihil autem neq́ publicæ, neq́ privatæ rei, niſi armati agunt. Sed arma ſumere non ante cuiquam moris, quàm civitas ſuffecturum probaverit.

XVIII.

DE PRINCIPUM ET COMITUM electione.

ECquis hic non videt alios Germanorum veterum fuiſſe principes atq; nunc extare perſpicimus, cum hodie juxta cognationem ſic ſalutantur, quaſi & virtus in poſteritatem ſemper propagaretur. Olim autem principes, id eſt, vel principatum habentes, vel præcipuum locum ab officio, quod erat per pagos & vicos jura reddere, erant, & non hæreditarii, ſed concilii arbitrio & conſenſu electi. Eadem & cum comitibus ratio habebatur, qui hic alii non ſunt, quam principum vicarii, cum hi tot pagis

& vicis impares in jure dicendo eſſent. Itaque principibus ſingulis ex plebejo ordine *centeni comites* propter delegati muneris executionem adjiciebantur, ut iisdem eadem juris reddendi vicatim poteſtas, eademq́; conſilii dignitas eſſet, quæ ipſis Principibus, cujusmodi ſunt noſtra memoria, quos more Græcorum *Vogte* nominamus, ſicut illis βοηθοῖς, id eſt principum ſic electorum auxiliares miniſtri ſunt. Quare eorũdem officium & illis eſt βοήθεια & nobis *die Voſthey*. Deinde in ſingulis vicis ſunt & hodie judices, quos à debito *Schultheiſſen* exigendo videlicet obligationis, nuncupamus. Polybius quoq; more Romanorum τοὺς πρίγκιπας, ſed in aciei inſtructione agnoſcit. Nam poſt haſtatos principes, ſequebantur virib. & ætate fortiores, & principes ordines ducebãt tãquã ætate robuſtiores, & uſu doctiores ab haſtatis per intervalla diviſi, proxime eos tertii vexilli triarii ſubſtituebantur. Sic & in theologia gentili principes dii colebantur, qui ſunt magni, & duodecim numerantur. Alii enim tanquam inferioris notæ *communes* dicti ſunt. Laudanda autem eſt imago apud Lacedæmonios, & judicum ſine manibus, & principis ſine oculis in foro propoſita, ut in reddendo jure, nullis munuſculis, nullisq; affectibus permoveantur.

Tum in ipſo concilio vel principum aliquis, vel pater, vel propinquus ſcuto frameaq́; juvenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus juventæ honos, ante hoc domus pars videntur, mox reipu-

reipublicæ. Inſignis nobilitas aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adoleſcentulis aſſignant. Cæteris robuſtioribus ac jam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites aſpici. Quorum nam judicio adoleſcentuli arma ſumebant.

Prudentiſſimè ne quis temerè ſibi arma quælibet ſumeret præcipuè ad excitandos & erigendos animos adoleſcentulorum, caverunt. Quæ ratio eſt & in Scholis, quoties propter ordinē diſcendi & docendi authoritatem, & ut animi aliorum exemplo candidatorum confirmentur & imitentur, aut magiſtri aut doctores renuntiantur. Neque diverſa fuit conſuetudo Romanis in veſtitu. Nam multò honoratiores erant quibus donabatur *toga*, ita & hic in publico concilio vel princeps vel pater, vel propinquus armis, cujusmodi ſunt *ſcutum* & *framea*, tales adoleſcentulos ornabant, ut porrò non domus propter hæreditatem pars eſſet, ſed reipublicæ, cui eundem ſic ornatum inſervire oportebat. Atq; hodie nobilitati idem eſt mos, cujus liberi dum aliquot annos vel principi vel epiſcopo ſervierint, eorundē juditio ijdem armis digni pronunctiantur, quod illi dicunt eynen werhafftig machen/ hoc eſt, dignum armis æſtimare potiſſimū cui rei bellicæ ſpecimen quoddam præbuerat. *Inſignia* quoque incitamenta honoris addebāt, quorum unum eſt dignatio apud principes. Hi enim tanti faciebant illos, ut paternorum meritorum ijsdem aſſignaretur, & ſic hæc nobilitas eſſet, & ingenita & parta. Al-

terum eſt *conſuetudo*, quæ licita fuit illi cum ſenioribus & bene approbatis militibus. Tertium eſt *convictus*, quo illi vel inter comites abſque ullo pudore vivere licuit.

Gradus quinetiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur. Magnaq; & comitum æmulatio, quibus primus apud principem ſuum locus, & principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circundari, in pace decus, in bello præſidium. Nec ſolum in ſua gente cuiq;, ſed apud finitimas quoq; civitates id nomen, ea gloria eſt, ſi numero ac virtute comitatus emineat, expetuntur enim legationibus, & muneribus ornatur, & ipſa plerumq; fama bella proſligant. Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adæquare. Jam verò infame in omnem vitam ac probroſum, ſuperſtitem principi ſuo ex acie receſſiſſe. Illum defendere, tueri, ſua quoq; fortia facta gloriæ ejus aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victoria pugnant, comites pro principe.

XIX.

DE COMITUM ORDINIBUS, & ſtudio.

ET hic prudentia Germanorum collaudanda eſt, quòd honoribus voluerant ſua eſſe incitamenta, quæ præſtantiora non ſunt quam in comitum & æmulatione & ordine, & eò digniores judicabantur, quo is quem ſequebantur,

tur pr[illegible]ſtabat. Nam & Latinis ſunt *comites à* **Comites.**
comitando, principes enim quorum operæ de-
ſtinati ſunt comitantur, & ut hic dicit, ſectan-
tur. Neq; parum refert quibusnam quiſpiā in-
ſerviat. Neq; defuit principibus ſua æmulatio,
qui comites ſibi eſſe & plurimos & acerrimos
affectabant, & ſi ambitio quædam videatur, ta-
men ad honorem eſt incitamentum. Verùm ut
alrius etymū noſtratis vocabuli (*der Graven*) ex-
quiratur, pauca ex Romanæ reipublicæ ſtatu re-
petam. In hac ſanè fuerunt *ſenatores* vel *ſeniores*
ipſi *patres*. non quod ſenes fuerant, ſed quod tū
ſenili prudentia, tum paterno affectu ad reipu-
plicæ gubernacula ſedebant. Ad hunc modum
Galli & Germani ſenatores ſuos comites *die*
Graven, hoc eſt, ſeniores aut *præfectos*, aut *judi-* **Graven.**
ces aut γεραίους nuncuparunt. Verùm cum autho-
ritatis ſenatoriæ vis minuebatur, & Cæſares in
ſuſpicionem tyrannidis venerant, nomen patrū
aut ſenatorum Romæ in deſuetudinem abijt, in
ſuorum locum *comites* ſurrogati ſunt, qui Cæ-
ſaris initium ſententiamq; ſequebantur, quibus
etiamſi conſultatio cū Cæſaribus fuit, tamen
inferioris dignitatis cenſebantur, ne ſocij, ſed
comites eſſent. Quare Cæſares quibusdam re-
giones quasdam commiſit, quæ *comitatus* no-
men receperunt. Ita apud principes Germano-
rum eodem fuerunt loco & ipſi comites, quo-
rum comitatus non erat hæreditarius, ſicut fa-
ctus poſt Caroli magni tempora. Nam antea
uno comitum demortuo mox alter huic præfe-
cturæ aptus eligebatur, Atq; ſub rege duces erat,

& principes, qui ſæpe nobiles duces nuncupabantur. Siquidem comites loco judicum habebantur, & alij præfecti nobiles hæroës nominantur. Verùm quando ſub Othone imperium Romanum Gregoriana lege ad Germanos vere translatum erat, mox comitibus & principibus in altiorem dignitatis gradum ſubvectis ditionum quibus præfuerant hæreditas venit, & ſic olim abſque omni adulatione filij principum *jungherren*, hoc eſt, *minores heri* vocabantur, hodie vel ruſtici nobilitatis ſibi vendicare audent, quibus vix quippiam aut impurius, aut ignobilius eſſe poteſt. Hinc fit, ut hodie varij comites ut palatinus *der Pfaltzgraff*, Provincialis *Landtgraff*, Marcæ, id eſt, limitis, aut certi diſtrictus *Marckgraff*, caſtrenſis *eyn Purggraff*, atque ita comitatum fuiſſe ἑταιρίαν quandam ſatis dilucidè patet, atque hinc intelligi poteſt illud Juriſconſulti, ut *Mathematici*, id eſt, magi & præſtigiatores, neque ſub Cæſare, neque ſub Auguſto, neque ſub ejus comitatu ferendi non eſſent. Tales autem comites apud Germanos in ſummo honore habebantur, modo legati & ibi ut fieri ſolet vel hodie multis muneribus ornabantur, modo bellatores tanti, ut etiam eorum fama hoſtes profligarat. Itaque & eorundem præcipuum fuit munus, ut ipſi pro principe decertarent, & ſicut turpe fuit principi non virtute excellere, ita comitibus ſummũ dedecus fuit, cum non virtutem cum principe adæquarent. Quarè cum tantopere pro principis ſalute dimicarant, ſuperſtitem mortuo principe permanere valde

re valde ignominioſum judicabatur. Sic & eorum ſacramentum militare urgebat, ut principem defenderent, tutarentur, & egregia facinora non ſibi, ſed virtuti principis adſcriberent. Huc ſi quis vellet, mutationem imperij afferret, totamq; Germaniam in *duces* in *Landtgravios*, in *Marggravios*, in *Burggravios*, in *comites Palatinos*, in *comites Liberos*, in *Barones*, in *nobiles*, in *epiſcopos*, in *abbates*, in *præpoſitos*, qui & olim fuerunt ἀρχιμανδρεῖται, in *civitates imperiales*, in *ſocias civitates maritimas* diviſam inveniet, cum magnorum titulorum, ſi deo placet, acceſſione.

Si civitas in qua orti ſunt, longa pace & ocio torpeat, pleriq; nobilium adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumq; comitatum non niſi vi belloq; tueantur, exigunt enim principis ſui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemq; frameam. Nam epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella & raptus. Nec arare terram, aut expectare annum, tam facile perſuaſeris, quàm vocare hoſtes & vulnera mereri. Pigrum quinimo & iners videtur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare.

Quoties bella non ineunt, non multum venatibus, plus per ocium tranſigunt, dediti ſomno, ciboque. Fortiſſimus quiſq; ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura, fœminis ſenibuſq; & infirmiſſimo cuiq; ex familia:

lia. Ipſi habent miram diverſitatem naturæ cum iidem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem.

XX.

GERMANI NON SUNT OCIOSI, ſed bellis aſſueti & dediti.

BEllaces Germanos fuiſſe vix unquã fuit, qui in dubium vocarit. Nam id non ſolum plurimæ hiſtoriæ, ſed & experimenta per multa ſecula usq; in diem conteſtantur. Nota eſt ſententia, ad quam & Tacitus alludit. *Oportet hominem, aut literis, aut bello inclareſcere.* Ita cum Germanis quies ingrata erat, aut comitatũ præfecti vi & bello, ſic decet, defendebant aut irrumpebant. Itaq; etiamſi Romani omnes regiones ſibi provinciales eſſe optabant, tamen Germaniam totam nunquam vicerunt. Quare juxta Senecam *Romanorum pax eſt usq; ad Germanos.* Cæſar Arioviſtum cum Germanis ex Belgico citra Rhenum repulit, ſed cum primum Suevos exercitũ conſcripſiſſe ad perſequendũ audierat, mox refracto ponte iterum abijt. Bellicoſos fuiſſe Germanos & Druſus ſub Auguſto imperator deſignatus uſu comperit ſuo triẽnali bello, in cujus locum Quintilius Varus ſucceſſit, cujus tanta clades fuit, ut præ ægritudine animi caput parieti impegerat, & clamaverat. *O Quintili Vare legiones refer.* Etiamſi Tyberius Druſi frater in principio felicior fuit, tamen tandem diſcedere cogebatur, ſuamq; fortunam poſt Tyberium & Veſpaſianus in Germania experiri voluit, qua-

Bellaces Germani.

draginta

draginta prælijs tantam cladem acceperat, ut deſtigerat. Trajanus donis Germanos ſibi placauit. Ita quis per hiſtorias & temporũ ſeriem usque ad Valentinianũ & deinceps pergeret. Non deſunt, qui ſibi veluti à devicta provincia, ut creditur, Germanici titulum vindicarint, ut Druſus vix eam partem, quæ eſt in ulteriori ripa Rheni nobis ad Moſellam in provinciam redegit, ilico ſcilicet Germanicus ſalutari voluit; Quantula quæſo hæc eſt portio ad Germaniam totam? Adeo ſuum comitatũ tutari ſtudioſiſſimè laborarũt, aut alijs pugnantibus auxilio fuerunt, quoties apud eosdem ſtipendia fecerant; veluti apud reges, apud Imperatores & alios quorum res geſtæ non ſunt obſcuræ, aut erant Cæſarum & Regum σωματοφύλακες, id eſt, *corporum cuſtodes*, quales & hodie Galliarum rex, & Romanus pontifex ſibi conducit, aut factæ ſunt ab ijsdem in Italiam, in Traciam, in Galliam, in Hiſpaniam, in Aphricam irreptione, ſicut & hodie eorundem nomina in ijsdem partibus audiuntur. Optarem cui plus ocij eſſet, ut bellorũ Germanicorum hiſtorias & annales, usq; ad Carolum quintum, vel in tanta barbarie quiſpiam cõſcriberet, atq; ſic Germanos belli avidos juxta Senecam affirmaret, atq; ſic Germanis eſſe robuſta corpora, primoque impetu contra hoſtes congredi juxta Joſephum approbaret, atque ſic ipſos cum finitimis bella gerere, cauſas eorum ex libidine accerſere, neque imperitandi neque prolatandi quæ poſſidẽt ſtudio (Nam ne illa enixe quidem colunt) ſed ut circa ipſos quæ jacent,

vaſta

vaſta ſint, præliari juxta Melam aſſereret, atque ſic eorundem *mulieres bellicoſiſſimas* fuiſſe juxta cum Strabone confirmaret. Si quis vero illorū morum cauſas rimaretur, Galenus in 2. de temperamentis eos iracundos facit, audaces & præcipitis conſilij. Nam naturalis calor in viſcera confugit, ubi dum agitatur, premitur, efferveſcit. Quarè ſubito iraſcuntur, & ſeſe in pericula conjiciunt, neq; diu de eventu rerum futuro conſulunt. Multum quoq; facit quod ſic à teneris unguiculis educati, ſic inſtituti ſint. Cæterum ſtipendiū alijs atq; alijs nationibus eſt nimis diverſum. Germani epulas & apparatus, non ita lautos & delicatos, largos tamen pro ſtipendio recipiebant, alioqui propter principem armis donabantur, ut *equo bellatore*, ut victrice *framea*, ut *deauratis armis*, aut *phaleris* & id genus alijs. Id tamen præcipue ad comites principum qui pro horum ſalute dimicabant, referendum eſſe judicarem. Ita olim Ægyptij ſuis militibus præter prædas panis toſti pondera definita carnis bulæ minas, vini ſextarios quaternos ſingulis dabant. Quarè Germani milites non erant, ſicut hodie conducuntur mercenarij, ſed ijſdem munificentia erat, ſi bello & raptu victū ſibi pararent. Bello quidem propter prædam, Raptu autem propter latrocinia & furta. Nam Cymbri & Germani etſi duri ſint atq; laborioſi, tamen latrocinijs & rapinis quarum nullam infamiam putant, à pueritia dediti erant. Sic & Ægyptij furta legibus inulta reliquerunt. Itaque Lycurgus furta impunita eſſe voluit, ut ingenia

magis

magis exacuerentur, animoq; ſolertiore eſſent. Sic & apud Perſas Cardaces non niſi raptis bone vincebant, ſicut & Tauroſcythæ juxtà Herodotum. Honeſtius eſſet ut ſtipendijs ſuis contenti milites in juſto bello decertarent. Noluit Solon eam licentiã permittere Athenienſibus, ut quid quod non potuiſſet, tolleret, ſed ut improbus pœnas lueret, legibus cavit. Draco autẽ multò ſeverior fuit, cùm omnes ab alieno manum abſtinere decreverat, & vel eum, qui ſtercorandi cauſa ſtercus bubulum abſtuliſſet, aut olera, capitis ſupplicio afficeret, eumque furem judicavit, qui invito domino aliorſum, quàm quò utendum acceperat, deduceret. Id quod & furti definitio & tractatio manifeſtiſſimè apud Juriſconſultos exigit, atq; Draconis legem maximè explanat. Hinc factum eſt, ut non tantum agriculturæ operam dederint, quantam rei bellicæ. Maluerunt enim victum ſibi ſanguine, quàm multis laboribus comparare. Itaq; Cæſar Germanis mirã & inopiæ, & egeſtatis & patientiæ conſuetudinem fuiſſe memoriæ prodidit, neq; agriculturæ ſtuduiſſe, ſed majorem victus partem in lacte, caſeo, carne conſtitiſſe, nec agros proprios habuiſſe, ſed ut magiſtratus in annos ſingulos deſignaſſent, ita permutatis vicibus habitaſſe, & coluiſſe, ne videlicet aſſidua conſuetudine capti, belli gerendi ſtudium agricultura permutarent, neve qui latos fines paraſſent, humiliores poſſeſſionibus ſummoverent. Poſtremo ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua ex re factiones naſcuntur. Verùm cum Me-

la Germanos victu aſperos eſſe & ita incultos, ut cruda carne, vel recenti vel renovata veſcantur, poſteris ſcriptum reliquerat, id non Germanis, niſi extremis juxta Beroſi ſententiam, ad Tanain accolis conveniet, ubi Scythæ propter viciniam Germanis permiſti erant, & inter Scythas ſunt & *Tractari*, quibus hodie eſt nomen *Tartarorum*, & hi etiamnum carne cadaveroſa victitant, ſicut ipſe plus millies in arce Cracoviana, in Maſſobia, in Ruſſia, in Boruſſia (ubi compedibus vincti juſſa herilia exequuntur) vidi. Contra ubi Germani ſunt ocioſi & neque prælia faciunt, neque venantur (ſiquidem hæc natio venationi dedita eſt, & ſi quis eorum ſtudia, & artificia in venationibus attēderet, Xenophontea conſilia derideret) indulgent & gulæ, & crapulam edormiunt. Nam cura vel infimiſſimis ex familia rerum & agreſtium, & domeſticarum, vel ſenibus vel fœminis delegatur. Ipſi verò aut bella crepant, aut otio immoderato vitam extrahant. Merito igitur Tacitus eorum naturæ diverſitatem admiratur, ut pacati inertiam adeo adament, & viceverſa quies ijſdem ſit odioſiſſima. Hinc colligitur, ut bellum Germanis erat contra inertiā, contra gulā & contra torporem & ſoporem remedium præſentiſſimum.

Mos eſt civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, atiam neceſſitatibus ſubvenit.

XXI.

DE LIBERALITATE CIVITAtum in principes.

Penſitationes.

MAgis conſuetudine, quàm lege aut divina aut humana adductæ civitates Germanorum erant, ut principibus tanquam legitimo magiſtratui propter tutelam, propter adminiſtrationem juſtitiæ, & honeſtatis cuſtodiam, ultro & viritim aliquid penſitarent. Fuerunt autem tria penſitationũ genera, *canon*, *oblatio* & *indictio*. Canon quidem portoria, vectigalia, tributa (quæ tributim à ſingulis proportione cenſus exigebantur) & decimas frugũ complectebatur. Ita oblatio plerumq; vel ex mercimonijs cum aliquid ex vino aut heminatim aut cuppatim aut culeatim divendito, vel à negotiatoribus ſeu ſolidarijs qui res integras & ſolidas venditãt, ſeu minutim, ut qui ſunt & propolæ, colligitur. Indictio vero eſt collatio, quam & Cicero collectã, Græci *ἔρανον* & interdum *ſymbolũ* vocabant non niſi extrema neceſſitate permittebatur. Itaq; olim erat breviariũ principale, quod ferè ſummam aulicarum expenſarum etiam voluptuarium, utpote *avitij* & *equitij* continet. Meminerimus ut ultro & viritim collationes fiebãt, nam tunc ſubditos etiamſi tondere integrũ fuerat, tamen deglubere principibus non licuit, neque tot indictionibus illos onerabant, volentes igitur conferebant. Hodie multæ ſuperindictiones nonnullis principibus non ſatisfaciunt cum ſuarum rerũ negligentiſſi-

mi ſint, cum nullum breviarium vel primariũ vel ſecundarium ſupputent, cum harpijs inſatiabilibus multa donent, quaſi hoc modò liberaliſſimi eſſent. Quare fit, ut ſubditi omnino exugantur, & utrobique ceu pertuſa dolia reliqua eſſe videantur.

Gaudent præcipuè finitimarum gentiũ donis, quæ non modo à ſingulis, ſed publice mittuntur. electi equi, magna arma. phaleræ, torquesq;. Jam & pecuniam accipere docuimus.

XXII.

DE MUNERIBUS QUIBUS gaudent Germani.

VErum eſt quod ille cecinit.

Munera crede mihi placãt hominesq; Deosq;
Flectitur iratus Juppiter ipſe datis.

Germani verò cum milites fuerant, multo gratiora habeant dona militaria, cujuſmodi erant, electi *equi*, illuſtria *arma*, *phaleræ & torques*, verũ poſtea acceſſerunt munuſcula & aurea & argentea, quibus animi conſtantiſſimorũ virorum nonnihil frangi ſolet, neque alia ratione ſibi Germanos Trajanus retinuit, quàm ejuſmodi donis. Verum eſt illud Euripidis.

Dona militaria.

—— πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος
χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς

Quapropter ſubjecit Tacitus, jam & pecuniam accipere docuimus, ubi bigatorum & ſerratorũ ſupra facta erat mentio. Et cum haud multo ante indicarat comites legationibus gaudere, & ea munera innuere videtur, quæ lautiorum ap-

pellatione

pellatione comprehenduntur, ſiquidem Plutarchus [illegible], inquit, λαυτία τὰ πεμπόμενα τοῖς πρεσβεῦσι ξένια, hoc eſt *lautia*, quæ olim & Daucia juxta Feſtum nominabantur, *munera legatis exterarũ gentium dono mittenda*, cujuſmodi apud Livium Attalo fuerant decreta. Quibus verò aut nihil donabatur, aut ſtipendia eradebantur in Panegyrico Pliniano *eraſi* appellabantur, qui mos & in militum luſtratione obſervatur, quoties nonnullorum nomina certis de cauſis, quæ tamen ſæpe odio conceptæ ſunt, expunguntur.

Nullas Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſt, ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Colunt diſcreti ac diverſi, aut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in noſtrũ morem connexis & cohærentibus ædificijs. Suam quiſque domum ſpatio circundat, ſive adverſus caſuum remedium, ſive inſcitia ædificandi.

Ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum uſus. Materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem aut delectationem. Quædam loca diligentius illinunt terra ita pura & ſplendente, ut picturam & liniamenta colorum imitetur. Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eosq́ multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hyemi & receptaculum frugibus. quia rigorem frigorum ejuſmodi loca molliunt. & ſi quando hoſtis advenit, aperta populatur, abdita autem & defoſſa, aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt, quod quærenda ſunt.

XXIII.

VETERIBUS GERMANIS TANtum civitates & vici fuerunt & non urbes.

ID admodum probabile eſt, urbes olim in Germania non fuiſſe, cum ipſa in pagos & comitatus per principes & reges diviſa erat, neq; certitudo poſſeſſionis aut in agris, aut in ædiculis ea de cauſa, quã ex Cæſare attuli, conſtituebatur. Quare *civitas* illis fuit, non quælibet hominum multitudo collecta, ſed & ea quæ ad ſtatum rerum ſuarum tuendum per ſe ſufficiebat, & quæ legum vitæq; conſenſu conjuncta eſſet. Itaque vel juxta Rodulphi finitionem civitates Germanorum ſunt, confœderationes & facta, quam *ligam* barbari ſolent appellare. Itaque apud Cæſarem eſt civitas, *Helvetiorum*, *Heduorum*, *Nerviorum*, *Rauracorum* & aliorũ, ſicut ex illius commentarijs ſatis liquido conſtat, cui ſuæ erant leges, inſtituta, mores, & agri, & ſic Germanis eſt, vel Eidgenoſſen/ vel ein Gericht/ vel ein Gemeinde. Atque totam Marchiam *Brennopyrgenſem* recte Cæſariano more *civitatem Marchicam* nominaremus. Ita & pagos tum numerarunt tum nuncuparunt, aut à puteo, aut fonte, aut à campo, aut à nemore, ſicut ſupra eorum mentio facta eſt, in quibus vici ædificijs non cohærentibus exſtructi erant, Romanis enim connexa, eaque perpetua juxta virorum Latinorum deſcriptionem exædificata placebant. Duas autem cauſas ſubnectit Tacitus in-

Civitas quid Germanis veteribus.

Pagi.

tus intervallorum intra domus vel propter incendium vitandũ, vel propter extruendi inſciciam, utraq; tamen non eſſet adeo à veritate aliena. Siquidem & hodie apud Lygios multi vici aliquot M. Paſ. longi reperiuntur, in quibus domuncularum magna ſunt intervalla, & ſingulis ſua prædia adjuncta, & hujus conſilii cauſam incendio prætendunt. Deinde etiamſi inſignes tum affuiſſent artifices, & mechanici, tamen cũ materia extructionum deſit, nihil profuiſſent, Fateor in villis & vicis multas caſas ex paucis lignis, argilla ſeu limo contectis adhuc videri, ſed cementorum & tegularũ copiam illos non deſideraſſe arbitror, ut qui & ſimplicitate & mundi rudimento contenti erant, Nonne, Tacite, tua Roma domos rudi cemento conſtructas ſcandalis aut robuſteis aut ſtramenteis urbem contectam per quadringentos annos uſq; ad Pyrrhi bellum habebat? Nonne Galli domicilia pluteis & cratibus intexebant? Nonne Britanni in tugurijs una cum armentis ſtabulabantur? Nonne Ligures montani ſpeluncas & vaſtiſſimos ſpecus aut cubilia modica ſubobſcura incolebant? Nonne Dardani foveas ſubterraneas & ſordidas ædes inhabitabant? Nõne Mardi in ſpecus montanos ſe, conjuges & liberos receptabant? Ita rudiſſima erant & ubique non tantum architectonices, ſed & omnium artium atque ſcientiarum rudimenta. Alia cum Sabæis & alijs Arabibus, alia cum Corcyræis, ubi & Alcinoi domus ab Homero laudatiſſima fulgebat, alia cum Perſis, alia cum Indis, alia

cum Spartanis, alia cum alijs Græcis, à quibus & architectura & aliæ artes juxta cum vicijs in Italiam promanarunt, ratio erat. Vidimus tamen & in Pannonia utraq;, & in Moravia hodie ſic dicta, antra tum ruſticorum tuguria, tum frugum receptacula forſan propter aſſiduam hoſtium incurſionem excavata.

Tegumen omnibus ſagum, fibula, aut ſi deſit, ſpina conſertum. Cætera intecti, totos dies juxta focum atq; ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtinguuntur non fluitante, ſicut Sarmatæ ac Parthi, ſed ſtricta & ſingulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquiſitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras, & detracta velamina ſpargunt maculis, pellibusq; beluarum, quas exterior Oceanus, atque ignotũ mare gignit. Nec alius fœminis quàm viris habitus, niſi quod fœminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eosq; purpura variant, partemq; veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia ac lacertos. Sed & proxima pars pectoris patet.

XXIIII.

DE GERMANORUM VEſtitu.

Veterum Germanorum ſtolam, ſi quis cum præſente contulerit, plæraq; ejus partes ſimpliciſſimas & pauperrimas utique ubique reperiet. Veſtis autem erat ſagum villo craſſiore contextum militiæ aptum contra cœli intem-

tem-

temperiem. ſi quando neceſſitas urgebat, quieti utile, & cum plerunque ſtrictum eſſe ſoleat, conſerebatur, id eſt. connectebatur circa pectora, vel fibula, quæ ferè aut oſſea aut metallica eſſe conſuevit, vel ejus loco ſpina & aliud ligni fruſtillum aduncum, ut facilius ſagum conſereretur. Reliquis verò partibus non ſunt tecti, cum illis neque fœminalia, neque ocreæ, neque calcei fuerant. Rationemque Tacitus affert *Totos*, inquit, *dies ad focum ſedent & ad ignem*, Talis verò veſtitus adhuc apud *Roxos* inter plebejos ubique videtur, & *Sagum* non eſt, quod armis ſuper inducitur, ſicut Græci περιθωρακίδα nominarunt, ſed frequentius veſtis militaris, quæ & Græcis eſt ἐσθὴς στρατιωτικὴ, atque hic eſt viatoria, imò quotidiana, nos *Sagum* vocabulo *Sagum.*
à villi craſſiſſimi contextura, & velamine compoſito *ein filtzmantel*, ſicut & *fibulam ein heft* nominamus. Hodie tamen plerique cingulo lato, ſub quo marſupia conſuta ſunt, ſuccinguntur. Verum ditiorum ſtola, ut credibile eſt, fuit aliquanto comptior, & ſic ſtricta, ut artus majores in veſte extuberantes conſpicerentur. Mirum eſt ut cuncta ſint inverſa. Nam hodie Sarmaticæ ſunt ſtrictæ, nobis fluitantes, admodum & ſinuoſæ & complicabiles. Sunt quoque Germanis uſitatiores *rhenones*, ſicut eoſdem illis *Rhenones.*
Cæſar tribuit, qui ſunt veſtes pelliceæ maximè ferinæ in uſum humanum redactæ, quorumque etymum rectius Græcum eſt ἀπὸ τοῦ ῥινοῦ id eſt à pelle, quàm ab renibus quaſi hos ſolos calidos retineret. Hic verò quis in dubium vocaret duo

adverbia negligenter & exquiſitius. Aut eſt *negligenter* pro raro. & *exquiſitius* pro eo quod eſt frequentius. Sic apta eſt ratio ſubdita. Quia nullus per comertia illis ſolet eſſe cultus. Solẽt & novarum & excultarum veſtium rationes mercatores magis, atque milites excogitare: aut eſt negligenter idem, quod impolite, non artificioſe, exquiſitius idem, quod excultius, artificioſius, ſicut utrobique vocum propria natura eſt. Sic *Rhenani*, hoc eſt qui proxime Rhenum habitant exquiſitiorem haberent cultum, atq; interiores Germani, cum iisdem nulla per mercatores conſuetudo ſit, negligentiorem. *Rhenones* autem ex pellibus animaliũ detractis & excoriatis, quas variis coloribus ſpargunt, id eſt, tingunt, & pellibus belluarum ſubducunt, (Nã hic ſpargendi verbum aut largius ſumendũ eſſe aut aliquid deeſſe judico) cujusmodi luporum, vulpium, leporum, cuniculorum, aut urſorum, unde ſunt veſtes *lupinæ, vulpinæ, leporinæ, cuniculinæ, urſinæ*, & aliæ id genus. Quid quod & præſtantiſſimæ pelliculæ non ex mari ignoto, quod *Cronion* eſſe dicitur, ſed ex terris Balthico ſinui adjectis deinceps & Boream & ortum verſus ad *Rha* fluvium, hodie *Volga* dictum, quo loci degunt Boruſſi, Livonii, Moſchi, Lituani, & Tartari nonnulli, quibus maxima iſtiusmodi eſt pellium copia, & præſertim muſtelarum genera, quorum aliquot ſua habent nomina, ut *Martes Marciali*, ſed hodie eſt vulgo *Mardrus*, & hoc multo præſtantior *Zobellus*, & pelliculæ inde Zobellinæ. Quare in capitibus civitatum

Sarma-

Sarmaticarum publica & celebria in illarum pellium negociatione emporia ſunt, *Vilnæ* equidem celeberrimum, & id quottidianum, ſolo die dominico excepto, vidi in medio foro, ubi ejusmodi pelliculæ in domo magnifica & huic negociationi apta venundantur, utpote ex lupi canis, ex leporibus albis, ex muſtelis, ex viverris, ex muribus, vel Ponticis, vel Noricis, vel Pannonicis, vel ſylveſtribus, & ex aliis compluribus feris, quæ tamen & Lublini in Maſſobia, Boſonaniæ in majori, Crocaviæ in minori Polonia, Dantiſci, Regiomonte, Torunni in Boruſſia proſtant, ſed per certos mercatus. Quare factum eſſe non dubito, quod Vilnæ platea integra latericiis ædibus conſtructa à Germanis mercatoribus, & Germanica hodie dicta ſit. Vix Tacitus & *Lappones* intelligit ſuo tempore non ita notos, ſed revera iſthinc, & ab vicinis accolis *ſinus Finnonici*, (qui eſt extrema Balthici ſinus usque ad Boream) & pretioſæ pelles, & plurimæ veluti ex Phocis, ex ſuibus per mercatores afferuntur. Sed & *belluarum* verbum iisdem aptius quadraret. Græcis quoq; antiquiſſimis pelles leonum, pardorum, ovium, & caprarum, & luporum à principio in veſtitu uſitatiſſimas fuiſſe vel ex ipſo Homero colligitur. Neque Mauri, leonum, pardorum, urſorum tergora propter ſtolam repudiabant. Scythæ olim vulpium & murium velaminibus detractis operti incedebant. Hiſpanis primum fuit & ſagulum, mox & ſtolas & togas à Romanorum conſuetudine receperunt, unde ſto-

lati

lati togatique dicebantur. Horrendum eſt quod Gelonii ex hoſtium cutibus ſibi veſtes conſuerant. Verum hinc non liquet, an fuerint more Gallorum, Medorum & Scytharum & brachati, cum Tacitus cætera intectos dixerat. Hæc verò ſunt de veſtitu virili ſimpliciſſimo, & humillimo, à quo non ita diverſus fuit muliebris. Nam harum velamina non erant villoſa, ſed linea, & purpureo colore depictâ absque manicis. Quare brachia & lacertos nudæ deſcribũtur, & cum circa collum veſtis circumciſa erat, ſuperior pars pectoris patebat, quæ conſuetudo vix intra quadriennium in Sarmatia & in Sileſia exolevit. Hinc quoque ſaga fuiſſe manicata quilibet conjecturam faceret.

Quanquam ſevera illic matrimonia. Nec ullam morum partem magis laudaveris. nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant. munera non ad delitias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur, ſed boves & frenatum equum, & ſcutum cum framea, gladioq́ꝫ. In hæc munera uxor accipitur, atq́ꝫ invicem ipſa armorũ aliquid viro affert. hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales deos arbitrantur. Nec ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumq́ꝫ ſociam, idem in pace, idem in prælio

paſſu-

paſſuram auſuramq́;. hoc juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic vivendum, ſic pereundum. accipere ſe quæ liberis inviolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rurſusq́; ad nepotes referant. Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis ſpectaculorum illecebris, nullis conviviorum irritationibus corruptæ.

Literarum ſecreta viri pariter ac fœminæ ignorant,

Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. publicatæ enim pudicitiæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi, ſeculum vocatur. Melius quidem adhuc eæ civitates, in quibus tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoq́; uxoris ſemel tranſigitur. Sic unum accipiũt maritum, quo modo unum corpus, unamq́; vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tãquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare flagitium habetur. Plusq́; ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges.

XXV.

DE RELIGIONE MATRIMONII, de ſponſis, dotibus, & adulteriorum pœna.

SIcut & Germanis matrimonia ſevera, non dura, non triſtia, non acerba, ſed propter religionem

ligionem & fidem matrimonii ſumma adhibetur ſeveritas, id eſt gravitas ἀς σεμνότης. Itaque eandem tantam Tacitus facit, ut vix ullam morum partem magis laudandam eſſe cenſeat, ἀπολογία eſt, quia non ſunt neque bigami neque πολύγαμοι, hoc eſt, non ſimul ducunt aut duas aut plures uxores, quales in veteri teſtamento fuiſſe leguntur, ſed certa, ut videtur, cauſſa. Sed Deus Opt. Max. primus matrimonii author volebat duos eſſe in carnem unam, quod eſt maſculum & fœminam inter ſe committere, devinci, ut eſſet individua, & indiſſolubilis, dum uterq; in vita ſuperſtes relinqueretur. Siquidem non quælibet conjunctio matrimonii cauſa eſt, ſed quæ eſt & divina & legitima, ut pote juxta dei ordinationem & legum honeſtarum conſtitutionem. Erant tum polygami non libidine, ſed nobilitate adducti. Verum ſponſalia non prius certa erant, quàm dos à marito offerebatur in parentum & propinquorum conſpectu, quorum judicio dos approbabatur. Hæc autem quatuor rebus conſtabat, non ſine myſterio, ut *boves, frenatus equus, framea & gladius*, ſcilicet munera, vel προπίλαα vel ἀπαύλια dicta non ita muliebria, hoc eſt quibus ſponſa exornaretur. Contra & ſponſa ſua attulit dona quippe *arma*. Hiſce ſane ceu diis nuptialibus, vel ut D. Auguſtinus appellat conjugalibus fit inauguratio. Sic eſt τέλειος *Juppiter*, τέλεια *Juno*, ſic *Venus*, ſic eſt πειθὼ id eſt ſuadela, ſic eſt & *Diana* nuptialis. Hos enim quinq; deos Romani in connubiis invocare ſoliti erant, quibus interdum

dum *Talaſſus*, qui eſt Græcè *hymenæus*, adjungebatur, Cæremonia autem dotis nihil aliud ſignificabatur (eſt enim in hac aut miſterium aut τι ἀλληγορούμενον) atque uxorem eſſe & pacis & belli ſociam, & calamitatum & fortunarum participem, ita ut verè inter hos συζυγίαν obſervaret, ſicut *boum* nomine res pecuaria & domeſtica paxque ipſa, ita telorum bellicum ſtudium defenſio tutelaque mutua in quacunq; fortuna adumbratur. Siquidem ut boves ne ſe virtutum œconomicarum cogitationibus, ſtudiis, & conatibus. Ita tela, ne à bellorum periculis excluſam putaret uxor, erant quædam commonefactiones & ſymbola. Societatis igitur ad utramque fortunam mutuæ, atque inter ſeſe devinctæ iſtis ſponſalibus argumentum eſt. Sic enim aut vivendum, aut pereundum erat, cum dotis ejus ad poſteritatem usque ſucceſſio propagaretur. Neque Deus adjutorium uxorem appellaſſe aliter videtur, atque cujuslibet fortunæ ſociam. Etſi verò priſcis ſeculis uxores nunquã eſſe indotatas viſum erat, præſertim Julia lege, dotis tamen modum definierunt. Itaque Romanis in principio æs grave fuit, mox decem millia æris, poſtea moribus corruptis dotes ad quadraginta millia ſupergreſſæ ſunt. Cautum quoque erat, ut tenuioris fortunæ puellæ pro natalibus de publico dotarentur. Ad hunc modum Athenienſes Ariſtidis filias propter paupertatem ære collocato, connubio locabant. Huic autem malo Solon & Lycurgus medicinã daturi, ne qua viris dos daretur, legibus vetuerant.

Dotis pretium.

rant.

rant. Porrò ſponſæ probè educatæ fuerunt. Nam neque publicis ſpectaculis, neque conviviis tanquam corruptelis eaſdem frequenter interesſe olim voluerant. Verum eſt illud Menandri, & à D. Paulo citatum, *Bonos mores pravis colloquiis corrumpi.* Siquidem ut in ſpectaculis obſcœna, & dicta & geſta in pulpito proferuntur; Ita in conviviis, laſcivæ ſaltationes jocationesque ineptæ, maximè honeſtis puellis obſunt. Quare Paulus eas οἰκουργοὺς eſſe voluit, tanquam ſuæ domus cuſtodes, non domeſticarum novarum rerum cupidæ ultro citroque curſitantes, ſed domi tanquam ſub limace telam & lanam tractantes quaſi ſeptæ ſedeant. Id tamen ſub id tempus, aut propter inſcitiam rude & difficile, aut certa de cauſa inutile videbatur, ut puellæ literas condiſcerent. Verùm ſupra oſtendimus, ut tardius ad Germanos per Gallos & per Imperatores quosdam Germanos literarum cognitio pervenerat. Itaque non eſt mirum, ut tam viri quàm fœminæ inertes redarguantur. Talis autem puellarum educatio multò laudabilior eſt atque Thracia. Nam Thracibus in more poſitum fuit, non aſſervare virgines, ſed cum quibus libitum erat, commiſcere licebat. Cæterū de fide matrimonii & nuptiarum erat ſua quoque Germanis ratio. Nam in adulteras, quas tamen paucas fuiſſe aſſerit, vel in ipſa propinquorum corona ipſe maritus animadvertit. Adulteram enim coma præciſa domo expellebat, & vicatim flagris cædebat lictoris vicem fungens, quæ etiam juvenis, etiam formoſa, etiam opulenta

Adulterii pœna.

lenta propter profligatam pudicitiam contemnebatur. Tanta enim ſeveritas & potius σεμνότης, id eſt, veneranda quædam gravitas, cum auſteritate conjuncta Germanis fuit, ut vitia non videant, id eſt, connivendo more Gnathonicó collaudent, ut in corruptis moribus ſeculum, id eſt, ſeculi depravati conſuetudinem non cauſentur. Ita Lacedæmonii, cum nulla noverant adulteria, nullam quoque legem Lycurgi in adulteros receperunt. Verùm Solon ut adulteria refrenaret, lupanaria inſtituit. Tenedis autem lex fuit, ut adulteri, & mas & fœmina capite plecterentur. Piſidæ equo inſidentes circumducebant. Ægyptii naſum præcidebant. Romani ſæpè virilia execabant. Didymus tibicen teſticulis ſuſpenſus eſt. Attici ſuos raphano torquebant, cujus & apud Ariſtophanem mentio fit. Arabibus ſemper placuit, ut adulteri pœna capitis afficerentur. Valeant Indi, Æthiopes, Maſſagetæ, & Barbaræ nationes, quibus adulteria impunita fuerunt. Quid verò lex Julia ſibi Romæ voluerat, notius eſt, quàm ut repetatur. Juxta Moſem verò mœchi lapidibus adobruebantur. Fuit & quibusdam civitatibus, quæ hic ſunt διοικήσεις conſuetudo, ut in matrimonio tantum κουρίδιαι, id eſt, quæ adhuc virgines nuberent, ſic & ſponſi eſſent κουρίδιοι, nempe adoleſcentuli, qui antea uxorem nullam duxerant. Sic enim utriusque hæc conjunctio, non tantùm corpore, ſed & animo, erat individua. Experientiam enim multorum matrimonio-

moniorum damnaſſe videntur. Quare viduæ mortuo viro non ultra cogitabant, non longius novas nuptias expetebant, ſed ſemel & ſperabant & vovebant ita vitam vivere. Quam tamē conſuetudinem & Romani agnoverunt. Nam ex nuptiarum multitudine animum intemperantem colligebant. Adhæc nimis ſtultum fuit quibusdam gentibus numerum liberorum definire, cum is potius naturæ curſu abſolvatur & deſinat, quàm legum conſtitutione. Prudentiſſime autem Qu. Metellus Numidicus Cæſar, deinde Julius Cæſar, poſtea & Auguſtus legem de maritandis ordinibus tulerunt, eosq; ad progeniem propagandam præmiis & immunitatibus invitarunt. Siquidem patri trium liberorum, erat muneris vacatio, cui plures, libertas donabatur. Sic & Lacedæmonii parentem, cui tres erant liberi à cuſtodia & excubiis, cui quatuór, ab omni onere immunem fecerunt. Romani quoque parentibus plurium liberorum magiſtratus & honores deſignabant. Quid multis? ſtultum eſt & hic naturæ modum per leges præſcribere. Eſt quoq; flagitioſa agnati alicujus internitio, quaſi aut alicubi pia eſſet, aut parricidia impunita judicāda eſſent. Pium quidem fuit apud Indos, ut liberi ſenio confectos parentes, ſed ex aeris temperie longè optima vivaciſſimos interimant, Sed de homicidio, ejusq; pœna haud multò poſt plura ſubdemus. *Habetur*, inquit Tacitus, *non quod legibus quippiam cautum fuiſſet, ſed bonis moribus approbatum erat.* Mores autem ut plurimum ſunt leges non ſcri-

Ius trium liberorum.

ſcriptæ, ſed conſuetudines judicio & conſenſu rectè ſentientium, juxta legem Dei cordibus inſcriptam longoq; uſu receptæ. Boni quoque judicantur, cum ad honeſtatis & ſocietatis hominum conſervandæ normam adæquantur & referantur. Laudatur igitur Germanorum reſp. à morum bonitate, quæ plus valet, atq; εὐνομία, id eſt, *juſta & bona legum conſtitutio.* Itaq; Antiphanes bonos mores judicavit eſſe κειμήλιον præcioſiſs. hoc verſu. τρόπος δίκαιος, κτῆμα τιμιώτατον. Hinc eſt quod Perithous bonos antepoſuerat mores legibus. Nā illos immutabiles, cū ſit judicium dei iſtiusmodi tabulis cordium noſtrorum inſculptum, perpetuum eſſe aſſerit: leges per Oratorum eloquentiam ſubinde figuntur & refiguntur. Ejus autem Senarii hi ſunt.

τρόπος ἐστὶ χρηστὸς ἀσφαλέστερος νόμου
τὸν μὲν γὰρ οὐδεὶς διαστρέψαι ποτὲ
ῥήτωρ δύναιτο. τὸν δὲ ἄνω τε καὶ κάτω
λόγοις ταράσσων, πολλάκις λυμαίνεται.

In omni domo nudi ac ſordidi, in hos artus, in hæc corpora, quæ miramur excreſcunt. Sua quenque mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac ſervum nullis educationis deliciis dignoſcas. Inter eadem pecora in eadem humo degunt, donec ætas ſeparet ingenuos, virtus agnoſcat. Sera juvenum Venus, eoq; inexhauſta pubertas: nec virgines feſtinantur, eadem juventa, ſimilis proceritas, pares validæq; miſcentur, ac robora parentum liberi referunt.

XXVI.

DE LIBERORUM EDUCAtione.

VAria ſemper fuit apud diverſas nationes infantum ex utero matris egeſtorum ratio, variaq́; inſtitutio. Galenus quidem Germanos ſolitos infantem recens natum in frigidum humorem immergere memoriæ prodidit, idq; duplici de cauſa faciunt. Priori quidem, ut de naturæ vigore periculum facerent. Poſteriori autem, ut corpus ipſum (nam per externum frigus calor internus adaugetur) confirmaretur. Hinc vehementer in Germanos invehi ſibi permittit Galenus, eosque propter hanc educationem barbaros appellare non veretur. Lacedæmonii quoque Lycurgi legibus edocti idem factitarunt. Nam infantes jam jam editos rigidiſſima aqua propter corporum confirmationem fovebant, nudos in pacientia laboris enutriebant, nihil ſomni cauſa ſternebant, cibi potusq; modum præfiniebant, convictum ſobrium cũ æqualibus præſcribebant, in eodem ſodalitio & ſtudiorum ſocietate, humiliq; cultu educabant, dura & horrida diſciplina, ſeveriſſimisq́; moribus aſſuefaciebant. Neq; diverſus fuit Germanorum educationis modus, quo tamen per faſcias deligaturam infantũ adhibuiſſe neceſſe eſt, qua membra & artus bene formarentur, ut in tanta corpora (ſupra enim ex Joſepho, magna & robuſta illis tribuimus) aliis nationibus puſillis admiranda ſuccreſcerent, etiamſi non

bene

bene culti, non bene loti humi jacerent. Deindè infantes nutriuntur ab ipſis matribus, quod negocium neque anciliis, neque nutricibus creditur. Id ſane Plutarchus & triplici ratione approbat, una eſt, ex dilectionis vinculo, quæ majoris diligentiæ & attentionis in nutriendo quàm in conductitiis nutricibus erit, cauſa judicaretur. Altera eſt, ex ipſius naturæ ductù, quæ cuilibet animantium generi lactis quoque copiam ſuppeditavit, ejusq; tanta fuit providẽtia, ut pro gemellis natis & duos fontes lactis procreavit. Ultima eſt ex amoris proprietate, Sic enim multò magis ſuos adamabant. Medicis verò ſunt & aliæ rationes, quas Gellius, Macrobius, & alii complures repetere non dubitarũt. Inter has autem non infima eſt cauſa, ne ſubito nutritio ipſa permutetur, cum eodem lacte vel in ipſo utero enutriti ſint. Idem eſt Quintiliano, & quibus non prudentibus atq; peritis conſilium? Neq; verò diverſa educationis in adoleſcentia forma, ſiquidem ſervilis ab ingenua nutritione vix diſcernebatur. Quapropter Germanis non ſecus ac Cretenſibus curæ fuit, ut pueri ab ineunte adoleſcentia calores & frigora pati aſſuéſcerent, ut vilibus amiculis hyeme pariter atq; æſtu nempè eodem veſtitu incederent. Juvenes penè militiæ per ætatem patiẽtes, non delitiis, quæ animos hominũ frangunt, ſed laborioſis exercitationibus, veluti curſu, jactu diſci, algore, æſtu, inedia, & ſitis tolerantia, arduarum & difficilium viarum peragratione, pugnarum ſimulacris, ſubinde exercitabantur.

Quamobrem educatio, vel inter pecora communis eſt, etiamnum in Sarmatia, Lithuania, & Ruſſia uſitatiſſima, quibus ſtabula, cœnacula, etiam vaporaria eadem ſunt, quæ tametſi ſit barbara, tamen ætate & virtute ingenui à ſervis citra negocium diſcernuntur. *Generoſa* enim *indoles*, quæ eſt Græcis εὐφυΐα non poteſt diu eſſe obſcura. Fatemur & hic opus eſſe, ut ad naturã ratio, quæ eſt diſciplina, & conſuetudo, quæ eſt exercitatio accedat, ſi juſta inſtituendæ pueritiæ ratio ineunda eſſet. Nota eſt hiſtoria, ut ex duob. catellis à Lycurgo aliter atq; aliter edoctis in publicam coronam Lacedæmoniorum propoſitis educationis vim & mores veluti intento digito ille demonſtrarat. Poſtea iidem pubeſcentes, ſumma cura à Venere arceantur, quæ nimis quoque vires enervat, & rectè ille dixit, ſi infirmior eſſe cupis, Veneri indulge. Libet & huc conſilium admodum ſalubre, quod de puerorum procreatione Ariſtoxenus Pythagoricus intendit, adnotare. καθόλου μὲν φυλάττεσθαι τὸ καλούμενον προφερὲς· οὔτε γὰρ τῶν φυτῶν, οὔτε τῶν ζώων εὔκαρπα τὰ προφερῆ γίνεσθαι, ἀλλὰ χρόνον τινὰ προπαρασκευάζεσθαι, τῆς καρποφορίας, ἐν ᾧ ἰσχύσαντα καὶ τετελειωμένα τὰ σώματα, τυγχάνει τὰ σπέρματα καὶ τοὺς καρποὺς διδόντα. πολλοῦ δὲ εἶναι ἄξιον ὅτι ἡ ὀψιμαθία ἐστὶ βελτίων, οἷον καὶ τοῦτο ἀφροδισιάζειν πρᾶγμα, δέον ἂν εἶναι παῖδας οὕτως ἄγεσθαι διὰ τῶν γυμνασίων ἀσχόλους, ὥστε μὴ μόνον μὴ ζητεῖν, ἀλλ᾽ ἢ ὁμοίως μηδὲ εἶναι τὴν τοιαύτην συνουσίαν ἐντὸς τῶν εἴκοσιν ἐτῶν, ὅταν δὲ καὶ εἰς τοῦτο ἀφίκηται σπανίοις εἶναι χρηστέον τοῖς ἀφροδισίοις, τοῦτο γὰρ πρόσθεν τὴν τῶν γεννώντων, &c. Quod eſt, *In univerſis præcox Venus eſt cavenda. Siquidem neque in plantarum, neq; in animalium genere, quæ præcocia ſunt, fœcunda fiunt, ſed certo*

tempore

tempore ad fructificendi facultatem præparantur, ut corpora ipsorum roborata & perfecta, semina fructus perferrent. Sunt quidem multæ res, quas ſeriùs didiciſſe conveniret, & inter has eſt Venereũ opus. Quare ſic pueri corporibus exercendi, & aliis negociis obruendi ſunt, ut non modo Venerem non quærant, ſed & pro virili illam ipſam intra vigeſimum annum ignorent, cum & hac ætate rarior eſſe debeat. Hoc enim tum ad parentum, tum ad generandæ prolis bonam habitudinem multum conducit. Laudandi igitur ſunt veteres Germani, ut qui in educatione liberos ſuos, neque ἀκολάστους id eſt, *libidinoſos & intemperantes*, neque ἀκρατεῖς, hoc eſt *incontinentes* eſſe volebant. Itaq; σκιατροφία, quod eſt *umbratilis*, mollis. & delicata educatio, nimis odioſa iiſdem fuit. Noti enim & hi verſus,

> *Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora noſtra.*
> *Sed vitam faciunt, balnea, vina, Venus.*

Itaque Germanis conſultiſſimum fuit, ut virgines non feſtinarentur, hoc eſt, non citò ad conjugium raperentur. Expectabatur enim ætas generationi apta, quæ & firma eſt, cum omni ex parte ſibi conſiſtat, & integris viribus exiſtat. Et cum Ariſtoteles gignendi finem in maribus quidem *annum ſeptuageſimum*, in mulieribus autem *quinquageſimum* ſtatuerat, magis firmæ ætatis ratione, & communi quadam experientia, quàm reipſa, ita facilè erit initium conjugandi conſtituere, nimirum ut puella octodecim annorũ nuptui detur, & maſculus triginta

trium ducat, cui & Heſiodus ſuffragatur, cum ſponſum tricenarium plus minus fecerat. Quare hic in utroque ſexu non erit diſſimilitudo, neque ætate, neq; ſtatura. Amicitia igitur juſta inter conjuges conciliabatur, veraque συζυγία propter æqualitatem ſtatuebatur. Verum eſt illud Ariſtotelicum, αἱ ἀνομοιότητες τῶν ἠθῶν ἥκιστα φιλικόν. Siquidem diſſimilitudo morum, diſſidii & contentionum mater eſt. Sit igitur juxta Pythagoram amicitia æqualitas. Poſtremo liberos parentum corpora retuliſſe quàm prudentiſſimè ſubdit. Nam in cunctis animalibus, nunc juveniles partus penè imperfecti ſunt, nūc fœmellæ crebrius quàm maſculi (cum genitura maſculina juxta Hippocratem nondum ſit integra) gignuntur, nunc minoris ſtaturæ homūculi procreantur, iisq; admodum imbecilles, nunc puellæ non ita paucæ partu propter valde teneram ætatem & imbecillitatem intercidunt. Quare Træzeniis reſponſum datum rectè huc quadrat, ὡς πολλῶν διαφθειρομένων διὰ τὸ γαμίσκεσθαι τὰς νεωτέρας, hoc eſt, *quam multæ pereunt, cum juniores nubant.* Taceo ut ex immaturo & intempeſtivo matrimonio liberi ferè degenerent, ut illud ipſum ſit incontinentiæ ſignum. Prætereo & multas easq; juſtas cauſas medicis notas. Et γενεᾶς id eſt temporis ad procreationem apti ætatem Cenſorinus adnotavit. Germanis quoque eſt proverbium dextrè intellectum à veritate nihil diſſidēs, Kinder machen Kinder/ quod eſt, *homines pueriles*, nimirum ætatis adhuc infirmæ, *alios liberos* quàm infirmos gignere non poſſunt.

Sororum filijs idem apud avunculum, qui apud patrem honor. Quidam ſanctiorem arctioremq́; hunc nexum ſanguinis arbitrantur, & in accipiendis obſidibus magis exigunt, tanquam ij & animum firmius & domum latius teneant. Hæredes tamen ſucceſſoresq; ſui cuiq; liberi, & nullum teſtamentum. Si liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeßione fratres, patrui, avunculi. Quanto plus propinquorum, quo major affinium numerus, tanto gratioſior ſenectus, nec ulla orbitatis precia.

XXVII.

DE SORORUM FILIIS, ET de hæredum inſtitutione.

ID magis uſu & ϛοργῇ φυσικῇ receptum eſt, quàm legibus & tabulis, videlicet, quod filij ſororum in eodem ſint honore apud avunculū, quippe matris fratrem, quo apud patrem, Eſt quidem connexio penè in circulū abiens, multo arctius affinitatem copulans, Quare adhuc tales filij avunculos ſuos *die Vettern*, veluti patres, ut arbitror, appellant, vetuſtatis avitæ veſtigia retinentes, non niſi propter honoris æqualitatem, paterno nomine vix per primæ vocalis vel immutationem aut inclinationem molliorem ſignificatam. Itaq; factum eſt, ut propter illud arctiſſimum affinitatis vinculum Germanis uſitatius & libentius aliæ nationes filios ſororum in obſides acceperint. Germanis quoque nullum fuit teſtamentum, neque nuncupativū, neque ſcriptum, ſed ratum erat illis, & longo uſu re-

Vettern.

ſu receptum, utique à naturali jure non alienũ, ut hæredem inſtituerent, id eſt, poſt mortem aliquem ſuorum bonorum dominum facerent. Primum, ex linea deſcendente, ut liberos. Deinde cum orbitas fuerat, ex transverſali linea hæredes ſucceſſerunt, veluti fratres, patrui & avunculi. Contra Romani hæredes primos deſcendentes, alteros aſcendentes, tertios transverſales atque extraneos fecerunt. Siquidem hæredes triplices præſcribuntur, quarum alij ſunt neceſſarij, cujuſmodi ſervi volentes poſt mortem domini & libertate donantur, & ijsdem hæreditas venit. Alij ſunt ſui & neceſſarij, quales Germanis fuerunt filij & filiæ, atque propinqui proximi. Alij ſunt extranei, ut qui juri teſtatoris ſubjecti non ſunt, quos Germanis fuiſſe non eſt veriſimile. Siquidem ſi qua alia, hæc præſertim natio gignendis liberis operam dedit, & multitudine tam agnatorum & cognatorum, quàm affinium etiamnum gaudet. Quare affinitatis nomen apud nos fuſiſſime ſpargitur, ut gradus nulla ratione ſubducerentur, adeò arctiſſimam inter ſe utraque de cauſa connexionem eſſe affectant. Itaq; orbi, id eſt, quibus nulli erāt aut propinqui aut liberi, in nullo precio habebantur, atq; hoc modo cælibatus valdè odioſus fuit. Quæ conſuetudo & veteribus Romanis, quoties maritis & congiaria & donaria tanquam ad nuptias illectamēta ab Imperatoribus conſtituta fuerant, ita Romæ plærique divites uxores non ducebant propter vitanda matrimoniorũ onera. Quarè cum hi nullos liberos,

nulloſq;

nulloſq; hæredes tollerent, mox hæredipetæ alij ſucceſſerunt, & alieni. Quam verò rem cum reipublicæ damnoſa eſſet (Nā & legitima prole civitas deſtituebatur, & teſtamēta multa improba, inofficioſa, & inhumana fiebant) lege Papia de ordinibus maritandis, id eſt, in matrimoniū locandis correxit, cum multiplicia præmia, immunitates atq; honores ijs qui uxores haberent, atq; ex ijs liberos, ſtatuerat. Cœlibatum verò atq; orbitatem viciſſim pœnis ſubjecit, quæ omnes locupletandū ærarium inſtitutæ atq; excogitatæ erant. Fecit autem id, ut invidiam ſubterfugeret ex divi Julij commentarijs edoctus. Quamobrem Suetonius D. Auguſtum leges quasdam retractaſſe teſtatur, maximè tamen de maritandis ordinibus, quam cum recuſarunt potiſſimum equites, perferre, hoc eſt, ad finem ſeu ad plenum decernere non potuit, utique teſtimonio quodam muto, cum Germanici liberos accitos receptosq;, partim ad ſe, partim in patris gremiū oſtentaverat, manu vultuq; ſignificans, ne juvenis exemplum imitari gravarentur. Inſtauravit autem & ſanxit, quod antea amplifs. Q. Metellus cenſor conatus eſt, de quo ſic Florus. Q. inquit Metellus Cenſor cenſuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorū cauſa. Hujus quoq; orationem Auguſtum in ſenatu recitaſſe Suetonius ait, cujus & Gellius 1. c. 56. meminit, cujus ſumma fuit, ut civitas ſine matrimoniorū frequentia conſiſtere non poſſet, quam & Tacitus in 3. lib. repetit. Proinde cum Germanis orbitas

bitas odioſiſſima fuerat, ſed affinium & propinquorum numerus magna animi contentione requirebatur, bona eorum non erant caduca, quæ cùm ſint vacantia ad ærarium pertinebāt, ſicut apud Juriſconſultos de caducis tollendis præſcribitur.

Suſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitq́, ſatisfactionem univerſa domus, utiliter in publicū, quia periculoſiores ſunt inimicitiæ juxta libertatem.

XXVIII.

DE INIMICITIARUM ET HOmicidij expiatione & mulctatione.

SIcut bonorum hæreditas propinquis venerat, ita & amicitiarū & inimicitiarum. Nam qui amicus patri teſtatori fuerat, idem & hæredibus fuit, & è diverſo qui hoſtis patris fuit, & hæredibus hoſtis. Erant tamen tales hoſtes ut eſſent placabiles. Nam iraſci & diſſidere facile, ſed manſuetum eſſe longè melius eſt, ſicut ſtuporis eſt ἀοργησία & furoris ὀργιλότης præſertim pertinax, ita mediocritatis eſt placabilitas & πρᾳότης. Obſervabant & Germani in homicidij pœna ſuā rationem. Conſtat ſanè ex Gorgia Platonis duplicem puniendis peccatis eſſe cauſam, unam commonitionis, alteram animadverſionis. Commonitio quidem fit propter delinquentem, ne porrò peccare pergat,

ſed

ſed ut ad bene honeſteque vivendum promptior & emendatior fieret, curabatur. Animadverſio verò fit, non ejus qui pœna afficitur gratia, ſed aliorum, ut metu pœnæ ab eadem noxa deterrentur. Sic Germanis homicidium certo pecorum numero luebatur. Leviora verò crimina pecoris vel equi damno. Ita Romani reges homicidij conſcios arietis damno mulctabant, quem in ſacrificijs deorum expendere conſueverunt. Priſca enim paupertas ante argenti & auri uſum ex noxiorum bonis ſacra dijs exhibuiſſe fertur. Quarè *ſupplicia* dicta ſunt, & cautum fuit, ne quis mulctam in dicendo *bovem* prius quàm *ovem* nominaret. Neque Romæ mulctari quempiam gravius decebat, quàm triginta bobus, & duabus ovibus, bos quidem centuſſibus, ovis verò decuſſibus æſtimabatur. Quapropter & mulctæ pecuniariæ juxta hanc æſtimationem modus præfiniebatur, ut maxima mulcta eſſet trium millium & viginti aſſium. Atque ex ſuperioribus patet, ut gregibus armentorum & pecorum tanquam gratiſſimis opibus ſeſe Germani oblectarint, ideo ex ijsdem mulcta decernebatur, cum pecuniæ uſus ubique non tantus erat. Hac autem pœna toti domui, id eſt, familiæ interfecti in publicum ſatisfiebat. Nam ſi quis ex eadem familia neglectus fuiſſet, ſicut Germanis ſemper magna fuit libertas, eiusque ſtudium extremum, nova exorta fuiſſet contentio ex non plena ſatisfactione. Quare in utilitatem publicam totius domus mulcta pecuaria diſtribuebatur.

Convictibus

Convictibus & hoſpitijs non alia gens effuſius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habeatur, pro fortuna quisque apparatis epulis excipit. Cum defecerit, qui modo hoſpes fuerat, monſtrator hoſpitij & comes, proximam domum non invitati adeunt, nec intereſt, pari humanitate accipiuntur. Notum ignotumque quantum ad jus hoſpitis, nemo diſcernit. Abeunti ſi quid popoſceris, concedere moris, & poſcendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hoſpites comis. Statim à ſomno, quem plerunq; in diem extrahunt, lavantur. ſæpius calida, ut apud quos plurimũ hyems occupat. Lauti cibum capiunt, ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſui cuique menſa.

XXIX.

DE GERMANORUM HOSPITALITATE.

MAgna fuit veteribus hoſpitũ obſervantia. Nam in defenſionibus primum locũ parentibus tribuerunt, ſecundum hoſpitibus, tertium ſervis, ſicut apud Gelliũ in 5. c.13. memoriæ ſcriptum eſt. Sic & Penelope ad Antinoum dixit, Odi. φ.

οὐ μὲν καλὸν ἀτέμβειν, οὐδὲ δίκαιον
ξείνους τηλεμάχου ὅσκεν τά δε δώμαθ᾽ ἵκηται

Sic & Telemachus Minervam, quæ ſeſe Mentæ Taphiorum regi aſſimularat, hoſpitem tam diu foris perſtitiſſe indignabatur. Mox ipſe prorupit, illius dextram cœpit, & haſtam eandem

ſaluta-

ſalutávit, atque inter ſuos amicos récenſuit, atque prius cibis ſaturari, quàm negotium ſuum expedire juſſit. Quid multis? laudatiſſima eſt omnium virtutum apud Homerum hoſpitalitas, cui non temerè, vel ipſum Jovem ξένιον dictum, præfecerunt. Ita Germanis jus hoſpitij ſanctiſſimum fuit, ut nullum hominem ſuis tectis arcèrent. Hoc enim peſſimum flagitium judicabatur. Deinde eosdem hoſpites prolixè, ſed pro facultate accipiebant liberaliſſimè. Liberum quoque fuit in aliam domum divertere, ſi prior hoſpes defecerat. Solent enim hoſpitii eſſe non tantum monſtratorés, ſed & comites, cum illos in proximam domum deducunt. Poſteà hoſpitia ſunt communia tam notis quàm ignotis, Siquidem jure hoſpitij utrique in nullo ponebantur diſcrimine. Tum celebri more hoſpites cibo potuque refertos, aliquo munere ceu ſymbolo amicitiæ ornare ſolebant, atque hæc munera, ξένια dicebantur. Ad hunc modum apud Homer. loti, paſti, ſaturi, ὡς περπέμψοι φίλον ἦτορ offerebant donum

τιμῆεν, μάλα καλόν. ὅτοι κειμήλιον ἔςαι
ἐξ ἐμεῦ οἷα φιλαξεῖνοι ξένοισι διδοῦσιν

Ab altera verò parte dicebatur, σοὶ δ' ἄξιον ἔςαι ἀμοιβῆς ita muneranti renumeratur. Germanis tamen mos fuit, ut in datis muneribus nulla eſſet imputatio, & in acceptis nulla obligatio, imò eſſet mutua quædam ſeu liberalitas, ſeu munificentia. Adhæc victus, qui hic eſt vivendi conſuetudo & familiaritas, non aſper, non malignus, ſed comis & benignus atque facilis. Po-

ſtremò

ſtremo hoſpites in multam usq; diem dormiūt. & loti Homericorū hoſpitū more ſic comedūt, ut ſingulis ſuæ ſint & ſedes & menſæ. Quæ conſuetudo etiamnū mordicus in multis Germanorum partibus obſervatur. Familiarius tamen ijsdem fuit, ut ſe non in balneis, ſed fluminibus lavarent. Itaque nandi periti, & ſummi viri natatores habiti ſunt. Si quando tamen balneis lavarent, calida. (frigidior enim aura eſt, utpote ad Boream inclinata & vergens, ſicut cum complura teſtimonia autorum, ut Cæſaris, Taciti, Melæ, ſuffragantur, tum ipſa experientia juxta mūdi climata quàm manifeſtiſſimè cōteſtantur) abluebantur, lautique veſcebantur. Eadem hoſpitalitatis apud Lucanos fuit ratio, ubi lege cautum erat, ut ſi quis ſole occidente, divertentes hoſpites notos ignotosque domo exigeret, κακοξενίας teneretur, mulctamque eo nomine pendere cogeretur. Laudatur & Calabrorum hoſpitalitas, qui hoſpites comiter & benignè invitare, pyra illis affatim apponendo, ſolebant. Quid dicam de Corinthijs, qui vel captivos tam leniter habuerant, ut illos veluti hoſpites tractarent, & ſine precio dimiſſos δορυξένους appellarent.

Tum ad negotia nec minus ſæpe ad convivia procedunt armati.

Diem noctemq; continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter vinolentos rixæ, raro convitijs, ſæpius cæde & vulneribus tranſiguntur. Sed & de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis principibus, de pace deni-

ce denique ac bello, plerunq; in convivijs conſultant, tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Gens non aſtuta, nec callida, aperit adhuc ſecreta pectoris, licentia joci. Ergo detecta, & nuda omnium mens, poſtera die retractatur, & ſalva utriuſq; temporis ratio eſt. Deliberant dum fingere neſciunt, conſtituunt, dum errare non poſſunt.

XXX.

DE GERMANORUM CONvivijs.

HAbent & ſuam cõvivandi rationem Germani, quam prorſus militarem eſſe arbitror, præſertim ſi quis hoc loci quinque capita adnotarit, quorum primum eſt, ut *convictores armati conveniant.* Nam Germanis familiare 1.
eſt, & in ſerijs negocijs, & in convivijs armatos adeſſe, ſicut ordinem militarem decet, & hodie à præcipua nobilitatis parte eadem conſuetudo retinetur. Alterum eſt *in ſtrenua potatione* dies & noctes, qua ſeſe & Græci oblectabãt, dum 2.
primis epulis brevioribus poculis utebantur, & in fine laxiora adhibebant. Quare *Græcorum more bibere* eſt capacioribus poculis haurire, quibus lex data erat, ut in ſympoſijs *aut biberent aut abirent*, unde & proverbium inter potores natum eſt, ſicut apud Scythas eſt *Scytiſſare*, idem quod intemperantius bibere, Potationem autẽ hanc magis circa Rheni accolas, quorum mores Tacitus præcipuè vidit, uſitatã fuiſ-

mentis ſpeculum, vel quod poti eſſent ad res magnas obeundas multo & calidiores & promptiores. Eſt enim gens Germanorum non aſtuta, non fucata, non ſubdola, ſed candida, aperta, neq; aliud dicit atque ſentit, neque aliud cor in lingua eſt atq; in pectore, imò omnia eorundem & cogitata & dicta aperta abſq; fuco exiſtunt Et quod mirum eſt, dum liberaliſſime jocantur, ſeria tamen depromunt, adeo ut vel jocando nihil diſſimulare poſſint. Vltimum *de conſiliorum & ſenatusconſultorum* iſtiuſmodi *retractatione*. Siquidem ebrij, dum nihil fingere poſſunt, deliberant. Sobrij, dum mentis ſuæ compotes aberrare nequeunt, conſtituunt atq; decernunt. Etſi neque inter Xenophontem & Platonem propter ſympoſiorum certam formam conveniat, imò quædam, eæque indubitatæ diſſenſiones comperiantur, tamen ſi quis utriusq; authoris ſcriptum ad Germanorū & veterum & noſtra magis ſympoſia quàm convivia contulerit longè majorem diverſitatem dignoſcet. Verùm de his convivijs, & eorum cæremonijs in noſtris ſympoſiacis quæſtionibus plura invenies. *Germanorum ſynceritas & candor.*

Potui humor ex ordeo aut frumento in quandā ſimilitudinem vini corruptus. Proximi ripæ & vinum mercantur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. Adverſus ſitim non eadem temperantia, Si indulſeris ebrietati ſuggerendo quantum concup ſcunt, haud minus facile vitijs, quàm armis vincentur.

XXXI.

DE GERMANORUM victu.

VIctibus hic & potum & cibum complectitur, Potus autem eſt vinum, aut nativũ, aut factitium, quod illud miris modis imitari affectat, Nam & Suidas *Zythum* vinum vocat ordeaceum, quod ſit cereviſia ex ordeo cocta, vicem nativi vini gerens, & ſi illud ipſum Sophocles & Æſchylus βρῦτον quàm ζῦθον appellare maluerint. Ejus quoq; authorem primum apud Ægyptios plæriq; omnes, aut Dionyſium Hammonis filium, aut Oſyridem, quem ille ſibi in filium adoptavit, cujus uxor Iſis fuit, ut eſt apud Diodorum Siculum, ad unum fatentur. Quare à loco primæ iuventionis *Peluſiacus* à Peluſio Nili Ægyptiaci oſtio potus nominatur, & ad alias nationes, ut fieri ſolet, ubi vini nativi copia deeſt, propagatus eſt, alia atq; alia recepit nomina, veluti Hiſpanis eſt *Ceria*, Gallis *Berius*, Germanis *Bierus*, paſſim tamen *Cereviſiæ*, ſive à Cerere frugum inventrice, ſive ab alia ratione dictæ nomen frequentius eſt. Ariſtoteles quoque πῖνον nuncupavit, nempè *vinum ordeaceum*, quo temulentos aut pronos decumbere, aut ſupinos idem poſteris ſcriptum reliquit, atq; ita ejuſmodi vinum ex frumento decoctum Græcis eſt πυρογενὴς Hellanicus quoque ex oryza, ſicut & Athenæus ex milio fieri teſtatur, ſicut in commentarijs noſtris in Georgia Virgilij fuſius expoſitum eſt. Nunc verò docendi gratia cereviſiam

Bier.

viſiam appellabimus, quàm cõmunem toti penè Germaniæ, aut ordeaceam aut triticeam facimus, & utriq; plus minus *lupuli* vulgò dicti, qui ab aliquibus *lupus ſalictarius* apud Plinium eſſe putatur, accedit. Nam hujus flores ac capitula in cocturam cerviſiæ adjicere ſolent, non alia ratione, quàm ut obſtructionem à frumento, præſertim à tritico factam tollant. Meatus enim apprime vel obſtrictos in viſceribus reſerare poſſunt. Hæc ſunt de materia, ex qua & temperamentum colligendum eſt. Siquidẽ ex aqua nullum habet, præſertim ex ea, quæ non medicamentoſa, ſed potabilis eſt. Nam in coctura quamlibet rerum aliarum qualitatem recipit, & in alteram naturam ſeſe transformat, in qua autem, ſi ordeum coxeris, erit apud Galenum, aut κρίθινον ὕδωρ, aut τὸ κρίθινον nobis *ordeacea aqua* eſt in febribus neſcio an quid uſitatius? Hæc refrigerandi & exiccandi facultatem obtinet, & abſtergendi non ita magnam. Itaq; cum febrientes vehementius exiccati jam exiccantur, exiccationem uvis paſſis, & glycyrrhiza, & ſeminibus frigidis obtundunt, & quodam modo opprimunt, ut porrò refrigeraret & humectaret. Sin autem in eadem triticum coctum fuerit, potus erit calidus juxta tritici naturam, & non parum, cum ſimplex permaneret meatus ſuo glutino obſtrueret. Quare in triticea cereviſia plus florum lupi ſalictarij incoquitur, qui cum ſint calidi & ſicci ſunt, incidendi quoque, aperiendi, abſtergendi, mundificandi ſanguinem, evacuandi humores bilioſos po-

Aqua ordeacea vis.

tiſſimũ arcendi putrefactionem vim obtinent.

Quapropter ſi lupi flores cum tritico coctos attenderis calidam cereviſiam & ſiccam pronunciabis. Namque alia erit temperatura ordeaceæ cereviſiæ. Etiamſi natura ordei frigefaciat, tamen præparatione quadã aliam induit qualitatem. Siquidem frumenta prius macerantur, ut ſit Hippocratica βρεχὴ propter putrefactionem quandam introducendam & reſiccata torrentur, toſta mola franguntur, quàm cum aqua concoquantur. Jam verò vel ex putrefactione vix inchoatã, & ex toſtione quæ eſt aduſtionis forma, cunctas res incaleſcere nõ eſt dubium. Itaque ejus temperamentum eſt calidũ & ſiccum, ſive triticeæ, ſive ordeaceæ, ſed utriusque gradus vel intenduntur vel remittuntur pro materiæ cereviſiariæ multitudine. Nam quo plus materiæ incoctum fuerit, eò calidior & ſiccior erit, cui ſuffragantur in potantibus faciei rubor, corporum atque potiſſimum capitis calor. & rubor, atque ebrietas ex halitu calidorum fumorum, in caput ſublevatorum nata idem approbat. Quæ cuncta fieri non poſſent, niſi calefaciendi facultas in cereviſia præſens adeſſet. Calida enim ruborem, calorem & ebrietatem efficiunt. Quarè eorum ſententiam confirmare nequeo, quibus placet omnia cereviſiarum genera, in univerſum frigefacere, & magis multo potu incaleſcere homines & inebriari, quàm ejus temperamento dijudicant. Boni videlicet homines, ἐμπύρευμα in ordeo permutare qualitatem innatam non vident. Deinde cum

de cum cereviſia ſitis remedium eſſe ſtatuatur, mox ei refrigerandi & humectandi virtutem tribuunt? Nonnè & vinum humectat, & è diverſo exiccat? nonne idem ſitim reſtinguit, ſed alia atq; alia ratione, ut in diverſis locis Galenus diſſerit? Verùm ſi quis utriusque ἐνπλέχειαν urget, quis non utrunque & refrigerare & humectare pronunciaret? Sin autem δύναμιν aliud te ſentire neceſſitas, tum propter cauſas, tum propter effectus, compellet. Proinde temperamenti in cereviſijs quibuslibet indicium non aliud eſt, atque cujuslibet decocti in pharmacopolijs etiam exquiſitiſſimum, & ſuapta natura cereviſias calidas eſſe, & pèr accidens refrigerare, non aliter ac vinum pronunciabitur, Quare & inter recentiores Græcos medicos *Phucam* (ſic ipſe Zythum appellabat, niſi ſit potius Æginetæ φοῦκα quæ à *poſca* plurimũ differt) ſimplicem, frigidum & compoſitum ſiccum & calidum eſſe pronuntiat, atque Galenus *Zythum* ordeo eſſe acriorem non dubitat. Verùm hic ab optimæ notæ ſcriptoribus medicis non diſſentire oportet. Nam illi conſtanter ad unum omnes ex eadem renes & nervos lædi, membranis cerebri noxium flatum inferri, mali ſucci eſſe, elephantiaſin gignere ſcriptum reliquerunt. Id verum eſt, cum eorundem cereviſia ex ſola aqua & ordeo ſolo cocta fuerat, mox exaceſcebat, & ex acore ejusmodi morbos præcipuè in nervoſis partibus naſci dubiũ non eſt. Hodie autem iſtæc incommoda per floſum lupi acceſſionem commodã tolluntur, &

emendantur. Hi enim & tormina & flatus diſcutiunt. Si quando meninges in capite diſtenduntur, id non fit noſtrate cereviſia, ſed potius ebrietate & crapula, quæ cauſa & ex vini ingurgitatione oritur. Quare non ſtatim ex veterum authorum dictis utcunque in medium prolatis, cujuslibet ſententia temerè damnanda eſt, cum utrobique non ſit eadem, & materia & præparatio ſeu confectio. Hæc ſunt obiter de cereviſiæ temperamento obſervata, addendæ ſunt porrò & cereviſiarum differentiæ apud Germanos notiſſimæ, quarum prima eſt *ex modo coctionis*. Nam una eſt cruda ſeu malè cocta, certis de cauſis, hæc flatulentum ventriculum efficit, renibus & veſicæ obeſt, non ſecus ac curmi Dioſcoridis, cum lupuli flores juxta cum capitulis non ſint probe concocti. Eadem incommoda conficit, cum non ritè deferbuerit. Alter eſt bene percocta, quæ ijsdem malis non eſt obnoxia. Secunda verò differentia eſt *ex conſiſtentia vel tenuiori vel craſſiori, vel mediocri*, pro materiæ multitudine, tum pro cocturæ ad certas partes ratione. Tenuiora autem eſſe magis διαχωρητικὰ, & craſſiora στύπτικα ex Philoſophiæ elementis non eſt obſcurum. Hinc & alimenti, ſeu copioſioris, ſeu paucioris, & concoctionis, ſeu tardioris ſeu velocioris conjectura facienda eſt, Tertia eſt *ex colore*. Siquidem ordeacea ſubalba ferè eſſe conſuevit, ſicut ſubrubra triticea. Quid multis? tum ex maturis lupi ſalictarij floribus & multis, tum ex toſtionis modo intenditur vel remittitur, atque ex calore caliditatis

Cereviſiarum differentia.

liditatis conjecturam facere non eſt ineptum propius penſiculanti. Quarta eſt *ex ſapore*. Eſt enim alia dulcis, alia acris, & alterius ſaporis, qui non aliunde, quàm ex materia & coctura naſcitur. Quinta eſt *ex odore*, qui & nativus nõ aliter ac ſapor, & factitius eſt potiſſimum ex aromatum & rerum conditanearum congerie. Sexta eſt *ex ætate*, Nam recens turbulentior eſſe conſuevit, & minus defecata. Ætas & hic non minus atque in vino partes aquoſas abſumit. Ecquis non vetuſtam eſſe calidiorem hic aſſereret? Septima eſt *ex doliis ſeu vaſis*, quæ variant, aut ex diverſis lignorum formis, aut ex præparatione quadam; cujusmodi ſunt picata, quæ etſi diutius cereviſiam conſervant, & excalfaciant, tamen capita tentare imbecillia nõ ceſſant. Hic obiter notandæ & ſunt rationes, cur nonnullæ cereviſiæ diutius perdurẽt, modo ex lupuli quãtitate, modo ex cocturæ tempore, modo ex aeris ambiẽtis tẽperatura, modo ex cellæ cereviſiariæ loco, vel profundo, vel frigido, modo ex doliis. Sæpe tamẽ fit, ut cereviſiæ ſint vitioſæ, vel à materia, cujusmodi habuit & Manard⁹ Budæ, ſicut ex ejus Epiſtola apparet, parum & accuratè, & medicè de cereviſia ſcribens, vel à cocturæ modo, veluti cum fit per miniſtrorum coquentium negligentiam, aut non ſatis percoquitur, aut propter ignem immodicum, & agitationem decocti intermiſſam aduſtionem ſapit, quod nos dicimus, *Es brandentzt*, aut propter ineptã materiem inurendam fumum & fuliginem re-

ſipit, *es ſchmeckt rauchrigk*, aut propter non ſatis aptum & commodum fervorē. Hinc enim dulcedo admodum ingrata membris nutritionis, & flatulenta conciliatur, aut propter vaſa non appoſitè lota & expurgata per negligentes famulas alienum ſaporem recipit, vappeſcunt, exoleſcunt, cum vaſa non probè obturata fuerint. Efficiunt & hinc non minus atq; in vino ſuam loram, quæ & δευτερία nonnullis eſt, & ſecundariam cereviſiam nuncupant. Sunt & cereviſiæ, non eadem per omnia & uni eadem cō- moda, quæ ſi quis diligentius adnotaturus eſſet, librum conſcriberet, vel de ſola vini & cereviſiæ collatione, & commoditatibus. Proinde cereviſia eſt Tacito humor ex ordeo aut frumēto, in ſimilitudinem vini corruptus. Affectat enim eſſe vinum ex aquæ humore, atque vel ordeo vel tritico macerato, reſiccato, toſto, & craſſius molito concoctum. Verùm *riparii Germani*, hoc eſt, qui ad Rheni ripam accolunt, & vina mercantur. Hodie autem ex iisdem locis Rhenanis maximus vini numerus in multas Europæ partes diſtrahitur. Cæterum cibus Germanorum eſt admodum ſimplex & frugalis, Victitant enim aut agreſtibus *pomis*, aut *ferina*, eaq; recenti, aut *lacte concreto*, quod eſt Græcis πηκτόν. Addit Plinius & *pultem avenaceā*. Cruda autem carne eos veſci juxta Melam Tractaris idipſum convenire rectius judico. In his quoque obſoniis non ſunt neque aromata neq; blandimenta ſaccharacea aliunde petita, ſed ſola ſimplicitas iisdem placet. Quàm optanda

Covent.

Cibus Germanorum.

da eſſet & hodie eadem nobis & frugalitas & parſimonia, quam & temperantiam nuncupat, eandem tamen in ſiticuloſis Germanis expoſcit. Ignorat Tacitus, ut cereviſiæ magis, quàm vina nutriant. Nam bibentes cereviſiam minus ſunt voraces, cum ex eadem plurimum alimenti ſubminiſtretur. Deinde ex ejusdem uſu corpora multò & craſſiora & robuſtiora paſſim reperiuntur. Bibacitatis quoq; notam Germanis impingit, ſiquidem ſi tantum vini indulſeris, quantum concupiſcunt, citius ebrietatis vitiis, quàm gladio vincuntur. Ridiculum eſt, quod nonnulli bibones Germanos eſſe propter Aquilonem conſtringentẽ & corpora hominum exhaurientem, atque reſiccantem patrocinentur, quaſi bibacitas reſiccitatis à Borea corporibus mederetur. Digna ſanè ratio bibulis ſcriptoribus, ut operculum patella verè dignum inveniatur. Miror cur non potius caliditatem corporum propter meatus cutaneos à boreali frigore obſtructos, atque ita magis intrinſecus excalefactam cauſſentur. Sed quid hic moror? cum educationi & conſuetudini, tanquam alteri naturæ rectius id vitii acceptum ferendum ſit, alioqui bibacitatis cauſæ naturales tum ex mundi inclinatione, tum ex temperamentis cujuslibet hominis præter educationis virtutem petendæ ſunt. Habentur & cereviſiæ conditaneæ, veluti eſt à roſa *roſaceæ*, à pulegio *glechonites*, ab abſinthio *abſinthites*, à ſalvia *ſalviates*, ab hyſſopo *hyſſopites*, ab helenio *nectarites*, ab origano *origanites*, ex aſaro

Germanorum bibacitas.

Cereviſiæ conditaneæ.

aſari-

aſarites, ex baccis juniperi *archeutides*. à ſatureia *Thymbrites*, à thymo *thymites*, à dictamno *dictamnites*, à cunila herba *Conyzites*, ab aromatibus *aromatites*, à malis cydoniis *cydonites*, à marrubio *praſites* dicitur cereviſia, & ut plurimum herbæ maceratæ naturam recipit, ex qua & de eadem exactum judicium faciendum eſt, ſicut in facticiis vinis fieri ſolitum eſt,

Genus ſpectaculorum unum atq; in omni cœtu idem. Nudi juvenes quibus id ludicrum eſt, inter gladios ſe atq; infeſtas frameas ſaltu jaciunt. Exercitatio artem paravit, ars decorum, non in quæſtū tamen aut mercedem, quamvis audacis laſciviæ, precium eſt voluptas ſpectantium.

Aleam, quod mirere, ſobrii inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac noviſſimo jactu de libertate ac de corpore contendant. Victus voluntariam ſervitutem adit. Quamvis junior, quamvis robuſtior alligari ſe ac venire patitur. Ea eſt in re prava pervicacia, ipſi fidem vocant. Servos conditionis hujus per commercia tradunt, ut ſe quoq; pudore victoriæ exolvant.

XXXII.

DE GERMANORUM SPECTAculis & ludis.

PORrò apud Græcos fuit σφαιρομαχία, qua qui vicerat *rex* ſalutabatur, & victus *aſinus*, atque victoris juſſa exequebatur. Hæc autem quantopere inter exercitia conferas, inter alios præci-

præcipue Galenus docuit. Ita Spartanis fuit, paleſtra quæ & Athenienſibus uſitata fuit, huic ἀποβάτην aut ἀποβάταν certum *ludum equeſtrem* adjunxerunt. Aliis quoque fuerunt *petauriſtæ*, aliis ἀλτῆρες, quorum & Galenus ſubinde meminit. Verùm Germanis πυκτὴ *pugillatus certus* etiamnum arridet, quo certa eſt ictus tam excipiendi quàm dandi ratio, atque inter & ſuper gladios ſtrictos choreas quasdam ſibi ducere permittunt, atque *eyn ſchuuerdtanz*, id eſt, choream gladiatoriam frequentiſſimè nuncupant, Solent & ſeſe inter gladios & infeſtas frameas jactitare, illasq́; tranſilire illæſi. Nam ſic longa exercitatione aſſuefacti ἕξιν ſibi compatarunt. & ex hac decorum & ornamentum, quæ ratio in omnium & ludorum genere, & artium tum uſitatiſſima, tum admodum neceſſaria eſt. Perſpicitur ſane in hoc ſpectaculo magna juvenum procacitas, qui non propoſitis illuſtribus brabiis, ut in certaminibus fieri ſolitum eſt, ſed ſola voluptate ſpectatorum adducti, idipſum exhibent. Verùm ludi Germanorum appellatione aleæ compræhenduntur, cujusmodi numerantur latrunculi, ex quibus *Scachia* luduntur, *tali, teſſeræ, aſtragali, taxilli, pilæ*, & id genus ludorum fortuitorum, in quibus erant & ſobrii, & attentiores, vel ad lucrandi vel perdendi temeritatem, qua cùm omnia luſiſſent, & nihil pecuniarum ſupereſſet, in luſu extremo de libertate contendebant, victusque in alea in ſervitutem victoris adjudicabatur, cui veluti mancipium adducebatur, citra omne tum ætatis, tum

tum firmitudinis diſcrimen. Eam autem pacti magis pervicaciam, quàm conſtantiam illi fidẽ appellant, & hodie ſubinde repetunt quoties dictis, & promiſſis ſtare expetunt, auff glaube vnd trewe, quo ceu elogium & veritatis & fidei promulgant. Verùm iſtius modi ſervos in commercijs divendebant, cum ſervos iſtos mercibus permutabât, unde ſeſe rubore ſuffuſi propter victoriam aliquando exolverent & liberárent.

Cæteris ſervis non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis utuntur. Suam quiſq; ſedem ſuos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit, & ſervus hactenus paret. Cætera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare ſervum, ac vinculis & opere coercere, rarum. Occidere ſolent nó diſciplina & ſeveritate, ſed impetu & ira, ut inimicum, niſi quod impune. Liberti non multum ſupra ſervos ſunt, raro aliquod momentum in domo, nunquam in civitate, exceptis duntaxat iis gentibus quæ regnantur. Ibi enim & ſuper ingenuos & ſuper nobiles aſcendunt. Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum ſunt.

XXXIII.

DE SERVORUM MINISTERIO, & libertorum & libertinorum dignitate.

SIcut Thracibus in more poſitum erat, ſervos ſale commutare, qui eam ob cauſam πρὸς ἁλὸς

ἁλὸς ἠγορασμένοι veluti *ſale coempti & comparati* nominabantur, ita & Germani alea victi reddebantur, ceu ἁλώνητα δουλάγμα. id eſt, *ſervili ſale empti* cenſebantur in victoris ſervitutem prorſus adjudicari. Ne multa: ex tanta aleæ pervicatia victi mancipia reddebantur. Verùm alii Germanorum ſervi, non ita εὔωνοι erant, hoc eſt, contempti, quaſi viliſſimo præcio coempti, ſed quaſi domini contra Romanorum conſuetudinem, quibus erant omnes homines aut liberi, aut ſervi. Illis quidem eſt facultas eaq; naturalis ejus quod cuique facere libet: Hi verò ex cõſtitutione juris gentium alienis dominis contra naturam (nam naturâ nullum eſt perſonarũ prorſus diſcrimen) ſubjiciuntur. Tales autem eveniunt, aut ex ancillis, aut ex captivitate, aut jure gentium, aut ſpontanea venditione, aut jure civili. Ita ſervi prorſus inter ſeſe olim nihil diſcernebantur, niſi propter quandam ſervitutis cauſam. Liberi autem differunt, Alii ſunt *ingenui*, ut pote ex matre quæ libera fuit, tempore aut conceptionis, aut medio, aut partus, nati. Alii ſunt *libertini*, ut qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt. Nam hic manumiſſio nihil aliud eſt, quàm libertatis datio. Cæterum Germanorum ſervi, veluti coloni eſſe videntur. Siquidẽ iiſdem non tantum domus certa credebatur, ſed & annona, & armentorum & pecorum greges, atque ex his dimenſum ſervile numerabatur, atque in his ſervorum miniſterium & obedientia viſa eſt. Nam reliqua negocia domeſtica non à ſervis, ſed ab uxore & liberis conficie-

bantur,

bantur. Itaque Germanorum ſervitus, non fuit dura, ſed admodum tolerabilis, Romanis, Hebræis & aliis nationibus non item. Neq; erant ſicut Theſſalis à paupertatis ratione ſervi πενέςαι, neque apolides, neque Inſularii, tanquam extra civitatem in inſulas propter perpetuum opus publicum deportati, neque meſaulii, quos & mediaſtinos eſſe non dubitamus, ut qui abjectiſſima munera inter ſervos obibant, cujusmodi in aulis ſunt lignarii, bacularii, qui omnibus vel ad digituli crepitum parére coguntur. Itaq; apud Germanos dominis non erat in ſervum aut vitæ, aut mortis, atque adeo omnium bonorum poteſtas, eam ob cauſam diſciplina ſervilis rara fuit, cum neque verberabantur, neque in vincula conjiciebantur. Horrenda tamen fuit internitio & impunita, quoties fervore iracundiæ facta fuerat. Nam tum non ſervus, ſed inimicus & hoſtis judicabatur. Porrò liberti, cum ſint & libertini, ſed non ſine patrono, ſervis penè pares erant, tam in domo & familia, quàm in civitate vix alicujus momenti erant. Verùm ubi regium erat imperium, ibidem & ingenuis & nobilioribus anteponebantur, & præferebantur. Itaque impares, ſed apud cæteros, quibus non eſt regia, reſpublica pares (Sic enim legendum eſſe judico, & non impares, ſicut conſtanter exemplaria retinent, atq; hic ὑποδιαςολὴν ſtatuendam eſſe judico) ſunt, hoc eſt, non alicujus dignitatis & æſtimationis, ſupra ſerviles homines cenſentur, & ſubdit, libertini libertatis argumentum ſunt, quod eſt, niſi fallor, cum

liber-

libertini eſſe malint, libertatem Germanis & gratam eſſe & jucundam, ſatis arguit. Dici enim nequit, ut vel hodie pro libertate aſſerenda dimicent, & digladientur.

Fœnus agitare & in uſuras extendere ignotum idcoq́ magis ſervatur, quam ſi vetitum eſſet.

XXXIIII.

GERMANI NON ERANT uſurarii.

QUàm multò laudabiliores veteres Germani fuerunt etiam gentiles, nondum Chriſto per prædicationis Evangelicæ ſementem lucrifacti, atque hodierni. Illis enim uſura ignota fuit, his verò nihil ea uſitatius & frequētius, cum illicitam eſſe eandem Chriſtiani probè teneant, cum ex mutuo nihil ſperandum ſit. Incredibile autem eſt, ut noſtra memoria, & principum & ſubditorum bona per fœneratores exhauriantur, ita ut paſſim præter illos πενία dominetur. Eſt quidem uſura inter formas rei comparandæ excogitatas præcipuè, ſed contra naturam, itaque vituperanda & deteſtanda eſt. Siquidem numus inventus eſt, non ut numum gignat, ſed ut ſit medium in contractibus, ut Ariſtoteles inquit, οἷον ἐγγυήτης *tanquam fidejuſſor*. At cum in uſura numus gignat numum Græci τόκον ἀπὸ τῦ τίκτειν appellare non dubitarunt, nimirum à partu, ſicut Latinis fœnus eſt à fœtu. Nam iſta belua argentum numeroſiore fœtura gignit. Vſura enim non eſt ex fructu,

hoc eſt, ex re naturali non oritur, ſed ex alia cauſa, id eſt, nova quadam obligatione. Miſeri igitur, qui ab uſurariis fœnerant, & Phinei ſimiles, cui Harpyæ victum detrahunt. Sæpè enim vorſuram ex vorſura facere coguntur. Verùm de hac ſic Ariſtoteles in politicis memoriæ prodidit, cujus verba cum ſint & utiliſſima, & authoritatis plena, adſcribam. εὐλογώτατα inquit, μισεῖται ἡ ὀβολοστατικὴ, διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη. μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν. ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον ὅθεν καὶ τοὔνομα τοῦτ' εἴληφεν, ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐστιν, ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος, ὥστε καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστιν. quod eſt, *jure habetur odioſa uſura. Nam per eam quæritur numus numo, cum ad hoc non ſit inſtitutus. Eſt enim propter commutationem. Uſura autem ſeipſam auget unde & nomen fœnoris accepit, Quoniam genita ſunt ſimilia gignentibus, & in fœnore numus numum gignit. Itaq; hæc ratio comparandæ pecuniæ maximè eſt præter naturam.* Quapropter cum malum valde exitiabile Romam primis ſtatim temporibus invaſit & vexavit, & fœneratorum avaritia cives primum pecuniis ſic exhauſit, ut etiam nexi debitores creditoribus traderentur. Hinc ingentes ſæpè ſeditiones cortæ ſunt, adeò ut fœnebrem licentiam legibus conſtringere neceſſe fuerat, ne ſoluta ac libera in maxima pericula rempublicam præcipitaret. Quare in principio fœnus unciarium, deinde ſemunciarium inſtitutum erat, & cum ne ſic quidem illud tolerari poſſet, L. Genutius ad

plebem

plebem tulit, ne fœnerare liceret. Eidem & Cæſar modum impoſuit, ut pecuniæ creditæ ad poſſeſſionũ modum aſtringerentur, ne cui plus crederetur, quàm ex ejus bonis redigi poſſet, unde etiam beneficium ceſſionis bonorum promanavit debitoribus lege Julia conceſſum, cujus & Tacitus alibi meminit. Interea, inquit, magna vis accuſatorum in eos irrupit, qui pecuniam fœnore auctitabant contra legem dictatoris Cæſaris, qua de modo credendi, poſſidendique intra Italiam caverat. Tyberius verò ut fœnus omnino tanquam peſtis reipublicæ tolleretur, millies ſeſtertium per menſas diſpoſuit & cavit, ut ſingulis facultas creditum accipiendi in triennium ſine uſuris fieret, ſi debitor in duplum populo caviſſet. Porrò non Germanis tantùm fœnus ignotum fuit, ſed & Indis, & plærisque gentibus, quæ inexpiabili odio illud proſecutæ ſunt, nimirum cum furem dupli, fœneratorem quadrupli condemnaverant. Laudandus eſt Lycurgus, qui è tota Sparta uſuras exterminaverat. Laudandus eſt & Agis Athenienſium dux, cui ita fœnus exoſum fuit, ut omnium fœneratorum tabulas igne ſuppoſito in foro concremarit, quo igne nullum clarius ſe vidiſſe Ageſilaus aſſeruit. Laudandus eſt & Cato, qui ex tota Sicilia fœneratores exegit, illámque ære alieno obrutam in priſtinum decus reſtituit. Huc afferto quid ſit σεισάχθεια & χρεοκοπία apud veteres, quantumque operæ poſitum ſit in tollendo fœnore illinc agnoſces.

Hodie

Hodie autem apud nos vel Chriſtiano nomini addictos, uſuræ audiuntur annuæ, diurnæ, & menſtruæ. Sunt & hic qui ad Strepſiadis Ariſtophanici exemplum lunam cœlitus detractã cupiunt, ne fœnus cum ſit ἕνη καὶ νέα exoluere cogantur. Sunt & hic quibus magnopere vel ἀνατοκισμὸς arridet. Incredibile eſt quantum uſurarii nunc ſibi ſumunt. Chriſtianorum autẽ principum intereſſet, rem tum divina authoritate reprobatam, tum multis exemplis pernitioſam è Chriſtiana eccleſia tollere. Nam ſi quis noſtris temporis mores obſervarit, quæ de antiqui fœnoris magnitudine conſcripta ſunt, ludũ, & jocum judicaret.

Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur, facilitatem partiendi ſpacia præſtant: Arva per annos mutant, & ſupereſt ager. Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent, ſola terræ ſeges imperatur. Unde annum quoque ipſum non in totidem digerunt ſpecies: Hyems & ver & æſtas intellectum ac vocabula habent, Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXXV.

DE AGRORUM MUTANDORUM viciſſitudine, & tribus tantum anni diſcrinimibus.

HAud multò ante certitudinem poſſeſſionis & in agris & in prædiis confirmavimus,

quæ

quæ & hic aliquanto fuſius explanatur, cujus ratio & antea expoſita eſt longè alia, atque Ægypti fuit poſt Nili inundationem, quæ geometriæ, cujus pars eſt *geodeſia*, anſam præbuit. Talem autem & annuam agrorum permutationē & Cæſar Germanis conceſſit. Nam in ſexto lib. comme. *Germani*, inquit, *non ſtudent agricultura*. Item, *Neq; longius*, inquit, *anno remanere uno in loco incolendi cauſa licet*. Suevos tamen collaudat, quos *Semnonas* absque dubio, ut quibus centum erant pagi, juxta bonorum authorum fidem capit. Nam apud hos neque belli rationem, neque agriculturæ intermitti memoriæ prodidit, eisque oppida fuiſſe commemorat, de quibus juſſi ſunt, miſſis nunciis poſt habitum concilium, demigrare. Sed quid quæſo hic oppida conducerent, ſi non longius anno reſidere liceat? En hic hiſtoricorum Romanorum interdum ſupinam quandam negligentiam? En ut Cæſar ſibi ipſi vel in hac ſentētia diſſideat? Præterea Mela Germanos in agricultura ignaviores agnoſcit, cum eosdem bellorum cauſas ex libidine accerſere tradat, neque imperitandi, prolatandiq; quæ poſſident (nam ne illa quidem enixè colunt) ſed ut circa ipſos, quæ jacent, vaſta ſint. Tacitus quoq; paulò ante Germanorum terram in univerſum eſſe ſylvis horridam, eſſe paludibus refertam, eſſe humidiorem Galliis, eſſe ventoſiorem, qua Noricum & Pannoniam reſpicit, eſſe ſatis feracem, eſſe frugiferarum arborum impatientem, eſſe pecorum fœcundam

obſervavit. Itaque vel hinc liquet ut agriculturæ non tantùm olim ſtuduerint. Idem Capitolinus affirmat, *ſemel* cum ait, *ingreſſus Germaniam transrhenanam per trecẽta vel quadraginta millia barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, & niſi Germani per amnes & paludes, & ſylvas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet*. Iterum paulò poſt. *Perveniſſemus*, inquit, *ad ſylvas, niſi altitudo paludum nos tranſire non permiſiſſet*. Ad hunc ſanè modum plærique omnes veteres Germaniam ſylvoſam, & paluſtrem, & montibus aſperam faciunt.

Quare agricultura non in tanto precio fuerat, cui acceſſit & ipſa annuatim agrorum per vices permutatio, in qua ſunt agri occupatorii, ſed non more Romanorum. Nam his *ager occupatorius* eſt, quod in tempore occupatus fit à victore populo, territis & fugatis colonis, cujus & Melibæus Virgilianus meminit.

Impius tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has ſegetes, en quis &c.

Verùm hic ager occupatur per aſſignationem & diviſionem, quæ tamen fiebat ſecundũ dignitatem & æſtimationem. Credo & illos per *ſtrigas* & *ſcamna* diviſiſſe, atque aſſignaſſe. Siquidem *ager ſtrigatus* eſt, qui à ſeptentrione per longitudinem in meridiem decurrit. *Scamnatus* autem qui eodem modo ab occidente in orientem creſcit, atque ita *ager limitatus decumanus*, id eſt, ab orientali in occidentem limite & cardinibus, id eſt, à meridie in ſeptentrionem de-

decurrit, contineri ſolet. Aſſignantur autem hoc loci agri, cum ſint ingentia camporum ſpacia, quàm largiſſimè ita ut ſuperſint ſubſeciva dicta ſive majora ſive minora. Nam tanta eſt agriculturæ negligentia, ut agros neque conſitos ideo nulla ſunt pomaria, neque paſcuos, ideo nulla eſt rigandorum hortorum ratio, curaſſe videntur. Solos enim agros frumentarios curabant. Itaque primam & unicam agriculturæ partem olim Germani exercebant, cum ejus ratio his quatuor agris, ſicut ex Virgilio liquet, abſolvatur & perficiatur. Ejus autem negligentiæ nullam aliam cauſam eſſe video, quàm annuam illam agrorum ſine poſſeſſionis certitudine permutationem. Quare ſubdit, *ſola terræ ſeges imperatur*, quod eſt, ſoli agro frumentario propter ſegetis comparandæ copiam dant operam, reliquos tres agros repudiant. Quare factum eſt, ut iisdem tria ſint anni diſcrimina, cũ aliis ſint quatuor, juxta puncta & ſolſticiorum & æquinoctiorum. Siquidem autumnum ignorant, cum illis non ſint agri conſiti propter vineta, & pomaria & arbores frugiferas, quarum inopiam & Pomponius Mela in Germania fuiſſe profeſſus eſt. Fructus igitur autumnales, qui rectius ὀπωρινοὶ nominantur, cum ὀπώρα verè ſit tempus, quo ſit ὀπωρισμὸς id eſt, ex arboribus fructuum collectio, & quaſi vindemia quædã. Aliis verò tempora fuiſſe quatuor non eſt ignotum. Virg. in Geor.

Temporibusq; parem diverſis quatuor annum,

Eadem Græci modo *χαίρους*, modo *ἀγρούς*. Sunt qui interdum *τρόπους* non tamen ubiq; ſatis appoſitè nuncupantur. Verùm de horum ſingulorum initio, medio, & fine longior eſt controverſia, quàm ut hoc loci componatur. Veriſimile tamen eſt paſcuos agros & illis uſitatos fuiſſe, cum tota regio ſit pecoroſa & armentoſa, forſan illud ſugillatur, quod in tanta copia agrorum per ſepta limites non deſignabantur.

Funerum nulla ambitio. Id ſolum obſervatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis cremarentur. Struem rogi, nec veſtibus, nec odoribus cumulant, ſua cuiq; arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepùlchrum ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis aſpernantur. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & triſtitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt, viris meminiſſe.

XXXVI.

DE FUNERANDI MODO, SEpultura, & luctu funebri apud Germanos.

VErùm ut ſimplicitas in veſtitu & in aliis rebus Germanis gratior fuit, ita & funeratio in qua nullus ſtrepitus, nulla ambitio, nulla pōpa videbatur. Erat tamen illis pyræ extruendæ ratio pro dignitate & honoribus, quibus quis in vita functus erat, & quo ampliorem magiſtratum geſſerat, eò majorem pyram extruxerunt, in qua contra legem XII tabularum,

qua

qua cautum erat ne ex lignis politis exædificaretur, certa ligna requirebantur. Græcis pyram *cupreſſo* ad vitandum gravem cremati corporis nidorem, ne tetro odore proximè rogum ſtantes abigerentur ædificabāt. Soliti & erant nonnulli, præter arida ligna & *papyrum*, quo faciliùs cremarentur, & *crocum cum vino* propter odorem adijcere. Germani verò per pollinctores tanquam funerū miniſtros corpus igne ſuppoſito cremabant, nulla ornamenta, nullas armillas, nullas zonas, nullas bullas, nullum mundum muliebrem, nullas vittas virginalis comæ, nullos retortos crines, nullos torques, nulla thura, unguenta, & odoramenta in pyram conjecerunt. Solebant olim & nonnulli ea cremare, quæ defuncto chariſſima, inter quæ fuerunt luſciniæ, aves & alia animalia ad rogum trucidata, ſic & Germani arma, veluti ſcuta, gladios, frameas, & ſæpe dilectum equum, ut una cum defuncto cremaretur, igni tradebant. Neque Germanis fuerunt ſepulchra operoſa, ut gravia defunctis, itaque humili condebantur tumulo. Multò clariora fuerunt Æthiopibus; ditiorum enim monumenta ex auro fiebant, tenuiorum ex argento, inopes autem fictilibus condebantur, quod poſtremū & Germanis uſitatius fuiſſe ollæ fictiles ceu urnæ, in quibus adhuc cineres interdū cum annulis reperiuntur, paſſim & in multis regionibus inventæ conteſtantur. Cyrus verò apud Xenophontem nec auro nec argento condi, ſed terræ corpus reddi voluit, tanquam matri. Quàm verò ardua Ægyptijs ſe-

pulchra fuerant hinc conſtat, unum præcipuum erat & maximi ſumptus, quod argenti talento æſtimabatur, medium minarum viginti, humile ex levi materia minimæ impenſæ. Atq; ſicut Demetrius rex ſepulchris modum ſtatuit, ſanxitque ſuper defuncti erigi columellam Græcis *στήλην* dictam, quæ ultra tres cubitos non extaret, ita Germanis loco ejus *ceſpes* fuit. Ubi nam hic tituli honorum inſcripti? Ubi nam ſunt *ἐπῳδια* ſive *ἐπιτάφια*? Prudenter Lycurgus defuncti ejus nomen tumulo adſcribi voluit, qui fortiter pro patria occubuiſſet, & qui operam in bello reipublicæ navaſſet. Poſtremo eſt luctus funebris, non per nænias & præficas, non per veſtium lugubriũ colorem aut cæruleum, aut Phæum, ſed per triſtitiam & dolorem. Lachrymari enim, ſicut viros decet, citò ceſſabant. Luctus quidem mulieribus tanquam decorum concedebatur, ſed viris memoria & recordatio defuncti. Hic non ſunt Threjicio more, cantus, luxus, & laſciva geſticulatio, hic non ſunt tibiæ breves lugubre canentes more Phœnicum. Quid multis? *candor, ſimplicitas, amorque recti Germanis arriſit*.

POSTE-

POSTERIOR
PARS COMMENTARIORUM JODOCI WILLICHII, IN CORN. TACITI Germaniam, quo fit ſingularum in tota Germania nationum enumeratio.

HAEc in commune de omnium Germanorum origine, ac moribus accepimus. Nunc ſingularum gentium inſtituta, ritusq́, quatenus differant, quæ nationes è Germania in Gallias commigraverint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuiſſe ſummus autorum divus Julius tradit: eoq́ credibile eſt etiã Gallos in Germaniam transgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæq́ gens evaluerat, occuparet permutaretque ſedes, promiſcuas adhuc & nulla regnorum potentia diviſas?

Igitur inter Hercyniam ſylvam, Rhenum & Mœnum amnes Helvetij, ulteriora Boij, Gallica utraq́ gens tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, ſignificatq́ loci veterem memoriã, quamvis mutatis cultoribus.

I.

DE FREQUENTI LIMITIS GERmaniæ occidentalis mutatione, & de Celtarum appellatione.

HActenus Germanorum mores, ſed communes & universè deſcripſit, nunc ſingularem

gularum nationum in tota Germaniæ amplitudine catalogum ſubijcit, in quibus interdum vix uno aut altero verbo, quæ familiaria & propria, adeoque nativa ſunt, adnotare conſuevit. Ordinem verò eum obſervat, qui & Dionyſio, Melæ & alijs Geographis uſitatior eſt. Ab occaſu enim initium facit, in ripa Rheni ſiniſtra, quæ fuit & *Gallica* olim, & occaſum, cui & alteram dextram quæ eſt *Germania* ſubnectit, à quarum utraque ſeptentrionales, quos antea *Vigæunones* nuncupavimus, enumerare pergit, atque eis proximos *Hermiones*, nimirum *Suevos aquilonares* facit, juxta cum *auſtralibus*. Poſtremo orientales usque in Sarmatiam & Pannoniā porrectos recenſet. Cæterum de occidentali limite ſemper controverſia fuit. Siquidem interdū Galli vicini potentiores, ſicut & Cæſar in 6. Commen. tradidit, Rhenum tranſgreſſi ſunt. Nam juxta Strabonem in 4. ex Belgis, qui ferre arma poterant, tanquam bellatores CCCM. cenſeri dicebantur. Quarè Galli Italiam invaſerunt, Romam conbuſſerunt, Macedoniam devaſtarunt, Aſiam exuperarunt. Notum quoque eſt, ut Tarquinio Priſco Romę regante Celtæ, quorum imperij ſumma penes Biturigas fuit, qui *Ambigatum* regem Celtarum deſignarunt, ſed cum in Gallia ingens hominum multitudo excreverat, novas ſedes, quas dij augurijs dediſſent, quæſivit, & ſororis filios *Belloveſum* & *Sigoveſum* duces delegit, atque Sigoveſo ſortibus datos eſſe Hercyneos ſaltus Livi. in 5. ab urbe condita conteſtatur. Ita *Tectoſages* ex Gallia

Narbo-

Narbonenſi, ſicut Auguſtus Cæſar diviſit, non tam propter bellorũ libidinem, quàm propter hominum multitudinem agriq; inopiam trans Rhenum colonias miſerunt. & ut Beatus Rhenanus arbitratur, *Nicri*, qui & *Neckarus* eſt, ripam accoluerunt, ubi arx Decenſium ducum videtur, & *Teck* nominatur. Nihil dicam de Helvetiorum, de Bojorum, de Gotthinotum in Germaniam tranſitu, qui ab aliјs ſumma diligentia obſervatus eſt. E diverſo quot non ſunt in Gallias & alias regiones Germanorum irruptiones? Prudenter igitur Tacitus cauſam iſtius permutationis in anguſtos limites tranſtulit. Parum enim Rhenus obſtabat, ut non ſubinde ſedes promiſcuæ permutarentur, ut non regna toties confunderentur. Siquidem ex Cæſare liquet, quàm ſubinde Germani cum ſuo Arioviſto in Gallijs ſedem fixerint, & contra, quàm ſæpe numero citra Rhenum Romani juxta cum Gallis eoſdem repulerint, Tacitus lib. 20. hiſtoriæ Auguſtæ, ſub Cerealis perſona Germanos ſæpè in Gallias tranſcendiſſe aſſerit. Neque aliam transeundi eius fuiſſe cauſam, quàm libidinem, avaritiam, & mutandæ ſedis amorem, ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis fœcundiſſimum Galliæ ſolùm unà cum Gallis poſſiderent. Sic Strabo *Commune*, inquit, *eſt omnibus, qui hunc tractum incolunt, ut alio facile migrent, & propter victus tenuitatem, & propter agrorum colendorum ignaviam. & propter pecuniarum inopiam &c.* Quare factũ eſt, ut *Celtarum* appellatio utriq; nationi & Germanicæ & Galliæ ſit commu-

Teck arx.

communis. Etſi in principio Narbonenſis pro- vinciæ Gallos à Græcis hominibus appellatos Strabo ſcribat, tamen ijdem poſtea univerſos Gallos *Celtas* nominarunt, idq; partim ob eorũ claritatem, partim quod id nominis à Maſſilienſibus Græcis hominibus & doctis vicinioribus mutuati videntur. Quæ & cauſſa eſſet, cur *Rhodanus* etiam à Græcis *Eridanus* vocaretur, ſicut ex 3. ἁλιευτικῶν Oppiani perſpicuè liquet. Alludit quoq; Strabo ad ſignificationem Celtarum, cũ hos ab autoritate διὰ τὴν ἐπιφάνειαν nominatos eſſe ſcribat. Nam lingua Celtarũ (quæ & Germanica, niſi quod admodũ paucis dialectis ſit quoddã diſcrimen) eſt *Gelter*, quod multum valeat. Gelten quoq; idem eſt quod Latinis *valere*, unde & apud eosdem Gelt eſt ipſa pecunia. Græci autem rectius per γ Galatas ſcribunt, quàm Romani per κ, κέλτας. Patebat tum id nominis tam latè, ut non tantùm univerſam Galliam, ſed & univerſum occidentẽ occupaſſe Strabo affirmet, à quibus tam *Celtiberi* (ſunt enim quaſi *Celtæ* & *Iberi*, id eſt, Hiſpani) quàm Galatæ ad pontum Euxinum, ad quos D. Pauli ſcripta eſt Epiſtola, originem referunt, & etiamnum *porta Galli* nominatur. Quòd verò *Celta* & Germanũ & Gallum apud Græcos ſignificet, & quod Romni Germanos *Gallos* etiam vocitent, vel ex his argumentis patet. Siquidem ſervum publicũ ad Marium in carcere Minturnano clauſum, ut occideret eũ, miſſum tum Plinius tum Florus *Gallũ* fuiſſe ſcribunt, quem tamẽ Velleius Paterculus, & Valerius Maximus *Germanum*,

manum, ac in Cymbrico bello captum ferunt à Mario, ideoq; à ſervo dominum ſtatim agnitũ, & impunè dimiſſum. Contra Eutropius lib. 5. de Cimbrico bello. & Oroſius lib. 5. tum Cimbros tum Teutonas Gallorum vocabulo notat. Itaque ſubinde & *Galli* nomen ſicut & *Celtæ* utranque gentem, quamvis diverſam promiſcuè ſignificabat. Idque factum non alia de cauſa eſt, quàm ut fines circa Rhenum ſubinde commutati utrinque ſint, quàm ut ſeſe fratres in bellis & rebus ſerijs vocarint, quàm ut lingua & moribus magnã hæ duæ nationes communem habuerint. Nam *Celticam* fuiſſe *Germanicam linguam* multis rationibus confirmari poteſt, ſicut neque hodie Belgica ab illa admodum diſſidet. Solæ tantùm & hæ paucę diſcrimen faciunt dialecti Germanis non ignotæ. Nam & Cæſar, qui cum Gallis per interpretem locutus eſt, differentiam obſervavit, quæ etiamnum obliterata eſt. & penè talis eſt, qualis inter Miſenenſium & Saxonum linguis attenditur. Nam ubi Celtis eſt s, ibi Belgæ more Attico t ſubſtituunt, ut waſſer/water/das/was/dat/wat/ich/mich/dich/ ick/mick/dick/ & ſicut ſuperiores Germani, non aliter olim Celtæ diphthongos paſſim recipiũt, ita inferiores, inter quos ſunt & Belgæ juxta cũ Saxonibus easdem reſpuunt. Quarè cum & illis wein/mein/ſein/eſt, hi wyn/myn/ſyn dicunt. Eadem ratio eſt & in alijs diphthongis, ex quibus prior vocalis ferè abijcitur. Illam quoque linguam Plinius, qui & ipſe Gallus cisalpinus fuit, ut Romani loquuntur, hayd ignoravit, ſicut ex

cut ex diverſis ejusdem authoris locis citra negocium quis comprobaret. Hodie quoque & Germanica lingua bona ex parte ibidem dominatur, quibusdam tamen Gallica, quæ eſt Latina, ſed depravata, familiarior eſt, cum frequentius Romani & bella geſſerant, & præſidia contra Germanos habuerant. Verùm utriusq; nationis ſedes ſubinde permutatas eſſe ex Helvetiorum & Bojorum, qui & Galli fuerunt commigratione confirmat. Nam quicquid terrarum inter *Hercyniam ſylvam*, *Rhenum* & *Mœnum* amnes fuit, id totũ Helvetij ex Gallia profecti tenuerũt, ſicut ulteriora, id eſt, quæ potiſsimum ad ortum vergunt *Boy*, à quibus etiamnũ *Boihemia*, tanquam Bojorum domicilium inter Sudetos montes ſita vocatur, atque Cæſar trans Rhenum Boios, atque eoſdẽ in finibus Heduorum conſediſſe teſtatur. Strabo quoque Hercyniam ſylvam prius ab eis inhabitatam, quæ eandem ob cauſam noſtra quoq; memoria *Boiohemica* nominatur, aſſerit, qua de re Beatum quoque Rhenanum conſulendum eſſe judico. Id tamen non eſt ſic accipiendũ, quaſi Galli prorſus relicta ſua terra ſedes mutarint, ſed quæ nam eſſet ejus vera ſententia ex Cæſare, quem hic citat, certa colligeretur. *Virtute*, inquit, *Gallorum factum, ut trans Rhenum colonias mitterent*, & ſicut mox Volſcarum Tectoſagum exemplum ſubjungit. Ita Cornelius Helvetiorũ & Boiorum meminit. Quæ, malum! dementia fuiſſet, ut terra relicta, ſicut Cæſar tradit, meliori, in vaſtitatem & in ingentem ſolitudinem ſeſe totos transfer-

transferrent? Veros autem Helvetios usque ad Genevæ ponte̅ pertinuiſſe, & Jura monte occaſum verſus terminaſſe, in commentarijs ſuis Cæſar affirmat, & hi colonias citra Rhenum juxta noſtrum ſitum deduxerunt, ubi & Ptolomæo *Helvetiorum Eremus* eſt. Verùm ſi Tacito tanquam non ubique diligenti inveſtigatori credendum eſt, tunc Helvetij omnem tractum intra *Schaffhauſiam, Noricam urbem, Herbipolim & Heidelbergam* occupaſſe̅t, ipſa vera Helvetia longè ampliorem poſſediſſent (niſi quis forſan vaſtitatem à Rheno ad Noricam usq; urbem pertinuiſſe prætenderet) id non à veritate abhorrere mihi videretur. Neq; eſſe pœnitenda natio, ſi ſpacium à Rheno ad Nicrum usque duntaxat extenderetur. Sic & Boij diverſas ſedes habuiſſe leguntur. Fuerunt enim in Norico circa Danubij loca, item ante Cæſarem aliquot ſeculis circa Padum conſederunt, ut ex Livij lib. 5. ab urbe condita apparet, & lib. 1. de bello Punico. *Bothemos* verò eſſe & *Bojos*, à quibus & *Bavaros*, qui ſunt & *Boiarij*, deſcendiſſe ſentiunt. Cæteru̅ latè patuiſſe *Herciniam ſylva̅* vel ipſe Cæſar indicat. Nam in diverſas regiones per varia cornua, & tractus diſpergitur, & ibidem ſua recipit nomina. Quare eius nomine absque controverſia *Eremum Helvetioru̅, Gabretam ſylvam, Lunæ ſylvam, Sudetas,* atq; meo judicio *Semanam ſylvam, Abnobum* & *Melibocum* montes complecteremur. Dividit enim totam Germaniam usq; ad *Rhiphæos montes* & *paludes Mæotidis* nō ſecus ac Aſiam Taurus, Mau-

Nn ritani-

ritaniam Atlas, Italiam Apœninus. Eſt autem *Hercinia* nomen Germanicum à reſina quę nobis eſt *hartz*, undè apud Ammianũ & alios hujus imitatores rectè *Hartzinia ſylva* nominatur, quæ corruptè alijs eſt *Marciana*, Videmus autem ſylvam, quæ eſt nobis Wald/ Romanos amiſiſſe, & ad reſinam tantum reſpexiſſe. Facilem quoq; lapſum ex H in M quis cognoſceret, ut *Martianũ* nemus ſit ex *Hartziano* factũ. Veriſimile tamẽ eſt & quosdã Germanos craſſius, (ut in plærisq; vocabulis fieri ſolitum eſt) *Hortz*, pro *Hartz* pronunciaſſe, Quarè Erotoſthenes *Orciniam* nominavit. Sic & *Bacenis* nomen corruptum eſſe non eſt dubium. Movit neſcio quid Volaterranũ, qui *Barcenin* in Cæſare legere maluerit, ut ſit *Bartz* pro *Hartz*, propter eandem elementorum affinitatem. Germani tamen vel noſtra memoria ubiq; non unam retinent appellationem. Siquidem propè Friburgum Briſgaudiæ *Swartzwald* quod ſit nigra ſylva à pinorum opacitate, ſed propè Heydelbergã *Otthonis*, qui ibi frequentius venari conſuevit, ſylva (Germanicè Otthenwald) ita propè Herbipolim & à pavonis monte Babenbergam dictam *ardua ſylva* (Germanicè Steygerwald/ & attende ſit ne *Gabreta* vox apud Strabonem in 7. hinc nata) propè Confluentia Weſterwald/ id eſt, occidentalis ſylva, prope Francofordiam cis mœnum & Moguntiacum, *Spyßhartz*, id eſt, picearia ſylva. Nam & Germani picem *pech* nominant. à qua in comitatu *Mansfeldiano* dicitur vff dem hartz à Thyringis *Thyringiaca*,

giaca, à Boiehemis *Boiehemica*, ubi & *Sudeta* nominantur.

Sed utrum Araviſci in Panoniam ab Oſis Germanorum natione, an Oſi ab Araviſcis in Germaniam commigrarint, cum eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus utantur, incertum eſt, quia pari olim inopia ac libertate, eadem utriusque ripæ bona maláq; erant.

II.

DE LIMITIS AVSTRALIS permutatione.

QUemadmodũ in limite occidentali juxta Rheni utramq; ripam nationum & mutatio & confuſio facta eſt, ita & in limite meridionali juxta Danubij utramq; ripam ſedes nationũ ſubinde transferebantur. Siquidẽ ut in ulteriori ripa ejusdem fluminis *Araviſci*, ita in citeriori *Oſi* habitarunt. Illi quidem *Pannones* inferiores, hodie *Hungari* dicti. Hi verò *Germani* fuerunt, ſed inter utrosque tanta commigratio contigit, ut utri ab alteris diſceſſerint ab utraque ripa prò certò non habeatur. Nam utrobique idem eſt uſus ſermone, inſtitutis, moribus, & communi fortuna propter utriusq; ripæ proximam viciniã. Infra tamen Oſos ex Pannonica lingua non eſſe Germanos arguit, *Araviſci* autem in Pannonia inferiori juxta Ptolomæum maximè ad Septentrionẽ, ſicut *Scordiſci* ad meridiẽ pertinent. Sic enim ait, ἀρκτικώτατοι μὲν ἀραβίσκοι, μεσημβρινώτεροι δὲ σκορδίσκοι. Quare *Araviſci* hodie qui *Flaviani* quorum juxta *Petronellam*

eorundē ruinæ videntur, hodie eſſent qui *Gaurij* (die von Rab) qui *Strigonij* (die von Gran) nominantur, ubi & linguæ Germanicæ præſertim juxta dialecton Oſtriacam apud mercatores & quasdam cives plurimos uſus eſt. *Oſi* verò cum ripam Danubij ſeptentrionalem contra *Araviſcos* habitent; ſicut hinc conjectura fieri poteſt, erunt hodie nonnulli *Moravi, Poſoniates,* vulgò *Presburgenſes,* & intra *Vagam* atq; *Granum* accolæ, usque ad *Baccienſem* epiſcopatum atque inter hos etiamnum verè Germanica lingua, & eccleſiaſtas in templis docere audivi, & in foro res promercales divendi ejuſdem linguæ uſu vidi.

Treviri & Nervij circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.

III.

DE TREVIRIS ET NERVIIS.

TReviri ſanè in Gallia Belgica numerantur, ſed illi ſicut & *Nervij* ſeſe Germanos eſſe affectant. *Treviri* quidem à *Trebeta* duce ex Babylonia per Semiramidem novercam novercantem expulſo orti ſunt. Hi enim per mare, ſi verum eſt quod ſcribitur, in Rhenum, & ab hoc in *Obrincam*, quæ eſt *Moſella*, navigavit, ubi condita eſt *Trebaris* circiter Abrahami tempora utpote mille & trecentos annos Romana urbe antiquior, & eam Maternus D. Petri auditor

Trebaris.

Chriſti

Chriſti per Evangelicam doctrinam lucrifecit, quater devaſtata vix inſtaurata eſt, ejusque Epiſcopus inter ſeptemviros Romani imperij electores recenſetur. Cæterum juxta Ammianum *Treviri* inter Belgas fortiſſimi judicabantur, neque adventitijs delitijs effœminabantur, neque Germanis transrhenanis in certando cedebant, apud quos P. R. curia in cauſarum cognitione fuit, cujus & in Floriano Vopiſcus meminit. *Nervios* verò plærique omnes *Tornacenſes* appellant, à Treviris Boream verſus vergunt apud Ptolomæum ſunt νερούιοι, eosque ambitioſos facit adeo, ut à Gallis ſeparari voluerant. Hos enim inertes & molles plærunque alij judicabant. Verùm ſi quis Nerviorum deſcriptionem apud Cæſarem diligentius obſervarit, quantam animi magnitudinem frugalitas pariat, & è diverſo quantam mollitiem, ignaviam, & malorum agmen luxus ſecum trahat, facilè cognoſcet, atque verum eſſe comperiet, ut de Hannibalis exercitu, poſtquã vino Campano madebat, ſcortisque indulgebat, actum erat.

Ipſam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Ubij quidem, quanquam Romana colonia eſſe meruerint, ac libentius Agrippinenſes conditoris ſui nomine vocentur, origine erubeſcunt, transgreſſi olim, & experimento fidei ſuper ipſam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut cuſtodirentur,

IIII.

DE VANGIONIBVS, TREBOcis, Nemetibus & Ubiis.

HOdie conſtans eſt opinio multorum doctorum virorũ, & conſenſus, à quo non ita temerè diſcedere affecto, *Vangiones* eſſe Wormacienſes, & ſubditos eiusdem Epiſcopatus, quorum etymum eſt *von geun*, id eſt, à terra ſeu campo, id tamen ſicut neq; approbamus, ita neque magnopere damnamus. Arbitror tamen à Brotomago Vangionum capite *Wormatiam* eſſe, ut fieri apud Germanos ſolet deflexio, atq; in-inſcriptio quæ eſt in turri *Pavonia* dicta videtur ſpecula Vangionum. Sunt qui & *Guarmatiam* nucupant, ſed id fit juxta ſuperiorũ Germanorũ conſuetudinẽ, qui ex duplici *uu*, prius in *g* vertunt, ſicut ex *Vuolffgango Guolffgangus*, & *Vuilhelmo Guilhelmus*, derivatur. Sunt qui & eandẽ in concilijs & canonibus *Vermeriam* eandem appellatam contendunt, ab Attila Hunorum rege devaſtatam, Francici reges inſtaurarunt, & Otho Cæſar hanc Germanico imperio, tum propter multas Synodos, tum propter complurium regũ inhabitationem admodũ celebrem dedicavit. Ad hunc modum *Nemetas* Spirenſes eſſe contendunt. Utriq; tamen Arioviſti regis partes ſecuti ſunt apud Cæſarem, atq; vel eoſdẽ Germanos fuiſſe conjectura fit. Quod ſi quid Ptolomaicæ & tabulæ & picturæ credendũ ſit, tunc neque *Nemetes* Spirenſes, neque *Vangiones* Wormacienſes. Siquidem is ſub Tribocis Vangiones

giones, & Nemetas ſub Vangionibus collocat. Quare ordine penè inverſo hæc duo vocabula exponenda eſſe facilè quis videret,& Ptolomæus Nemetis *Næomagū* & *Ruffianam* tribuit. Neque hoc latet, ut Græcis πρᾶξις ſit cohors, & ſicut olim cohors prætoria illic fuit, ita hodie Cameræ Imperialis judiciū. *Tribocci* autem apud Ptolomæum recta ſub Rauracis ad Rhenum locantur. Straboni idem ſunt *Tribocchi*. Multi enim à tribus fagis Dryadibus nymphis conſecratis eosdem dictos (*Tribucchen*) eſſe autumant, & eosdem eſſe *Argentoracenſes*, paſſim hodie *Straſburgenſes* vocatos eorum nomine plærique omnes accipiunt, ſed mihi non fit veriſimile, ſi quid Ptolomæo creditur. Hic enim *Borbetomagum* & *Argentoratum* Vangionum urbes facit, ſic τριβόκκων *Breucomagum* & *Elcebum*, quod non paucis certa quadam conjectura eſt *Sleſtadium*. Quare vide ſint ne ſub his potius Alſatij intelligendi? Eosdem Germanos fuiſſe Strabo ſcriptum reliquit atque addit, ut relicto natali ſolo trajectoque Rheno ſedes poſuerint. Fabulam quoque eſſe credo Argentoratum, quod Attilas Hunnorum rex dirutis mœnibus ſibi viam fecerat Strasburgum nominatum fuiſſe. Neque *Argentinam* ideo nominari cenſeo, quod argentum propter militum ſtipendia Julius & Auguſtus eò miſerint, *Colonienſes* quoque *Ubios* eſſe vix eſt ullus qui refragatur, & ſic Ptolomæus ſub Nemetis *Agrippinenſium coloniam*, quam ille ἀγριππινήσιον vocat, ad Rhenū ſubſtituit. Tacitus enim cum

ordinem ſervavit, qui eſt à meridie ad Boream juxta ripam Rheni Gallicam. *Ubii* autem ſunt Romanis ſcriptoribus transrhenani, itaque eoſdem Marcellinus in ſecundam Germaniam reponit, etiamſi eos Gallos Sex. Aurelius fecerat. Eſt autem *Agrippina colonia* (hodie Cölen) ab Agrippa, qui Ubios, ut Strabo ait, ad interiorem Rheni ripam deduxit, dicta, aut ſi quis mavult juxta Tacitum lib. 12. annalium, nomen inditum illis eſt ab Agrippina Auguſta Claudij Cæſaris ex uxore Germanici filij Agrippæ nepti apud Ubios nata. Hæc enim à marito Claudio & veteranos coloniamq; deduci impetravit, atque hinc Agrippinenſes *coloni* vocari malunt, atque *Ubij*, & illos transrhenanos (eos enim olim transgreſſos & ſuper ipſam Rheni ripam collocatos eſſe ſcribit, ut Germanos incurſionem facientes arcerẽt, non ut à Romanis cuſtodirentur) facit, cui ſententiæ & Colonienſium chronica ſuffragantur, atque veteris alvei veſtigia apud D. Pantaleonis ac undecim milliũ virginum templa cernuntur, & in alteram ripã, nimirum ſiniſtram, Colonia translata eſſe videtur. Non ſatis aptè Volaterranus defendi poteſt, qui *Marchicos Badenſes* ſub duce Clivenſi ex Ubijs conſtituit.

Omnium harum gentiũ virtute præcipui Batavi, non multum ex ripa, ſed inſulã Rheni amnis colunt. Cattorum quondam populus, & ſeditione domeſtica in eas ſedes transgreſſus, in quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquæ ſocietatis inſigne. nam nec tributis conteruntur,

nec

nec publicanus atterit, exempti oneribus & collationibus, & tantum in uſum præliorum ſepoſiti, velut tela atq; arma bellis reſervantur.

V.

DE BATAVIS.

Cur hi *Hollandi*, cum ſit vox Germanica, regionique aptè reſpondens, vocentur Germanis, non poteſt eſſe obſcurum. Hic autem à Tacito, atque ſic à Romanis tanquam ſociis eorundem imperii propter virtutem bellicam commendantur. Inſulares verò ſunt, cum intra Rheni oſtia & Moſam, atq; Oceanum Germanicum ſint concluſi. Is enim tractus *Moſaulia* à Moſa, & Vahali fluminibus nuncupatur. Ad hos quoq; *Catti* Germani propter domeſticam ſeditionem pulſi ſeſe contulerunt, qui & ipſi ſocii Romanorum fuerunt. Quare immunitas & libertas iisdem conceſſa fuit, cum non erant tributarii, cum neq; publicanos, quorum avaritia non parum ſubditi torquebantur, habebant, cũ nihil exactoribus penſitabant. Horum enim uſus non alius fuit atq; telorum, & armorũ, quæ ſepoſita in armamentario præliorum tempore depromebantur. Qui plura ſcire cupit, totamque hiſtoriam, Taciti libros in annalibus & tricesimum, & ſecundum, & viceſimum perlegat, Proverbium quoque Eraſmi Roterodami Batavi, quod eſt, *auris Batava*, nõ negligat. Hinc veſtigia ejusdem hiſtoriæ etiamnum reliqua eſſe agnoſcet. Quid enim *Battenberga* aliud eſt, quàm *Cattorum Berga?* Quid nam *Nomamarum*

rum pars inferior *Heſſi montis* appellatione, & hodie celebris ſibi vult? In Batavia quoque eſt epiſcopatus *Trajectenſis* von Utricht. Ubi & quædam *Geláriæ* pars conſtituitur.

Eſt in eodem obſequio & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraq; veteres terminos imperii reverentiam. Ita ſede finibusq; in ſua ripa mente animoq; nobiſcum agunt, cætera ſimiles Batavis, niſi quod ipſo adhuc terræ ſuo ſolo & cœlo acrius animantur.

VI.

DE MATTIACIS.

NOn eſt quod quis Ptolomæi *Mattiacum* huc referat propter locorum diſſitorum longitudinem. Deinde ultra Rhenum dum dicit, ambiguum eſt. Nam aut ultra Rhenum aut ad Septentrionem reſpicit, tunc absq; controverſia *Zelandi* ipſi ſunt *Mattiaci*. Nam parum abeſt, quin illi ſint Batavorum ſocii & proximi vicini ad oſtia Rheni poſiti, Germanis dicti quod eorum terra ſit in mari, aut ultra Rhenum ad ortum accipitur. Sic *Mattiaci, Geldrenſes* juxta cum *Clevenſibus* judicabantur. Cæterum ex Plinio liquet, qui *Mattiacos fontes*, admodum calidos eſſe, eorumq; hauſtum triduo fervere
Wisbaden. memoriæ prodidit. Fons autem ille eſt *Viſebade* in platea, cujus aqua non ſolum ova coquit, ſed etiam alites magno fervore deplumat, & ſetoſas ſues depilat vel immerſione, vel perfuſione.

Huic

Huic autem in ſecunda Germania certus locus deſignatur. Tacitus quoque eosdem riparios, id eſt, ripæ Rhenanæ accolas facit, tanquam Romani nominis ſocios. Quare eos cum Romanis mente & animo agere ſubdit, habentq; eandem immunitatem & privilegia, quæ Batavis à Romanis data ſunt. Animoſiores tamen tum propter naturam ſoli, tum propter cœli, id eſt, vel aeris vel ſtellati orbis qualitatem, aſſerit: cujus aliquot cauſæ ex Hippocrate de locis, aere & aqua peti poſſunt.

Non numeraverim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumq; conſederint eos qui Decumates agros exercent. Leviſſimus quisq; Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavere. Mox limite acto promotisq; præſidiis, ſinus imperii, & pars provinciæ habentur.

Ex ripa Rheni dextra.

VII.

DE DECUMATIBUS agris.

NOndum pro certo habetur, cur *Decumates* iſtiusmodi agri nominati ſint, an è limite decumano, cujus ab ortu ad occaſum curſus eſt, qualis eſt *Danubius* meridiem verſus, an quod illinc decimæ per decumanos, id eſt, publicanorũ principes ibidẽ exigebantur, an quod decimæ legionis præſidia ibidem conſtituebantur, ſicut ſecundam, ſextam & ſeptimam ab ordine, & numero legionum dixerunt Romano-

manorum more. Agreſte autem exercitium, cujusmodi eſſe ſolet in agricultura Tacitus agnoſcit, maximè per Gallos, quorum levitas, inopia, audacia, & extrema egeſtas nota & perſpecta fuit. Erat utique pars provinciæ Romanis. Quare ut ad decumani agri naturam alluderetur, & limitis ulterius acti & promotorum præſidiorum meminit, undè conjecturam de illorum appellatione faciendam eſſe judico, cujusmodi fuit & in Gallia Narbonenſi *Decumanorum colonia*. Hi verò ſunt propè Eremũ Helvetiorum, ubi eſt hodie ducatus *Vuirtembergenſis* cum Rhetiæ provinciæ aliqua parte.

Ultra hos Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, non ita effuſis ac paluſtribus locis, ut cæteræ civitates, in quas Germania pateſcit, durant ſiquidem colles, paulatimq́ rareſcunt, & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur, ſimul atq́ deponit. Duriora genti corpora ſtricti artus, minax vultus, & major animi vigor. Multum, ut inter Germanos, rationis ac ſolertiæ, præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, vallare noctem, fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare, quodque rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce, quàm in exercitu. omne robor in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoq́ & copiis coonerant. Alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum rari excurſus & fortuita pugna. Equeſtrium ſanè virium id proprium, cito parare victoriam, cito cedere. Velocitas juxta formidinem,

cunctatio

tunctatio propior conſtantiæ eſt. Et aliis Germanorum populis uſurpatum, rara & privata cujusq; audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamq; ſummittere; nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti, oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia revelant frontem, ſeq; tum demum precia naſcendi retuliſſe dignosq; patria ac parentibus ferunt. Ignavis & imbellibus manet ſqualor. Fortiſſimus quisq; ferreum inſuper annulum, ignominioſum id genti, velut vinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſolvat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Jamq; canent inſignes & hoſtibus ſimul, ſuisq; mõſtrati, omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima ſemper acies, viſu nova. Nam ne in pace quidem vultu mitiore manſueſcunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quemq; venere aluntur, prodigi alieni, contemptores ſui, donec exanguis ſenectus tam duræ virtuti impares faciat.

VIII.

DE CATTIS, ET DE NATIONUM apud Tacitum iuſto ordine.

ALteri ſunt in eadem ripa Rheni poſt agros decumates *Catti*, qui Ptolomæo ſunt χάττοι. Nam is χάττας *Meliboci Montis* accolas cõſtituit, qui nobis ſunt *Heſſi*, & iidem ſunt *Catti Meliboci* nobis *Catzenellbogen*, non ab ancone; id eſt, cubito, ſed à *Meliboci* voce corrupta. Quare ſi quis ordinem exponendi, apud Tacitum ab Auſtro ad Boream usq; juxta Rheni ripam

pam Germanicam probè attenderit, nullam mihi temeritatis, cum à tanto eruditorum virorũ conſenſu diſcedere audeam, notam impinget. Siquidem ſicut poſt Elvetiorum Eremum ſunt Ptolomæo *Caritni*, his proximi *Veſpi*, poſt quos *Tingeri*, *Buſactori parvi* & *Phriſii*: ita Tacito ſunt in eadem ripa agri decumates, *Catti*, *Vſipii*, *Tencteri*, *Bructeri* & *Phriſii*, & hi omnes ſunt *Iſtævones*. Sic citra negocium quis omnia ſcripta ad amuſſim quadrare, & non toties ſedes nationum mutatas cauſari oportere videretur. Eſt quoq; in appellationibus perſpicua alluſio. Etſi Ptolomæus & Cornelius eodem penè tempore ſcripſerint, tamen eadem nomina non ubiq; eadem, ſed modicè inflexa indita ſunt. Credimus Ptolomæum ab aliis ſcriptoribus anteceſſoribus nomina recepiſſe. Cornelium autem ſui temporis ſtatum Germaniæ, ſicut tum ipſe & viderat, & audierat, deſcripſiſſe. Proinde mihi dubium non eſt, ſicut & cuilibet rectius obſervanti talem ordinem utrobique retinendum eſſe, niſi quod Ptolomæus à ſeptentrione in eadẽ ripa usque ad auſtrum nimirum ad alpes pergens, è diverſo autem ab his incipit, & in parte Boreali deſinit. Poſtea uterque à borea incipit. Sic enim Ptolomæus μέτα δὲ τούτους inquit, καῦχοι οἱ μικροὶ, μέχρι τοῦ οὐισούργιος ποταμοῦ, quod eſt, *Poſt Phryſios ſunt Chauci parvi, usq; ad Viſurgin fluvium.* Sic & Cornelius ait, *In Septentrionem ingenti flexu redit, ac primò ſtatim Chaucorum gens &c.* Sunt igitur *Catti* non *Heſſi*, ſicut hactenus ſibi perſuaſerunt, ſed qui *Marchiam Badenſem*,

Catti.

&

& *Heilprunam*, *Heydelbergam*, & vicina loca *Otthonæ ſylvæ*, quæ Hercynii ſaltus pars eſt, incolunt. *Catti* vel *Caritni* deſcribuntur, nunc à loco habitabili. Nam his non ſunt loci paluſtres ut in aliis Germanorum partibus, ſed ibidem montes modo ſunt alti, modo declives. Illic quidem durant & ardui ſunt, hic verò humiliores & rariores ſunt circa Hercynium ſaltum cujus portiones ſunt *Helvetiorum eremus* & *Abnobii montes* perpetui, cohabitant. Nunc ab habitu corporis notantur. Sunt enim illis duriora corpora, membra tamen anguſta & aſtricta. Nunc à vultu & habitu animi quia vultu minaces, quia vegetiori & alacriori ſunt animo. Nunc ab ingenio ejusque ſagacitate, & ſolertia: cujus argumenta ſunt vel in aliis honorandis; quia electos atque virtutibus inſignes cæteris præponunt: vel in obedientia, quia ſuum Magiſtratum audiunt: vel à prudentia, quia ordines rerum norunt atque perpendunt; vel à providentia, quia occaſiones non negligunt, ſed intelligunt: vel ab abſtinentia quia impetus & iracundiam differunt, & differendo cohibent: vel ab laboribus, quia diem in certa negocia diſponunt & ordinant, noctemq; vallunt, id eſt, quaſi vallo propter quietem firmant & muniunt: vel rerum judicio, quia in fortuna dubium eventum, ſed in virtute certitudinem, cum in ea ſit εὖ ζῆν εὖ πράττειν εὐδαιμονεῖν, τέλος ἀγαθῶν λαχεῖν, ὕποτον ἀγαθὸν ἔχειν, juxta Ariſtotelis ſententiam. Nunc à præliandi ratione, tam in peditatu quàm equitatu, quia duci tanquam Leoni confidunt, quàm

quàm exercitui, præſertim in quo ſunt cervi. Peditatus quoque gratior eſt, qui non tantum armis, ſed & rerum bellicarum copiis & ferramentis onerantur. Magis tamen bellum adamant quàm prælium, id eſt, pugnam atq; ipſum conflictum. Itaq; gravate incurſiones faciunt, pugnæq; eventum fortunæ acceptum ferunt. Cæterum equeſtribus copiis, aut cito victoriã parant, idq; formidinis, aut cito cedunt, idq; conſtantiæ cujusdã argumentum eſſet. Laudabunt igitur cunctatorem Fabium, quàm temerarium & inſolentem Minutium. Cupit tamen ſolum tacitè ſuggillare & notare cum juxta dicit, & propior quaſi non ſit vera formido, veraque conſtantia. Nunc ab ornatu capitis, menti, & digitorum, qui & ſi aliis Germanis ferè competebat, ut cujusq; eſt audentia, eaque raro, ſed apud Cattos, quaſi conſenſu familiaris & proprius fuit, nimirùm nemini aut capillitium detondere, aut barbam radere licebat, niſi prius hoſtem confecerat. Quare ſuper hoſtem proſtratum frons revelabatur, id eſt capillitiũ præcidebatur, & barbitium deradebatur, atq; ideo ignavi, intonſi & barbari in vita permanebant. Neque iisdem *annulum ferreum*, tanquam rem valde huic nationi ignominioſum deponere cõcedebatur, niſi prius hoſtẽ interemerint. Nunc à canitie, quia cani & inſignes virtute bellica, & hoſtibus, & ipſis Cattis minoribus, tanquam παραδείγματα oſtendebantur & proponebantur. Hi enim tum prælii initium fecerunt, tum in prima acie dimicarunt; quibus ſemper vel in

pace

pace altiſſima vultus non mitis, non manſuetus ſed minax & aſper, & terribilis erat. Nunc à fortuna Catti adumbrantur, quia nemini quippiã proprium erat, ſuorum bonorum contemptores aliena concoquebant, usque ad extremam ſenectutem, quæ exangues & exuccos reddit viros, atque ita imbelles, itaque virtuti bellicæ impares.

Proximi Cattis certum jam alveo Rhenum, quiq; terminus eſſe ſufficiat, Vſipii ac Tencteri colunt. Tencteri ſuper ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quàm Tencteris equitum. Sic inſtituère majores, poſteri imitantur. Hi luſus infantium, hæc juvenum æmulatio, perſeverant ſenes, inter familiam & penates, & jura ſucceſſionum, equi traduntur, excipit filius, non ut cætera maximus natu, ſed pro ut ferox bello, & melior.

IX.

DE USIPIIS ET TENcteris.

VSipii ſunt *Vſipetes* & Ptolomæo *Viſpii* Appiano *Sypetes* Cattis id eſt Caritnis proximi ad ſeptentrionem, & ipſi Rheni, qui limes Germaniæ occidentalis eſt, accolæ: cujusmodi hodie eſſent in agro *Francophordiano* atq; *Confluentino*, atque in locis vicinis cohabitantes. Ita *Tencteri*, qui aliis ſunt *Tenchtheri*, Appiano *Tãcheri*, Plutarcho τεντερίδες, Ptolomæo τίγγιςοι Lani & Luppiæ & Rheni accolæ, ubi plærique

Heſſi hodie ſic nominati, & nonnulli *Franci* de-gunt. Hi ſanè non parum à virtute bellica, præ-ſertim ab equitatu commendantur, & ſicut *Ca-ritni* peditibus, ita hi equitibus magis præſtant. Cauſa verò alia non eſt atq; ipſa educatio, & à prima ætate inſtitutio. Nam in omni ætate talia ſunt iisdem excercitia: atque in ſucceſſione hæreditatis equi legantur, non maximo natu tanquam primogenito, cui alioqui & paſſim multum juris & poteſtatis conceditur, ſed ferociori & bellaciori. Neq; hodie ab iisdem moribus adeo *Heſſi, Franci*, & quidam *Juliacenſes* receſſerũt equitatu, ejusq; diſciplina, quæ Græcis eſt ἱππική plurimum gaudentes.

Juxta Tencteros Bructeri olim occurrebant, nunc Chamavos & Angrivarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac penitus exciſis, vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu favore quodam erga nos deorum: nam ne ſpectaculo quidem prælii invidere, ſuper ſexaginta millia non armis telisq; Romanis, ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculisq; ceciderunt. Maneat quæſo, duretq; gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui, quando urgentibus imperii ſatis nihil jam præſtare fortuna majus poteſt, quàm hoſtium diſcordiam.

X.

DE BRUCTERIS, CHAMAVIS & Angrivariis.

HI ſunt Ptolomæo *Buſactori*, hodie *Luppiani & Monaſterienſes*, usq; ad *Oſſenbrugum*, quod

quod ab iiſdem forſan nomen accipit, ubi & quædam Hercyniæ ſylvæ maximè circa Haſſ... m pars, de qua eſt illud Claudiani

Bructerus Harcyniæ venit accola ſylvæ

...*ivi* verò intra *Melibocum* montem & Al... ta Ptolomæum conſiſtunt, ubi ſunt non... *iſeni*, ſicut *Angrivarii* ſunt contra Sue... Semnonas, quos Albis tantum dirimit, po... , ubi hodie *Magdeburgenſes*, & *veteris Marchiæ incolæ.* Hi autem duo populi expulſis & excîſis veteribus *Bructeris* in eam partem commigrarunt, idque vicinarum gentium conſenſu atq; ſuffragio, vel quia iiſdem *Bructeri* odioſi erant, vel quia prædæ dulcedine capiebantur, vel quia dii Romanis propitii idipſum ſic deſtinabant. Siquidem neque dii invidebant prælii ſpectaculo. Nam ſupra ſexaginta millia ceciderunt, non armis, non telis Romanorum, ſed domeſtica diſcordia, quæ & Romanorum oculis ita grata fuit, ut eadem ſe non parum oblectarint. Quare ut Romani eſſent pacatiores, Germanis perpetuam inter ſeſe diſcordiam eſſe cupit atque vovet, ſicut ex annalibus Taciti, Druſum, ejusque filium Germanicum idipſum unicè ſtuduiſſe liquet. Ecquid hodie fit in tantò & principum, & civitatum diſſidio aliud cogitandum eſt? Quapropter *Bructeri* erunt Lupiæ accolæ & *Oſtvali*, & *Vveſtvali* plærique, ubi eſt & *Angria*: & archiepiſcopus Colonienſis ſe Angrivariorum ducem ſcribere ſolitus eſt, die Engern in Weſtphalen. Neque id quempiam lateat vel hodie oppidum, cum in

ſigniori & editiori arce, in qua eſt ſacellum multis gemmis ornatum, Caroli quarti, niſi fallor, opus (quod & incolæ *Carolls capell* nominant) & dicitur *Angermundum*, tanquam Angrivariorum oſtium in veteri Marchia, quæ ſeptem urbibus conſtat, primum in albis ripa, quæ illis citerior, nobis ulterior eſt. Ridicula autem etyma, quorundam non tanti facio, neque *T*, littera in capite dictionis appoſita me movit. Nam id factum eſt, propter alterius in Marchiæ media in ripa Viadri oppidi poſiti, *Angermundi* vocati diſcrimen.

Angrivarios & Chamavos à tergo Dulgibini & Chaſuarii cludunt, aliæq́ gentes haud perinde memoratæ. A fronte Friſii excipiunt. Majoribus minoribusq́ Friſiis vocabulum eſt, ex modo viriũ, utræq́ nationes usq́ ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntq́ immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus navigatos. Ipſum quin etiam Oceanum illac tentavimus, & ſupereſſe adhuc Herculis columnas fama vulgavit, ſive adiit Hercules, ſeu quicquid ubiq́ magnificum eſt, in claritatem ejus referre conſenſimus. Nec defuit audentia Druſo Germanico, ſed obſtitit Oceanus in ſe ſimul atq́ in Herculem inquiri. Mox nemo tentavit, ſanctiusq́ ac reverentius viſum, de actis deorum credere, quàm ſcire. Hactenus in Occidentem, Germaniam novimus.

De

XI.

DE DULGIBINIS, CHASUAriis & Friſiis.

D*Ulgibini* Ptolomæo ſunt δουλγούμνιοι id eſt *Brunſvicenſes, Halberſtadienſes* & *Hildesheimenſes*. *Caſuarii* autem, aliis ſunt *Cattuarii*, Ptolomæo *Caſuarii* πάλιν inquit, ἀπ' ἀνατολῶν τῶν ἀβνοβαίων ὀρῶν, οἰκοῦσιν ὑπὲρ τοὺς σουήβους κασουάροι. quod eſt, *ab orientali parte iterum Abnobiorum montium ſupra Suevos Anglos caſuari habitant*, ubi hodie eſt *Caſella*, forſan à caſuariis dicta *Schmalcaldia*. Hi duo à tergo, videlicet ab occaſu *Angrivarios* & *Chamanos* claudunt & retinent, ne toties in alias partes incurſiones faciāt. Porrò *Friſii* adhuc veterem obtinent appellationem, de quibus ſic Ptolomæus ὑπὲρ τοὺς βουσακτέρους οἱ φρίσσιοι, μέχρι τοῦ ἀμισίου ποταμοῦ, quod eſt, *ſupra Buſactoros Phriſſii ſunt, usque ad Amiſium* (qui & hodie ſed, ut fit, corruptè *die Ems* nominatur) *fluvium*. Sunt autem *Phriſii* duplices, aut majores aut minores. Illi quidem forſan ſunt intra *Amiſum* & *Viſurgim* vulgò die Weſer ubi eſt *Groningenſium* ager & civitas, Hi verò ſunt intra Viſurgim & Albim, ubi eſt *Bremenſiū* tractus, qui eſſent & *Buſactori* majores, quibus adnumerarētur *Vverdenſes* & *Mindenſes*. *Phriſii* tamen & orientales & occidentales *Angrivariorum* & *Chamanorum* impetum excipientes & ſuſtinentes juxta Oceanum, & id eſt à Ptolomæo dictum, τὴν παρωκεανῖτιν κατέχουσιν.

Occidentales autem magis Rheno prætexuntur, atq; in eorum vicinia ſunt aliquot Inſulæ, ad quas claſſis Romana aliquoties pervenit. Tentarunt & Romani *Oceanum Phryſiacum* maris Germanici partem, ſed deterriti ſunt atq; fruſtra conati. Nam *Hercules* quidam, quem Teutonicum eſſe veriſimile eſt, eo usq; pervenit & ſubſtitit atque ibidem *ſtelas*, quæ ab authore Hercule non aliter atque apud Gaditanos Herculeæ dictæ ſunt, conſtituit. Solebant enim veteres heroes vel columnas, vel aras, tanquā certas peregrinationum & laborum metas, collocare. Ejus autem tentationis & in annalibus Tacitus meminit, ſicut arbitror, & Veſpaſiano factæ, & antea à Druſō Germanico, ut Suetonius & alibi Tacitus meminerunt. Sed huic non minus atque olim Herculi, quisquis ille fuit Oceanus fluctuans obſtitit. Quare nemo idipſum porrò tentare auſus, tanquam, per fata ἀδύνατον. Hinc factum eſt, ut iſthæc credere maluit, quam explorare. Id tamen non eſt negligendum hodie *Phryſiorum* ditionem ita amplam eſſe, ut veterum *Cauchorum* tam parvorum quàm magnorum agros occuparint.

In Septentrionem ingenti flexu redit. Ac primo ſtatim Chaucorum gens, quanquam incipiat à Friſis, ac partem littoris occupet, omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usq; ſinuetur, tam immenſum terrarum ſpacium non tenent tantum Chauci, ſed & implent, populus, inter Germanos nobiliſſimus, quiá, magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri, ſine cu-

pidi-

pid[illegible]tate, ſine impotentia, quieti ſecretiq́ꝫ, nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis p[illegible]pulantur. Id præcipuum virtutis ac virium argumentum eſt, quod ut ſuperiores agant, non per injurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat exercitus plurimum virorum equorumq́ꝫ, & *quieſcentibus eadem fama.*

XII.

DE CHAUCIS.

HActenus occidentem ut ipſe appellat, id eſt occidentalem Germaniæ limitem, in [illegible]raque Rheni parte ſibi notum explicuit. N[illegible]nc & Septentrionem, id eſt, limitem borealem, ubi deſignantur *Ingævones*, per flexum maris Germanici ſubjungit, inter quos primi o[illegible]vii ſunt *Cauchi*, quos Ptolomæus ſicut minores intra *Amaſim* & *Viſurgim* conſtituit, ubi ſunt *Phryſii Groningenſes* hodie ita majores intra *Viſurgim* & *Albim* ubi ſunt nunc *Bremenſes, Luneburgenſes* ad *Hamburgum* usq;. Sunt autẽ ejus verba, καῦχοι οἱ μικροὶ μέχρι τοῦ ἀμισίου ποταμοῦ· οἱ μ[illegible]ζους, μέχρι τοῦ ἄλβιος ποταμοῦ. Hodie tamen iidem ferè *Phryſiorum* nomine continentur. Initium autem Cauchorum à Phryſiis, qui erant intra *Vidum* & *Amiſum*, vel ipſius Ptolomæi ſententia, atque iidem ſunt aut *Vigævones*, aut *Ingævones* tum ampliſſimi. Nam hi maritimi nationibus hactenus numeratis prætenduntur, adeo ut in Cattorum tractum usq; inſinuentur, Hic nemo eosdẽ *Cattos* intelliget, quos Ptolomæi *Car[illegible]tnos* eſſe indicavimus. Nam eo usq; nõ

implicantur, atq; vix vero conſentaneum, etſi quis vel Ptolomaicos Cattos juxta Melibocum montem, vel ipſos *Cattuarios* acciperet. Itaque non eſt dubium in *Cattorum* appellatione Tacitum nimis variare, tum nobiliſſimi ſunt, & propter juſtitiam & propter innocentiam, quæ illam non ſecus ac umbra corpus comitatur. Sunt quieti, ſunt & ſi res poſcit bellaces.

In latere Chaucorum, Cattorumq́; Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt, idq; jucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes & validos, falsò quieſcas, ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquiq́; Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in ſapientiam ceſſit. Tacti ruina Cheruſcorum & Foſi contermina gens adverſarum rerum ex æquo ſocii ſunt, cum in ſecundis minores fuiſſent.

XIII.

DE CHERUSCIS ET FOSIS.

CHeruſcos Albis accolas eſſe ex Ptolomæo ſatis perſpicuè patet, quos tamen plærique omnes (quod equidem ſciam) eruditi ad confluentem *Salæ* & *Albis* urbem, cui *Cerveſt* nomẽ eſt (niſi quis à Cervecis derivare mallet) adſcribunt cum toto comitatu *Anhaldinenſi*. Sub his & nonnulli *Tyringi* comprehenduntur *Chamanis* vicini. Laudantur à nimio pacis ſtudio, quo per ocium homines marceſcunt, ſed rurſus dãnantur quia id non tutum fuit, etiamſi jucundum fuerat. Ait enim inter impotentes, hoc eſt,

valde

valde potentes, quieſcere non ita bonũ eſt, cúm victores judicentur modeſti & probi. Quemadmodum *Cheruſci* æqui & probi fuerunt, ſed per altiſſimam pacem jam inertes cenſentur. E diverſo *Catti*, cum ſint bellaces, & per fortunam victorioſi, ſapientes habentur. Ita hodie commendantur Martiales, & contra pacati & pacificatores vituperantur, atque adeo utrorumque aut Philoſophi, aut Theologi ſcilicet, ſi pacis ſtudioſi ſunt, ſalutantur. Verùm de horum moribus & bellis, & Taciti annales conſulito. Collocantur autem hic *Cheruſci*, veluti inter *Chaucos* & *Cattos*. Hos enim habent meridionales, ſicut illos boreales. Viciniam quoq; arguit, quod cum Druſus Cattos ex improviſo adortus fuiſſet, *Cheruſci* hos juuare cupientes, à Cecinna prohibiti ſunt. Sed legitur è contra ut *Catti* poſt Cheruſcos ſubactos cũ *Hermunduris* ob Salæ flumen, quo loci ἄλας Saxonũ hodie cernimus, contenderint. Foſi autem Chæruſcis proximi vicini ſtatuuntur: in rebus adverſis ſocij æquales fuerunt, ſed in ſecundis inferiores.

Eũdem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, ſed gloria ingens, veteriſq; famæ latè veſtigia manent utraq; ripa caſtra ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoque metiaris molem manuſq; gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorum audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducenti

 fermè

fermè & decem anni colliguntur, tam diu Germania vincitur.

XIIII.

DE CIMBRIS.

DE his ſic Ptolomæus, πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι κίμβροι. quod eſt, *Cimbri inter omnes Vingævones magis ſunt Septentrionales*, à quibus Cherſoneſus tota *Cimbrica* dicta eſt, olim parva fuit civitas, ſed hodie magna, Nam quicquid terrarum eſt inter *Lubecum* & *Hamburgum* usque ad ejus Cherſoneſi extremum angulū *Cymbrorū* nomine continetur, ubi ſunt *Holſati Dani, Jutlandi*, ubi à forma cunei à Germanis Saxonibus *cyn kil* appellatur. Encomium quoq; eorundem inſeritur, modo à gloria propter bellum, quod inde *Cimbricum* nominatur, modo à ſitu, ut ſit bimaris non aliter ac Corinthus. Nam ab una parte eſt occidentale, vulgo die Weſtſee/ ab altera eſt Orientale vulgo die Oſtſee/ modo ab amplitudine. Nam admodum ſpacioſa in ambitu totius Cherſoneſi eſt, cui tantæ commigrationis in alias nationes fides accedit, ex qua certo conſtat, ut ſit natio admodum copioſa, innumeriſque populis referta, qui & in Illyricum usque invaſerant. Turbas autem Cymbrorum inſurgentiū contra Romanos Plutarchus in Mario, Juſtinus & in 1. libro, Paterculus deſcribunt. Hos tamen exuperavit C. Marius, ut eſt apud Florum de Cimbrico bello, ſicut poſtea Stilicon in eadem Cherſoneſo *Getas*, qui ſunt & *Gotthi*,

& *Gotthi*, vicit, ut eſt apud Claudianum. Fuerunt enim γητῶνοι dicti, à quibus ſinus primùm *Getanus*, deinde *Godanus* poſtea *Gedanus*, à *Lubeco* usque ad *Dantiſcum* porrectus, quod & inde *Gedanum* nominatum à ſitu appellationem recepit: modo à perpetuo belli ſtudio commendantur, ſiquidem circiter ducentos & decem annos Cimbrorum arma audita ſunt, atque inter hos vinci cœperunt. Siquidem tot anni colliguntur à COSS. C. Cæcilio Metello Caprario & C. Papyrio Carbone qui poſterior in Illyrico à Cimbris victus & fuſus eſt, juxta Florum, Anno ante natum Chriſtum 111. videlicet anno mundi 3851. circa quem Cleopatra veneno, quod filio Griphoni paraverat, hauſto, vitam cum morte commutavit, & circiter tertium ab hinc annum Jugurtha Adherbalem interemit, Cirtham per deditionem accepit. Colliguntur autem usque ad alterum Ulpij Traiani Criniti conſulatum (nam ſexies conſulatum egerat) cujus collega fuit Cocceius Nerva Auguſti. *Ferme*, autem adjecit. Siquidem recte ſupputanti tempora ſunt ducenti & novem anni.

Medio tam longi ævi ſpacio multa invicem damna. Non Samnis, non Pœni, non Hiſpaniæ, Galliæve, ne Parthi quidem ſæpius admonuere. Quippe regno Arſacis acrior eſt Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Craſſi, amiſſo & ipſo Pacoro infra Ventidium dejectus Oriens objecerit?

XV. DE

XV.

DE GERMANORUM VIRTUTE bellica digreſſio.

Collatione quadam per calamitatum acceptarum, & præliorum factorum enumerationem Germanorũ vitutem bellicam collaudat. Fuit autem *Samniticũ bellum primũ* ab urbe condita 413. COSS. M. Valerio Corvino. A. Cornelio COSS. ante natum Chriſtũ 339 anno. Sicut *alterum* fuit ab urbe condita 430. COSS. L. Furio Camillo 3. D. Junio Bruto Scæva, ante natum Chriſtum 322. *Punicum* autem *primum* bellum fuit ab urbe condita 489. COSS. Ap. Claudio Pulchro. Q. Fulvio Flacco, ante natũ Chriſtum 261. *Secundum* fuit anno ab urbe condita 536. COSS. P. Cornelio Scipione, T. Sempronio longo, ante natum Chriſtum 216. *Tertium* fuit ab urbe condita 604. COSS. L. Quintio Flamminio, M. Acilio Balbo, ante natum Chriſtum 147. *Hiſpaniæ* autem *devictæ* ſunt, vel expulſo Pæno à Scipione ab urbe condita 548. COSS. Lu. Veturio Philo. Q. Cæcilio Metello, ante natum Chriſtũ 203. vel quando Metellus in Hiſpaniam miſſus, cui & Pompeius adjunctus erat, adverſus Sertoriũ, ab urbe cõdita, 677. COSS. M. Æmilio, Mamerco, D. Decio Bruto Juliano. ante natum Chriſti. 74. vel quando Cæſar Auguſtus totam Hiſpaniã ſubegerat, ab urbe condita 730 COSS. C. Cæſare Octaviano, C. Norbano Flacco, ante natum Chriſtum 21. *Gallicum* verò bellũ *unum* fuit ab urbe condita

ſ27. COSS. P. Valerio Flacco, M. Attilio Regulo, ante natum Chriſtum 225. *Alterum* quod Cæſar geſſit, de quo eiusdem commentaria leguntur, fuit anno ab urbe condita 656. COSS. L. Piſone Cæſoniano, A. Gabinio, ante natum Chriſtum 55. Sic & *Parthi* cum Romanis ſub idem tempus bellū geſſerunt, cum Gallos, Florus inquit, per Cæſarē in Septentrionem debellat, interim grave vulnus à Parthis P.R. accepit. Nec de fortuna quæri poſſumus, caret ſolatio clades, adverſa & dijs & hominibus cupiditas conſulis Craſſi, dū Parthico inhiat auro, ſtrage undecim legionum, & ipſius capite mulctata eſt, quod Tribunus plebis Metellus exeuntē ducem hoſtilibus diris devoverat. Parthi autem, quorū rex Arſaces fuit acres, ſicut clades Craſsiana teſtatur, ſed liberi Germani multò acriores ſunt. Siquidē Parthi, eorumq; magiſtratus Romanis quid nam, quam cædē Craſſi objiceret, cum ipſi majorem cladem etiam rege Pacoro amiſſo per Ventidium M. Antonij legatum, acceperant? Siquidem Ventidius Labieni copias, ipſum Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem ſinu latè proſtravit, viginti amplius millium fuit. *Ita* inquit Florus, *Craſſianam cladem Pacori cæde penſitavimus*. Idem à Tacito in annalibus, à Floro, ab Appiano lib. qui Parthicus inſcribitur, Plutar. in in M. Antonio.

Pergit igitur nunc miro compendio Germanorum victorias contra Romanos tanquam uno faſce enumerare, & ſunt duodecim, quorum

Germanorū duodecim victoria contra Romanos.

rum *prima* eſt, ut C. Papyrius Carbo à Cimbris, qui nunc in Danos & Holſatos abierunt, victus ſit, cum in Illyricum, Romanorum provinciam venerant, juxta Florum in epitome Liviana lib. 63. Id autem accidit anno

Ab urbe condita,	*Ante natum Chriſtum,*	*M*
641	111	

2. *Altera* fuit cum L. Caſſius in finib... brogum (quos hodie *Sophoios* nunc... gurinis Gallis ſub id tempus pago H... rum cum exercitu cæſus erat, Anno

Ab urbe cond.	*Ante natum Chriſtum,*	*Mundi,*
647	107	3857

3. *Tertia* fuit, cum Aurelius Scaurus à *Cimbris* captus, & *Bolo* rege Cimbrorum interfectus erat, Florus lib. 67. anno

Ab urbe cond.	*Ante natum Chriſtum,*	*Mundi,*
648	105	3858

Tunc autem COSS. erant C. Attilius Seranus, & Q. Servilius Cæpio. Verùm quarto ab hinc anno M. Junius Syllanus infeliciſſimè contra eosdem decertavit.

4. *Quarta* fuit, cum C. (alijs autem, inter quos eſt & Tacitus eſt M.) Manlius (falſo *Manilius* legitur) Q. Servilius Cæpio à Cimbris victi, & caſtris exuti fuerant, proximo ab hinc anno COSS. P. Rutilio Ruffo, C. Manlio Maximo. Ita Cimbri quinq; Conſules, atq; totidem conſulares exercitus Romanorum more vicerunt. Belli autem occaſio hæc fuit, quod Cimbris primis authoribus *Cimbricum*, à Teutonis *Teutonicum*, à ſocijs Tiguris *Tigurinũ* nominatur, cum

Cimbros

Cimbrorum terras Oceanus inundaſſet, novas ſedes toto orbe quærere coacti erãt, ſed ex Galliis & ex Hiſpania excluſi in Italiam ſeſe contulerunt, legatosque in caſtra Syllani, inde ad ſenatum miſerunt, petentẽs ut Martius populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium. Cæterũ ut vellet manibus atque armis ſuis uteretur. Verum iidem ſibi *Tigurinos* & *Turegos* adjunxerũt, & contra Romanos conſpirarunt, atque in conflictu Syllanum, Manliũ, & Cæpionem, & niſi Marius victorioſus Imperator ſubveniſſet Cimbri vel ipſam Romam viciſſent. Is enim Cimbros in Gallia Narbonenſi cis Rhodanũ juxta ãquas Sextias (hodie *Aix*) circiter 360000 interemit, & ſub id tempus junctis curris mulieres Germanorum diu Romanis reluctatæ ſunt, tantiſper dum novo mortis genere perterrefactæ, veniam petierant, qua denegata ſuos ipſorũ filios interfecerunt, & ſe gladio confoderunt. De hoc autem bello Florum, Plutarchũ in Mario, Appianum, Strabonem in 7. Valer. Maxi. 5. c. 8. lege. Erat autem exercitus diviſus, cujus una pars Germanorũ cum Tigurinis in Gallia Narbonenſi proſtrata eſt. quorum rex fuit *Teutobochus* ibidem interemptus. Altera pars in Italia cum *Beleo* rege peſſundata eſt.

Quinta fuit ſub Octaviano Auguſto, ejusque imperio, anno quinquageſimo altero 5.

Ab urbe condita,	*Poſt natum Chriſt.*	*Mundi,*
762	12	3973

Fuit autem in Germaniam ab Auguſto Quintilius Varus ablegatus atq; imperator deſignatus,

atq;

atq; tribus legionibus ultra (nobis citra) Rhenũ profectus Germanos à Druſo victos & domitos, novitate legum figendarum & refigendarũ plurimum urſit. Sed Germani libertatis ſemper cupidi, ducem belli *Arminiũ* (qui nobis eſt *Hardtman*) crearunt, ejusque opera & conſilio tres legiones interemerunt. Multorum quoque captivorum oculi effodiebantur, alijs manus, alijs pedes diſſecabantur, Varum diſſectum in fluvium conijciebant, urbes à Romanis conditas propter limitum tutelam diruebant, & cuncta ad Rhenum usq; munimenta demoliebantur. Auguſtus verò propter hanc cladem acceptam plurima triſticia affectus eſt, ejulans & clamans, *Quintili Vare legiones reducito*, ejusque clades μνημόσυνον annuum eſſe conſtituit, ſicut apud Suetonium legitur & Paterculum, Florum & Oroſium. Strabo quidem in 7. prælium factum apud *Cheruſcos* non longe ab *Albi* eſſe teſtatur, alii verò, inter quos ſunt Ottho Friſingenſis & Nauclerus, juxta *Auguſtam Vindelicorum* locũ prælij deſignant. Eſt & de hac re Udalrici Hutteni dialogus, qui Arminius inſcribitur admodum elegans.

6. *Sexta* fuit eodem tempore, quo *Cimbri* Italiam devaſtare cœperunt; eosdemq; Marius perculit, propterea Romani magis terrebantur, quàm ſecundo Punico bello Hannibalis adventu, ſicut Eutropius & Oroſius meminerunt.

7. *Septima* fuit ſub C. Julio Cæſare, qui primus ſingulare imperium affectavit, poſt Galliam devictam Germanos aggreſſus eſt, eosq; ex Gallia

juxta

juxta cum rege *Arioviſto* (quem antea *Ernveſtum*, vulgo *Erneſtum* nominavimus) repulit, ſicut ipſe libro primo Gallici belli conteſtatur, & tunc uxores flentes ſuos maritos orabant, ut forti & conſtanti animo pro libertate aſſerenda, contra Romanos conflictarentur. Quare Cæſar ira percitus, parum viriliter & mulieres & pueros interemit. Et ſub id tempus *Ubij* (quos intra *Confluentinos* & *Colonienſes* habitaſſe non eſt dubium) à *Suevis* Albis accolis plurimum diſſidebant, & illi fœdus feriebant cum Cæſare contra Suevos. Quapropter Cæſar jùxta *Ubios* Rhenum ponte jungebat, exercitumque per illum cis Rhenum ducebat, Germanorum prædia incendebat. *Suevi* copijs collectis infeſta ſic ſigna ferebant, ut eundem fugientem ſequerentur. Proinde re comperta Cæſar retroceſſit ultra Rhenum, pontemque extructum deſtrui curabat, ne quam cladem à perſequentibus Suevis acciperet, COSS. L. Piſone Cæſoniano, A. Gabinio, anno

Ab urbe condita,	*Ante natum Chriſt.*	*Mundi,*
695	49	3907

Octava fuit ſub Octaviano Auguſto. Druſus Nero Cæſaris Auguſti privignus, Tyberij Cæſaris frater imperator contra Germanos creatus primus domuit, ut inquit Florus, *Uſipetes*, inde *Tencateros* percurrit & *Cattos*, hoc eſt, quoſdam Rheni accolas inopinantes vicit, ſed mox per *Suevos* victor inſolens repulſus eſt. Nam viginti centurionibus crematis, hoc veluti ſacramento ſumpſerant bellum, adeò certa victoriæ ſpe, 8.

ut prædam in anteceſſum pactione diviſerint. *Cheruſci* equos, *Suevi* aurum & argentū, *Sicambri* captivos eligerent, & jam de Romanorū copijs actum fuiſſet, niſi ſuperbientes & ſecuri fuiſſent. Siquidem exercitu collecto, Druſus inopinantes adortus eſt, plurimosq; proſtravit, ſed non ſine magna ſuorum clade. Nam & mulieres juxta cum liberis graviſſimè contra illos decertarunt, & cum eam Germaniæ partem, quæ eſt in ripa Rheni Gallica, in provinciam redegerat, utpote à *Moſella* usq; ad *Rauracos*, ubi hodie eſt inclytæ *Baſilea*, circa cujus tractum ſexaginta arces tanquam munimenta & præſidia contra Germanorum incurſiones extruxerat, *Germanicus* ſcilicet à devicta Germania ſalutabatur. Qua de re Florū in 4. c. 12. conſulito. Mortuus autem eſt vulneris à Germanis accepti dolore. atq; hunc Oceanum tentaſſe ad Herculis exemplum Tacitus antea ſcriptum reliquit. Invaſit autem *Cattos* anno Chriſti 17. De cujus rebus geſtis, ſi quis ſcire expetit, ex primo & ſecundo annalium libris petat neceſſe eſt, quarum & Suetonius meminit. Fuit & alter *Germanicus* Druſi Germanici filius contra *Arminiū*, qui Cheruſcorum dux circiter nonum annum nati Chriſti floruit, ad abolendam infamiam propter Varianam cladem pugnare ſtuduit, atque idem triumphavit, circiter viceſimum nati Chriſti annum, de quo Strabo in 7. conſulendus eſt, & in 2. annalium Tacitus. Rectiùs tamen quis fecerit, ſi hoc loci Germanicum cum Druſo Nerone conjunxerit, id quod & Tacitum velle arbitror.

bitror. Vicit autem ad *Viſurgim Cheruſcos*, & Stertinio *Angrivarij* ſeſe dediderunt. C. Silius *Cattos* & *Marſos* fudit, anno

Ab urbe condita, Poſt natum Chriſtum, Mundi,
763 17 3979

Nona fuit ſub Caligula imperatore, cujus fuit in Germanos expeditio, ſed nihil egregij egit etiam minaciſſimus, ut apud Suetoniũ, Eutropium, Tacitum & in annalibus, & in vita Agricolæ, Paterculũ, alioſq; complures legitur, Anno 9.

Ab urbe condita, Poſt natum Chriſt. Mundi,
792 41 4002

Porro ad ſua tempora Tacitus reſpicit, videlicet poſt Caligula fuiſſe ocium & pacem cum Germanis tantiſper, dũ occaſione captata propter diſſidia bellorum inteſtinorum & civilium, vel in Gallias Germani ſeſe contulerant. Quare colligit magis triumphatos, hoc eſt, de illis multos triumphum egiſſe, quàm victos, cui & Florus aſtipulatur. *Difficilius*, inquit, *eſt provincias obtinere, quàm facere: viribus parantur, jure retinentur.* Igitur breve gaudium id fuit. Quippe Germani victi magis quàm domiti erãt, moreſq; noſtros magis, quàm arma ſub imperatore Druſo ſuſcipiebant. Proinde *Germanici* ſalutabantur, non tantũ Druſus, ſed & Domitianus, Nerva: & Tiberius filium ſuum *Germanicũ* vocari juſſit, non propter victoriam, cum nunquã tota Germania devicta ſit, ſed propter robur, animi magnitudinem, fidem & conſtantiã Germanorum expetendam, alijſque proponendam ſic nominabantur. Ad hunc modum quis ad-

ferret bella aliorum imperatorum; tam Romanorum quàm exterorũ, contra Germanos ſuſcepta, veluti in tabula enumeraret. Nonne Tiberius triennium & quindecim legionibus contra Germanos pugnavit, ſed ſæpe ita infeliciter, ut tandem ſeſe propter *Suevorum* impetum in fugam cõjecerat? Nonne T. Veſpaſianus poſt quadraginta prælia facta exercitu penè fuſo domũ miſer redierat? Nonne Trajanus Germanos pacatos habuit, non armis, non prælijs, ſed manſuetudine, comitate & affabilitate, atq; haud levi indulgentia? Afferro & exteros reges, quid nam quæſo Alexandro Magno majus fuit in Aſia & Aphrica, atq; bona Europæ parte, ſed quando *Germanos* ſollicitavit & tentavit, ſuamq; ſecundiorem fortunam experiri voluit? Sic Darius & Cyrus Perſarum monarchæ ad *Tanain* usque pervenerunt (qui olim Germaniæ veteris orientalis limes fuit) nunquã Germanos petierunt. Sic Lyſimachus apud *Danubium* victus & à Germanis & à *Rochemero* Germanorũ rege captus eſt. Iterum redito ad Romanos imperatores M. Antonium: verùm in extremos paupertatis limites redactum propter bellum Germanicum fuiſſe cognoſces. Hujus loci ſunt ut Maximinus ſub Alexandro Severo propter infelicitatem belli in Germanos illati in ordinem redactus ſit, ut Decius Germanos in Thraciã depopulantes aggreſſus perierat, ut ſub Valeriano ex Italia 30000 Germani ingentem prædam abduxerant, ut Æmilianum prope *Moguntiacum* vicerant, ſic pergito à Probo, Conſtantino, Juliano,

liano, Valente, usque ad noſtra tempora, rhythmum Germanicum vetuſtum à vero non ita alienum eſſe videbis, qui eſt,

Welcher im Krieg will vnglück han
Der ſah es mit den Teutſchen an.
Mit den Teutſchen mach du Freundſchafft/
Vnd fleuch darbey jhr Nachbarſchafft.
Teutſchen ſind Beeren mit vernunfft,
Drumb frew ſich keiner jhrer zukunfft.

Quid multis? Neq; hodie victi ſunt, & ſi quis rerum potitur in quibusdam Germaniæ partibus id non propriè fit, ſed ipſorum Germanorum, quorum auxilia expetuntur virtute, & arte, in tanto diſſidio, ubi ſubjugandæ Germaniæ occaſio quæritur & captatur. Vincuntur quidē Germani, ſed non niſi per Germanos.

Nunc de Suevis dicendum eſt, quorum non una ut Cattorum Tencterorúmve gens, majorē enim Germaniæ partem obtinent, propriys adhuc nationibusq; diſcreti, quanquam in commune Suevi vocentur. Inſigne gentis, obliquare crinem, nodoq; ſubſtringere. Sic Suevi à cæteris Germanis, ſic Suevorum ingenui à ſervis ſeparantur, Sic in alys gentibus ſeu cognatione aliqua Suevorum, ſeu (quod ſæpe accidit) imitatione, rarum & intra juventæ ſpacium, apud Suevos usq; ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo vertice religant, principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ, ſed innoxiæ. Neq; enim ut ament amenturve, in altitudinem quandam & terrorem adituri bella compti, ut hoſtium oculis ornantur,

XVI.

DE SUEVIS.

SUpra *Suevum* fuiſſe Germanorum regem obſervavimus, à quo & *Suevis* nomen inditum eſt. *Suevia* autem duplex eſt, *Vetus* & *Nova*.

Vetus quidem à Tacito deſcripta, quorum alij ſunt aquilonares, ut *Semnones*, *Langobardi*, *Reudingi*, *Aviones*, *Angli*, *Varini*, *Eudoſes*, *Suardones*, *Nuithones*. Alij auſtrales, ut *Hermunduri*, *Nariſci*, *Marcomanni* & *Quadi*. Alii ſunt orientales in Pannoniam & Sarmatiam porrecti, ut *Ligij*, *Arij*, *Helvecones*, *Manimi*, *Elyſij*, *Naharvali*, alij ſunt penè aut in ipſo Oceano, aut ejus littore, ut *Gothones*, *Rugij*, *Lemovij*, *Suiones*, *AEſtij*, & *Sitones*, Ex quibus univerſis liquet, quanta veteris Sueviæ amplitudo olim fuerat, ex quibus more Taciti & Plinij, quis alios *Herminones*, alios *Ingævones*, alios *Iſtævones*, more ſupra dicto, faceret, atque de his Suevis ſunt veterum authorum ſententiæ, ut Cæſaris, *Suevorum gens eſt longè maxima*: ut Strabonis, *Suevi ſunt populoſiſſimi*: ut Oroſij, qui maximam gentem fecit, atque eorum quinquaginta gentes fuiſſe memoriæ prodidit. Breviter totam *Saxoniam*, & veterem & novam *Suevia* olim complectabatur.

Nova verò eſt, hodie ſic appellata, ubi antea *Vindelici*, & nonnulli *Rhetii* habitarunt. Verùm ut ſedes eorũ permutata ſit, vix dum certæ conjecturæ (quod equidẽ ſciam) reliquæ ſunt.

Verùm

Verùm à prioribus mare dictum eſſe *Suevicum* & vetuſtiora *bella Suevica* nominari, vix quiſpiam tam bardus & ſtupidus eſt, ut in dubium vocaret. Ita ab iiſdem Saxoniæ principes & dynaſtæ, ſicut ſpeculum Saxonicum conteſtatur, nobilitatem ſuam acceperunt, eosq; intelligit, qui Saxoniam & Albim tenebant, non qui aut Lycum, aut Danubiũ, aut Nicrum, etiamſi iiſdem *Alemanniæ* olim vocabulum tributũ fuerat. *Suevi* autem ab alijs Germanis, & gentium tam numero, quam certis appellationibus & inſigni ornatu differunt. Siquidẽ calamiſtro intorquent & in vertice ferè nodo comam colligant, qui tanti ſit, ut per hunc perſonarum diſcrimina ſtatuantur. Sic enim ſervi ab ingenuis ſeparantur, ut vel cani religentur in ipſo vertice. Reliqui verò Germani, dum Suevicũ ornatum imitantur, eum tantum ſpacio juventutis retinent. Cultus tamen Principum propter & honorem & dignitatem multo excultior eſt. Ita formæ & pulchritudini ſtuduerunt, non ut eſſent fœminarum, quæ venuſtæ eſſe ſtudent, more comptæ (ſiquidem amorem nauci faciunt) ſed eodẽ ornatu bella, vel in hoſtium conſpectu in altitudinem dignitatis & excellentiæ victorioſæ, ut arbitror, & in terrorem hoſtium, adeunt.

Vetuſtiſſimos ſe nobiliſſimosq́; Suevorũ Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in ſylvam augurijs patrum & priſca formidine ſacram, omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoq́; publice hominc celebrant, barbari ritus horrenda primordia.

 Eſt &

Eſt & alia luco reverentia. Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, & poteſtatem numinis præ ſe ferens, ſi fortè prolapſus eſt, attolli & inſurgere haud licitum, per humum evolvuntur, eoq́; omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquā inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus cætera ſubjecta atque parentia. Adijcit autoritatē fortuna Semnonum, centum pagis habitatur, magnoq́; corpore efficitur, ut ſe Suevorum caput credant.

XVII.

DE SUEVIS SEMNOnibus.

NUnc diſtributione κατὰ μερισμὸν Suevorum nationes ordine enumerat, inter quos primi ſunt *Semnones*, quorum ſitus ſic à Ptolom. ſtatuitur, καὶ τὸ τῶν συήβων τῶν σεμνόνων, οἵτινες διήκουσι μετὰ τὸν ἄλβιν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου μέρους πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τοῦ συήβου ποταμοῦ. id eſt, *Poſt Anglos Suevos ad ſeptentrionem, usq́; ad medium Albis fluvij protenſos Suevi Semnones, poſt Albin à prædicta parte ad ortum, usq́; ad Suevum fluvium habitant.* Siquidem ſicut in orientali Albis ripa Suevi *Semnones*, ita in occidentali *Angrivarij* & *Longobardini.* Eos autem Tacitus primum ab antiquitate collaudat, idque antiquitate religionis confirmat. Nam hac adducti ſtato tempore lucum ingreſſi hominē publicè mactant, & quod ſacrificij genus, non niſi valdè antiquū eſſet. Mirum eſt, ut Sathan hominū mentes excæcaverat, ut non aliter atq; hominis mactatione placaretur,

tur, quod & multis nationibus non utique barbaris, ſed & Græcis fuit uſitatum. Sicut Agamemnon ſuam ipſius filiam Iphigeniã, ut Dianæ iram in iſta navigatione placaret, ad arã mactavit, ut eſt apud Euripidem Iphigenia Comœdia, apud Lucretium Iphionaſſa dicta Fuit & hæc conſuetudo olim Syris, Arabibus, Ægyptiis & vix ante ſexaginta annos in Indiæ inſulis tales idolatræ per Luſitanorum navigationem inventi ſunt. Eſt quidem hæc ceremonia admodũ horrenda. Fuit & Suevis altera ceremoniæ forma, quam lucum ingredientes obſervabant. Nam vincti ibant: ſiquidem vinculum humilitatis & obſervantiæ, atq; religionis ſymbolum quoddam erat, atque ſi vinctus prolapſus erat, non erigebatur, non ſublevabatur, ſed per humum volvebatur. Id autem eo conſilio factum eſt, ut hac ſuperſtitione eſſet quædam ibidem ejusdem gentis, primam originẽ eſſe Deum opt. max. ſignificatio. Itaq; cætera volebant ita ſubjecta eſſe, ut parére diſcerent, & ſcirent. Quare iſtis rationibus & antiquiſſimi, & propter antiquitatem & dominium ex ipſa origine prima nobiliſſimi judicabantur. Laudantur & à fortuna ſecundiſſima atque potẽtia.] Nam illis fuerunt *centum pagi*, id eſt, diœceſes, Germanis à *γία Geu* & à pago (nam Græcis eſt πηγὴ ſed *δωρικῶς παγὰ*) ein pauw nominatur. Eſt enim *pagus* veluti ditiuncula, binum aut ternum millium virorum, & alibi 20000. homines pagus complectebatur. Ita apud Cæſarem & horum Suevorum totidem *pagi* ſunt, ſicut aliquot *Morinis*

conceſſit. Itaque totum corpus efficitur propter tot pagos, & tam numeroſum populum, ut ſe & caput & metropolim aliorum Suevorum eſſe ſibi perſuaſerant. Eo autem loco eſt Epiſcopatus *Havelſpergenſis*, *Prignitium*, quod ſex urbibus hodie conſtat, & quam regiunculam *Havellæ* (vulgo das Havellandt) nuncupant, ubi & *Ratenonum*, *Brandenpurgum* & quædam oppida viſuntur juxta cum comitatu *Rappinenſi*.

Contra Longobardis paucitas, nobilitasque quod plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed præliis & periclitando tuti ſunt.

XVIII.

DE SUEVIS LANGObardis.

PTolomæus hic nonnihil variat. Nam Langobardos Rheni accolas facit, de quibus idem ſic, κατέχουσι, inquit, τῆς γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν ῥῆνον ποταμὸν. ἀρχομένοις ἀπ' ἄρκτου οἵ τε βουσάκτεροι οἱ μικροὶ καὶ οἱ σούγαμβροι, ὑφ' οὓς οἱ σύηβοι λαγγοβάρδοι, εἶτα τίγγεροι. Quod eſt, *Obtinet Germaniam quæ circa Rhenum fluvium ſunt, incipientibus à ſeptentrione, Buſactori parvi* (Sunt enim & magni non ita à Viſurgi diſſiti) & *Sycambri*. *Sub quibus* (Is enim à borea ad auſtrum rationem ordinis fere ſubducit) *ſunt Suevi Langobardi. Deinde Tingeri*. Eos verò facilè quis cum *Brabantis* qui *Gelrenſibus* vicini ſunt, conferret, eosdemque eſſe & certis rationibus pronunciaret. Itaque

que eos propter longius à Suevis Semnonibus intervallum hoc loci non accipiemus, cum Ptolomæus eosdem *Suevos* eſſe voluerat, & vix ab ullo defendi poteſt. Nam Suevorum tractus & eorundem pagi eo usq; nunquam pertinuerant. Deinde apud eundem ſunt λαγγοβάρδοι quos absque controverſia Tacitus intelligit, cum ſint valentiſſimis nationibus, ut *Chaucis*, *Cheruſcis* & *Cattis* cincti, cum & ordo atque gentium enumeratarum conſecutio hic inſtituta idipſum urgeat. Poſtea idem *Langobardi* tuti ſunt, non quod ſubditi eſſent, ſed quod in cunctis periculis vicinorum ſocii & auxilia fuerant. Verba autem Ptolomaica hæc ſunt καύχων δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν σουήβων, ἀγγρειουάριοι, εἶτα λακκοβάρδοι ὑφ' οὓς δουλγούμνιοι. quod eſt, *Cauchorum autem majorum & Suevorum ſunt Angrivarii. Deinde Laccobardi, ſub quibus Dulgumnii.* Quare *Langobardi* Ptolomaici Rheni ſunt accolæ, & *Laccobardi* ipſius Albis, ubi eſt hodie Epiſcopatus tam *Magdeburgenſis* quàm *Halberſtadienſis.* Sunt & apud eundem λογγιβάρδοι, ſicut Græca conſtanter habent exemplaria, his verbis, τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν, μέγιστα μὲν ἐστὶ τό τε τῶν ἀγγειλῶν, οἳ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν λογγιβάρδων ἀνατείνοντες πρὸς τοὺς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τοῦ ἄλβιος ποταμοῦ, hoc eſt, *Hardmiones mediamque terram interiorem incolentes Suevi ſunt Angli, qui magis orientales ſunt quam Longobardi, dum illi ad Septentriones usque ad medium Albis fluvii extenduntur.* Hic revera *Longibardi* ſunt, quos ante Langobardos Rheni accolas fecit, atque ſic

cuncta

cuncta probè reſpondere comperies. Itaq; vocabulum ſubinde permutatũ eſſe agnoſcimus, cum plane ſit Germanicum, nimirum à promiſſa barba, quam fovebant, juxta Germanorum dialecton iidem dicti ſunt. Hi autem Langobardi Saxones duce *Alboino* Italiam intrarunt, dum Pannoniam Hunnis Attilæ reliquiis, à quibus *Pannoniæ* nomen in *Hungariam* mutatum eſt, reliquerant, Vincentiam, Veronam, Mediolanum, breviter. Inſubres per deditionem acceperunt. Idque factum eſſe Paulus Æmilius lib. 1. à nato Chriſto 568. anno aſſerit, ſed Blondo 8. lib. decadis 1. annus eſt à ſalute noſtra reſtituta per natum Chriſtum 579. Habuit autem Langobardorum rex *Alboinus* in copiis ſuis *Suevos* (absq; dubio vicinos intelligit *Semnonas* bellicoſiſſimos) & *Saxonas* circiter vicies mille, quibus admiſcebantur & uxores & liberi: in primo congreſſu Venetiam exuperavit, mox & Inſubres, qui poſtea à victoribus & poſſeſſoribus *Langobardi* appellati ſunt, atq; etiamnum idem nomen retinent, vulgo & corruptè dicti *Lombardi*, de quorum rebus geſtis multa lectione digna Paulus Diaconus adnotavit, *Alboinus* autem dum Veronæ licentius habitabat, & voluptuabitur, *Roſimundam* uxorem ſuam, ut ex craneo patris ſui interfecti *Chunimundi* aureis fulcris ornato biberet, coegit: hæc irata poſtea fidem matrimonii ſolvit, adulterum *Peredeum* adamavit, adeò ut ejuſdem opera Alboinum maritum & regẽ vel dormientem interemerat, circiter annum Chriſti 574. & ad Longinum

Langbarter.

ducem

ducem Romanorum, qui Ravennæ degerat, cum adultero Peredeo, qui aliis eſt *Helmelchildis* confugierunt, cujus ſuaſu (nam regnũ Langobardorum ambibat) Roſimunda Helmelchidi veneno poſt balneum mortem parabat. Hic verò inſidias intelligens, accepto potu & reginam; ut reliquias ebiberet compulit, ita ambo uno die ultimum traxere ſpiritum. Longiſus Alboini theſaurum cum filia *Almeſuinda* ad Tiberium imperatorem Romanorum 57. Conſtantinopolim miſit, qui ſicut feliciſſimus in prælio Perſico, ita in Langobardico infeliciſſimus fuit. In locum autem patris Alboini *Clophis* ſucceſſit, anno poſt natum Chriſtum 579. & primo imperii Tiberii Conſtantini: is multas urbes Italiæ cœpit, Galliam penè Cisalpinam, ut Latini tradunt ſcriptores, occupavit, ſed in Romæ obſidione à ſuis interfectus eſt, juxta Æmilium & Blondum; ubi triginta interreges ad tempus aliquod creati ſunt, quos variis rationibus Clotarius Gallorum rex ſollicitavit, ſed nõnihil ſpe ſua fruſtratus eſt, & ſurrogatus eſt in patris Cleophis mortui locum Antharius filius, qui nominatur & Flavius, poſt natum Chriſtũ 591. Ne multa, ab Alboino usq; ad Deſiderium ultimum regem circa Caroli magni tempora, tercentum annos has regiones retinuerunt, in quibus & 23. reges ſucceſſerant.

Reudigni deinde & Aviones, & Angli, & Varini, & Eudoſes & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut ſylvis muniuntur, nec quicquam notabile in ſingulis, niſi quod in cõmune Hertum, id eſt,

eſt, terram matrem colunt. eamq́, intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus. dicatum in eo vehiculum veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamq́ bubus fœminis multa cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies. feſta loca, quæ adventu hoſpitioq́ dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt. clauſum omne ferrum, pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium deam templo reddat, mox vehiculum & veſtes, & ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Servi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaq́ ignorantia, quid ſit illud quod tantum perituri vident. Et hæc quidem pars Suevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur.

XIX.

DE REUDIGNIS, AVIONIBUS, Anglis, Varinis, Eudoſibus, Suardonibus, & Nuithonibus.

HIc opus & labor eſt, ut veteribus Germanis certus deſignaretur locus, tum quod nulla ſit vocum alluſio, tum quòd nulla pictura tabularum geographicarum ſitum aliquem commonſtret, tum quod apud nullum authorē poſt Tacitum eorundem fiat mentio, qua per conjecturas quaſdam recentiorum nationum cum veteribus collatio fieret, ut tandē aliquando

do illarum appellationem unus aliquis uſus eſſet. Quare factum eſt,ut tanta bonorum authorum hoc loci ſit diſſenſio. *Aviones* in *Evonios* inſulares abierunt, etiam ordine non obſervato cum Suevorum aquilonarium ortum verſus ſit enumeratio. Itaque nunquam *Reudigni* in Bojaria eſſent *Vendigni*, nunquam *Nuithones* in Aventicenſem tractum reponerentur, nunquam *Suardones* in Miſeniam ſtatuerentur. Neque deſunt, qui conjecturis quibusdam forſan ex ordine, quem Tacitus inſtituit, adducti, proximos Suevis Semnonibus & Langobardis ad ſeptentrionem *Megalopyrgenſes* illarum nationum appellatione compræhendi voluerant. Quare iisdem ſunt Reudignorum tractus, Megalopyrgenſium ducatus eſt, ubi olim *Pharodyni Obotritæ, Heruli & Heneti*, qui ſunt & Vandali (ſicut etiamnum eorundem duces *Herulorum & Vandalorum domini* ſalutantur) habitarunt, ſupra quos *Teutones*, id eſt, comites *Rappinenſes* degunt, iisdem & *Suardones* propter exiguam alluſionis formam ſunt *Suerinenſes*. Verè huc Strabonis ſententia afferretur, qua emigrationes aſſiduas ſeptentrionalium Germanorum fuiſſe teſtatur, propter belli ſtudium, propter victus tenuitatem, cum neque agriculturam exerceant, neque negociantur, ſed bona victus pars eſt ex pecoribus, κοινὸν inquit, δ' ἐστὶν ἅπασι τοῖς ταύτῃ (Septentrionalem partem intelligit) τὸ περὶ τὰς μεταναστάσεις εὐμαρὲς, διὰ τὴν λιτότητα τοῦ βίου· καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν, μηδὲ θησαυρίζειν, τροφὴ δὲ ἀπὸ τῶν θρεμμάτων ἡ πλείστη. Verùm cum in plærisque

aliis

alıis vocibus Germanicis. Latini & Græci ſuas flexiones ἐγκλίσεις dictas ſervarunt, quæ & in cauſa ſubinde ſint, cur non ubique eædem appellationes retineantur, ſicut in *Carithnis* & aliis Rheni accolis apud utriusque literaturæ authores non parva diverſitas dignoſcitur, ita hoc loci & ſi quis ex *Rudignis* Ptolomaicis ῥυπκλέιυς, ubi hodie *Caſſubi* Dantiſcanis vicini, ex Avionibus ἀλευώνας, ubi ſunt *Poloni* & Boruſſi nonnulli, maximè qua parte *Conicium* ſtrage Polonorum & Boruſſorum oppidum celebre ſitum eſt, ſic ex *Varinis* aut οὐιρέινς ubi nunc ſunt Marchiæ novæ incolæ, quibus *Sidenorum* regio Septentrionem verſus (vulgo das Stettiner Land) vicina eſt, aut occaſum verſus *Pharodynes*, id eſt *Megalopyrgenſes*, aut ortum verſus *Varinos*, quos & interdum *Varinios* nuncupant, non ita longè ab oſtio Viſtulæ diſſitos, ubi Dominica eſt Ecclesia *Vvarmia* dicta (vulgo die Frawenſtat) à qua totus Epiſcopatus *Heylſpergenſis* (ſub cujus diœceſi & mea patria eſt *Reſellium*) nomen habet, qui eſt ferè *Vvarmienſis*, cum eſſet aut *Varinenſis* aut *Varmienſis*. Verùm has conjecturas neque ipſe, cum non ſint adeo ςοχάσικαι, tanti facio, ut doctorum virorum judicio & juſto conſenſui anteponerem. *Suevos* autem *Anglos* Ptolomæus inter Amaſin & Viſurgin fluvios conſtituit, quorum latus occidentale *Sicambri*, meridionale *Caſuarii*, boreale *Chemæ*, & orientale *Dulgumnii* & *Camani* claudunt, ſed apud Tacitum quis non boreales atque adeo *Ingævones* ex ordinis conſecutione in enumeratione

Suevo-

Suevorum videret? Conſtituendi autem *Angli Suevi* & mediterranei, quos Ptolomæus habet & maritimi inter *Vitas* id eſt, *Iutos*, vel hodie *Iutlandos* & Saxonas veteres habitarunt, ſicut apud Bedam Angloſaxonem legitur, & hi ſunt à Britannis evocati, ut *Scotos* atque *Pictos* ejicerent. Sed Angli duce *Vortergerno* totam Britanniam olim *Albionem* dictam ſibi vendidicarunt, cujus primus rex fuit Eggebertus à nato Chriſto 97. *Caledoniam* quoque à Germanis ortam eſſe & ipſe Tacitus profitetur poſtea in *Scotiæ* nomen abiit. Cæterum ut primum illi *Angliæ* nomen inditum erat, ut antea in ſeptem regna diviſa erat, ut à Dacis accepta, & tributaria facta erat, ut à Francis & à Scotis vaſtata erat ut Pontifex eos in ſuam fidem receperat, ut à Scotia per vallum diviſa erat, ut libertas iisdem conceſſa erat, ut Chriſto tota inſula lucrifacta erat, ut lingua Anglica ſit Saxonica, ſed corrupta, ſicut & bona ex parte Scotica eſt, aliaq; id genus quam plurima in hiſtoria Anglorum fuſius explicatur. Quid multis? Ita facilè ea conjectura adducti *Endoſas, Suedonas* & *Nuithonas* intra Suevi juxta veterum ſententiam, & Viſtulæ in Gedani viciniam oſtia in parte ſeptentrionali ad Oceanum collocarent, cum his inſulam Oceani Tacitus proximam ordinat, cum idem hanc partem Suevorum in ſecretiora Germaniæ, hoc eſt, ad *Ingævones* porrigi pronunciet, ſed quisnam quæſo iisdem certa deſignaret loca in tanta locorum & commigrationum confuſione? Vidésne intra *Viadrum* & *Viſtulam* jam

non Germanos ſed *Vandalos*, *Polonos* ferè nominatos cohabitare, & quantum veteri Germaniæ occaſum verſus acceſſit, tantum ab ortu per Vandalorum incurſiones & irruptiones deceſſit. Collaudat tamen has nationes, tum à munitione, præſertim naturali, quæ hic per fluvia & ſaltus ſignificatur, tum à religione. Siquidem his Suevis aquilonaribus communis eſt dea *Terra ipſa*, quam Erde Germani appellant, & poſtea Latinorum inclinatione *Hertum* factum eſt. Terram tanquam cuſtodem negociorum humanorum aſpectricem fecerunt, ſicut de ſuis diis & ſenſerunt & judicarunt. Quare dū aut juſticiæ aut virtutis alicujus ad ſtudiū Poetæ exhortantur, deos cunctarum hominis actionum inſpectores atque obſervatores conſtituunt. Eodem modo Heſiodus magiſtratum commonefacit, quo Salomon in proverbiis, ut omnes homines ſint tam in adminiſtratione, quàm in negociatione juſti. Nam Statera bilanx judicium DOMINI ſunt, omnia pondera ejus ſunt. Ita & Heſiodus deos in cœtu hominum oberrare, verſari, & opera hominum animadvertere, ne qua porro licentia peccandi impunè concederetur. Sunt autem ejus verſus,

ὦ βασιλῆς ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
τὴν δε δίκην, ἐγγύς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες
ἀθάνατοι λεύσσουσιν, ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσιν
ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
τρὶς γὰρ μύριοι εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων

οἱ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα
ἠέρα ἑσσάμενοι, πάντη φοιτῶντες ἐπ' αἶαν.

quod eſt,

O vos qui regitis terras, advertite mentem,
Huc ad juſtitiā, quoniam ſuperi prope nos ſunt
Dii, qui cuncta vident, & eos qui per mala jura
Defraudant alios, ſpreta ratione deorum
Ter numerū exuperant cœleſtia numina, terrā
Quæ nobiſcum habitāt, in tutelā data noſtrûm
Illaq; quid juſte obſervant, quid fiat iniquè.
Aere tecta, omniem pedibus peragrantia terram.

Ita Suevi *Hertum* quippe terram deam omnium actionum humanarum præſentem inſpectricem eſſe arbitrantur, ut hoc modo ad honeſtæ, & piæ vitæ ſtudium incitarentur. Ejusque cultum ſubdit & cæremonias. Nam ut alii dii curru vehuntur, ita terræ ſuum eſt vehiculum arquatum & veſte contectum, quod nemini attingere alii licuit, atque ſacerdoti. Mirum eſt cur ejus ſimulachrum neglexerat. Siquidem ſupra *Iſidis* erat in modum Liburnæ, & *Jupiter* Labradæus cum ſecuri pingebatur, *Apollo* verticoſus in pyramidem exurgit, Paphiæ *Veneris* imago initium ſeu baſin informem & latiorem habuit, mete in modum faſtigiatum. Hercules, quoque apud Celtas cognomento ὄγμιος, imagine decrepiti ſenis, capite incompto, pelle rugoſa, dextra clavam tenens, ſiniſtra protentum arcum, multos mortales catenis vinctos ducens. Ita *terra* ſimulacrum cum clavi fingebatur, ſed hoc loci nullum eſt. Et ſicut currum Veneris *columba*, *Erda dea & eius currus.*

Bacchi *tigrides*, ita terræ *boves fœminæ* ſatis pro decoro trahunt. Colebatur autem in luco, quẽ *Caſtum*, forſan ob deæ reverentiã, nominarunt in Oceani absq; dubio Baltico inſula, cujus nomen & Tacito incertum eſt. Feriæ quoque eidem dicatæ ſunt, quarum obſervantia nihil rerum agebatur, cuncta erant tranquilla, non aliter ac Romæ, cum Jani templum clauſum erat. Poſtea conſuetudine hominum ſacerdos interiore quodam lacu, & deam & vehiculum cum veſtitu abluebat, ſed lacus miniſtros de more ſtatim in ipſo lavacro hauſit, quod prorſus Sathanicum eſt in tantis tenebris mentis, quæ puritate & doctrinæ & religionis non perpoliebatur. Lacus igitur haurientis cauſas ignorant, utique venerantur, ἀδωλομανές. Tantus eſt Sathanæ furor in humanum genus, & tanta hominum naturæ tum depravatio, tum cæcitas.

Propior (ut quo modo paulò ante Rhenum, ſi nunc Danubium ſequar) Hermundurorum civitas, fida Romanis, eoq; ſolis Germanorum non in ripa comerciũ, ſed in penitus atq; in ſplendidiſſima Rhetiæ provinciæ colonia paſſim ſine cuſtode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo caſtraq; noſtra oſtendamus, his domos villasq; patefacimus nõ concupiſcentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen inclytum & notum olim, nunc tantum auditur.

XX.

DE HERMUNDURIS.

HActenus limitis & occidentalis quippe Rhe-

Rheni & ſeptentrionalis Oceani accolas recenſuit. Nunc & auſtrales à Danubio ceu meta meridionali initiũ faciens enumerare pergit, quorum primi ſunt *Hermunduri*, qui prope *Albim* cohabitant *Danubium* verſus. Itaque juxta Tacitum in Hermundurorũ tractu *Albis* oritur, & juxta Paterculum Suevorum Semnonum (quos Marchicos *Brandenburgenſes* fecimus intra *Albin* & *Suevum* incolentes) & Hermundurorum fines Albis præterlabitur. Sunt igitur *Hermunduri* partim *Bojëhemi*, in quorum tractu non ita longe à Bardevico eius fons eſt, partim *Miſeni* ad Suevorum Semnonum usque fines pertinentes, à *Miſena* eius civitatis capite & ſede Marchionum dicti. Quapropter adhuc apud veterum Saxonum ſcriptores iſtiusmodi nõ *Miſeni*, ſed *Suevi* principes nominantur, tam quod *Suevi* ſunt juxta Taciti authoritatem, quàm quòd Hermunduris Suevis imperarint, atque hi ſunt qui tum Cattis propter *Salam* fluvium gignendo ſali aptum, & ubi ſunt etiamnũ Hermundurorum ἅλαι ſplendidiſſimæ viſuntur magno prælio decertarunt. *Catti* autem ſunt partim *Vveſtfali*, partim *Heſſi*, & quodammodo *Tyringi*, quos utilitatis magnitudine invitatos eſſe & progreſſos, ut ſalinas occuparent, credibile eſt. Siquidem & Strabonis ſententia *Hermunduri ad Albin* incoluiſſe conſtat. Conjectura autem eſt forſan Myſos veteres in bello Gotthico apud Pannonas eò perveniſſe, & juxta cum illis *Tyrigetæ*, à quibus, ſi quid iſtiusmodi conjecturæ tribuitur, *Turingorum* Myſis

 vicino-

vicinorum appellatio nata eſt, ubi eſt Semana ſylva, hodie *Turingiaca*. Laudantur autem à juſtitia & ſocietate Romani nominis. Itaq; non armis, non bellis agitabantur ut alii Germani, ſed iisdem per Rhætiam ſub id tempus Romanorum provinciam negociari liberum fuit. His enim non petentibus januæ patefiebant. Tanta erat ſocietatis cum Romanis fides.

Juxta Hermunduros Nariſci, ac deinde Marcomanni & Quadi agunt. Præcipua Marcomannorum gloria viresq;, atq; ipſa etiam ſedes pulſis olim Boiis virtute parta. Nec Nariſci Quadive degenerant. Eaq; Germaniæ velut frons eſt, quatenus Danubio pergitur. Marcomannis Quadisve usq; ad noſtram memoriam reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus, jam & externos patiuntur. Sed vis & potentia regibus ex autoritate Romana, rarò armis noſtris, ſæpius pecunia juvantur.

XXI.

DE NARISCIS, MARCOMANNIS & Quadis.

HIc iterum Ptolomæus nomen *Nariſcorum* permutavit. Habet enim *Variſcos* & facillimum lapſum inter N & V literas apud Latinos (quorum ſonum & ἴγκλιν illum ſecutum eſſe credo) nemo eſt qui non videt. Verba autem illius hæc ſunt ὑπὲρ τὰ σούδητα ὄρη τευριοχαῖμαι (forſan hic legendum eſt τυριοχαῖμαι ut *Tyringorum* appellationi curioſo indagatori conveniret) ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη οὐαριςαὶ, quod eſt, *ſupra Sudetos*

tos montes, id eſt, Bojehemicos (videlicet ad Boream) *ſunt, Teuriochæmi, ſed ſub montibus*) auſtrum verſus Suditorum ratione) *Variſti*. Quapropter *Teuriochæmi* Salæ fluvio vicini eſſe videntur, & *Nariſci*, *Voidtlandi* usque ad *Pabebergam*, *Noribergam*, *Ambergam*, *Calmutium* citra *Ratiſponam* & *Paſſavium*. Eſt autem *Voidtlanda* à præfectura dicta. Nam tam Græcis quàm Germanis βοιδὸς *Voidt* eſt, nimirum præfectus, & *landt* regio, ita ut ſit præſidis vel præfecti regio. *Marcomannorum* autem vox omnino eſt Germanica, de quorum ſitu ſic Ptolo. ὑπὸ τὴν γαβρῆταν ὕλην μαρκομανοί, quod eſt ſub Gabreta ſylva Marcomanni. *Gabreta* autem ſylva Boihemicorum montanorum ad auſtrũ partem complectitur, circa quã habitarunt olim *Marcomanni*, id eſt, *Moravi*, qui per Olmuntium, Brunnam usque ad *Poſonium* id eſt hodie *Presburgum* in ripa Danubii ſitum oppidum apud Pannonas ſuperiores pertinent, quorum magna gloria fuit, & multa prælia ab iisdem contra Romanos facta ſint, Antoninorum præſertim tempore, quib. rex *Marobodus* fuit. Id tamen certũ eſt in tota, quæ nunc ſic dicitur, plures fuiſſe incolas, ſed per partes montiũ ad mundi cardines fere diſtinctos. Itaq; cum Marcomãni tales ad eosdem habitent, nimirum ad eorum partem *Gabretam* ſylvam, apud Paterculum altero libro, *Boihemum* ſedem Marcomannorũ fuiſſe recte intelligetur, atq; in eadẽ ſententia fuit Strabo, cujus verba hæc ſunt, ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ βουίαιμον τὸ τοῦ μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον

ἄλλους μετῳκίστησε πλέους καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους, quod eſt, *in illorum tractu eſt Bojem. & Marobudi regia, qui in eum locum complures alias gentes tranſtulit, atq; adeo Marcomannos ſibi conterraneos.* Hi quoque Mediolanum anno à nato Chriſti 272. vaſtarunt, & ad Placentiam vicerant, ut author eſt Vopiſcus. Verum de his qui plura ſcire expetit, Strabonem in 7. Tacitum in 2. annalium, & Vellejum Paterculum in 2. lib. conſulet. Atque hinc quoque apparet *Bojorum* veterum amplitudo, & ſicut *Hermunduri* in eorundem montium parte boreali, ita *Marcomanni* auſtrali habitarunt. Cæterum *Quadi* ſunt Ptolomæo ſub Hercynia ſylva, ὑπὸ δὲ ὀρκύνιον, inquit, δρυμὸν, κουάδοι. Hi enim intra eundem ſaltum, qui eſt Bojehemicorum montium ortum verſus pars, & Sarmaticos montes habitabant. Quare ſunt partim *Moravi* inferiores, ubi eſt *Jegersdorffium, Glocium,* & alia vicina loca, partim *Sileſii,* circa Sueynicium pene ad Carrodunum vergunt, quo tractu hodie *Polonia minor* collocatur, & ducatus *Teſchenſis.* Quare Julius Capitolinus Hermunduris & Marcomannis *Sarmatas* conjungit, de quibus haud pœnitenda apud Ammianũ Marcellinũ leges, & hi in variis locis tum propter frequentes migrationes, tum propter aſſidua bella vixiſſe leguntur. Quare modo in Pannonia prima, ubi *Narrabo* (vulgo die Rab) prope *Gaurium,* unde eſt Epiſcopus Gaurienſis, der Biſchoff von Rab/ in Danubiũ ſeſe exonerat, cujus rei teſtimonium ex Ammiano afferret, ſedes fixerunt, modo

in

in Helvetia habitaſſe leguntur, ſicut ex Eutropij libro ſexto conjectura fit. Verùm Ptolomæus addit ὑφ' οὓς τὰ σιδηρωρυχεῖα, id eſt, *ſub quibus ſunt ferrifodinæ*, imò hodie ibidem ſunt auraria, argentaria, æraria, & plumbaria metalla, quemadmodum intra Crocontiadas & Opalienſes, & in Sileſia prope *Zucchemantelum* & alios locos vicinos in parte Boihemicorum montiũ auſtrali ad Subſolanum & Vulturnum usque ad Sarmaticorum montium radicem, ubi hodie metalliferæ urbes ſunt *Cremnitium*, *Semnitium*, *Sola*, & *vetus* & *nova*, & antea metalla ducatus *Opavienſis*, & vicinorum locorum quodammodo, ſed paucis pro loco adnotavi. Hæ autem nationes à parte meridionali cis Danubium frõtem, hoc eſt, aut συνεκδοχικῶς caput, aut translatè initium Germaniæ Cisdanubianæ conſtituunt, quarum tanta virtus eſt, & rei militaris peritia, ut à Romanis nunquam auxilia petierint, ſed pecunia tantum illis ab his numerata ſit.

Nec minus valent retrò Marſigni, Gothini, Oſi, Burij, terga Marcomanorum Quadorumque claudunt, è quibus Marſigni, & Burij ſermone cultuq́ Suevos referunt. Gothinos Gallica, Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos, & quod tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi ut alieni gentis imponunt. Gothini quo magis pudeat, & ferrum effodiunt, omnesq́ hi populi pauca campeſtrium, cæterum ſaltus & vertices montium jugũmque inſederunt. Dirimit enim ſcinditq́ Sueviam continuum mon-

tium jugum, ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latiſſimè patet Lygiorum nomen in plures civitates diffuſum. Valentiſſimas nominaſſe ſufficiet, Arios, Helveconas, Manimos, Elyſios, Naharvalos. Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemq́; memorant. Ejus numinis nomen Alcis, nulla ſimulachra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium, ut fratres tamen, ut juvenes venerantur. Cæterum Arij ſuper vires, quibus enumeratos paulò ante populos antecedunt, truces, inſita feritate, arte ac tempore lenocinantur. nigra ſcuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt, ipſaq́; formidine atq́; umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hoſtium ſuſtinente novum ac veluti infernum aſpectum, nam primi in omnibus prælijs oculi vincuntur.

XXII.

DE MARSIGNIS, GOTHINIS, Oſis, Burijs, Lygijs, Arijs, Helveconibus, Manimis, Elyſijs, Naharvalis.

NUnc verò nationes Germaniæ, easque adhuc Suevicas recenſere ad ortum, nimirũ ad Pannoniam, Sarmatiamq; usque pertinentes pergit. Itaque in principio Corneliani *Marſigni* non ſunt Ptolomaici *Marvingi*. Nam illi quidem Marcomannorũ & Quadorum terga claudunt (cum hi in occaſum proſpectant & more

Poëtico

Poetico pars borealis ijsdem dextra, & auſtralis ſit ſiniſtra) atque ita *Marſigni, Gothini, Oſi* & *Burs* in ortum intra Carpathum & Sarmaticos montes, nempe ab ea Danubij parte usque ad Viſtulam protenduntur. Hi verò Ptolomaici ſunt intra Sudetos & Abnobios montes, ſub *Dandutis*, qui *Caſuarijs* proximi ſunt vicini. Quare ſic ſcriptum reliquit ὑφ' οὓς τούρωνοι, καὶ μαρουίγγοι, quod eſt, *ſub Dandatis ſunt Turoni & Marvingi*, & paulo poſt ὑπὲρ τὰ σούδητα ὄρη, τευριοχαῖμοι· ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη οὐαρισοί, εἶτα γαβρῆτα ὕλη, καὶ ὑπὸ τοὺς μαρουίγγους κουρίωνες, quod eſt, *ſuper Sudetos montes ſunt Teuriochami, ſed ſub montibus Variſti, Deinde Gabreta ſylva, & ſub Marovingis Curiones ſunt*. Quare cum illis propter ſitus magnã diverſitatem conferri nequeunt, atq; ita *Marſigni* & *Gotthi* ſint nonnulli *Sileſij* & hodie *Ungari* proximi, *Zepuſijs* vicini erint, atque ſicut *Oſi* nonnihil ad Danubium occaſum verſus tendunt, inter quos & *Araviſcos* ſæpe de limite meridionali Germaniæ controverſia fuit, de qua in principio nonnulla adnotavi, ita *Burs* ab ipſis Sileſijs Viſtulam verſus pertinent. Verùm ex ſermone & cultu diſcrimen facit, quarum utraque notatio inter nationes eſſe conſuevit, atque ex utraq; Marſignos & Burios Suevos eſſe pronunciat cum illis erat ſermo, & cultus Suevicus. Verùm cum Gothinis Gallica lingua & Oſis Pannonica fuerit familiarior, Germani eſſe nequeũt. Accedit & tertia notatio, nimirũ quod ſint tributarij. Siquidem tributorum partem Sarmatæ, partem Quadi exigunt, ita *Gothini*

ſunt terræ ferrariæ foſſores forſan Quadorum operæ aut conductitiæ, aut quaſi in ſervitutem redactæ. Hi autē omnes accolæ ſunt Carpathi, qui à Suevis *Suevus* dictus eſt, & Sarmaticorum montium. Ita quosdā intra Ungariæ terminos Danubium verſus habitaſſe apparet, cum illud jugum Suevicum easdem partes diſterminat, in cujus latere ſeptentrionali *Lygij* cohabitant, qui ſunt ipſi *Sileſij*, quorum nomen olim fuit ampliſſimum. Siquidem ab hoc jugo & à Quadis usque ad Viſtulam ejusque penè oſtium pertinebant, ubi hodie degunt *Oderacei Poloni*, & qui mediam, ubi oppidum, ſed per conventum hæroum Polonicorum admodum celebre *Peterconium* eſt, & qui magnam, ubi degunt *Heneti Boſſini*, à quibus nominatur *Poſanania* cum epiſcopatu Gniſnenſi & Cuaienſi. Itaque multarum civitatum inter Lygios appellationes extructæ ſunt, propter Henetorum, quos & *Vuindos* & *Vandalos* nuncupamus, incurſionem & occupationem. Nam eo loco veteres Germanos eosq; Lygios habitaſſe nō eſt obſcurum, & cum horum nominum neque alluſiones habeantur, neque certi ſitus in tabulis Ptolomæi inveniantur, haud facile quis recentes nationes Polonicas, cum vetuſtis Lygiorum Suevorum appellationibus appoſite conferret. Subjungit *Naharvalorum* ſuperſtitionem, qua ſacerdos muliebri ſtola ornatus, juxta Romanorum interpretationem, geminos nimirum *Caſtorem* & *Pollucem* in lucu coluit. Ipſi verò illud nomen, non geminos, non διοσκούρους Græ-

corum

eorum more appellarunt, ſed *Alcin*, aut à robore, ἀλκὴν, aut ab ætate, *aldt*. Hunc enim juvenes ut fratres in ſumma concordia coluerunt. Contra *Arij* hoſtibus terriculamenta eſſe cupiebant, propter nigrorem, Itaq; & eorum corpora & arma atrata conſpiciebantur. Sic enim lenocinabantur, id eſt, vel exquiſitiorem elegantiam, vel delinimentum addebant, atque hæc eſt cauſa, cur nocturna prælia fieri maluerant. Quid multis? nigerrimi volebant videri, ut hoſtes perterrefacerent, ceu alteri Diaboli. Nigrore enim oculi maximè perturbantur, & corda exhorreſcunt.

Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſupra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugij, & Lemovij, omniumq; harum gentium inſigne, rotunda ſcuta, breves gladij & erga reges obſequium.

XXII.

DE GOTHONIBUS, RUGIIS & Lemoviis.

PTolomæus ſub *Venedicis montibus* in ulteriorem Viſtulæ ripam quippe Orientalem *Gythones* conſtituit, à quibus & ſinus forſan nomen accepit *Codanus*, & ſi olim fuſius patebat, tamen hodie nonnihil eſt arctior, unde ibidem urbs celeberrima *Godanum* vocatur & depravate, priori ſyllaba detracta, *Danum* & *Dantiſcum* nominatur. Urbs autem eſt ampliſſima, non ita vetuſta ut vulgus arbitratur. Neq; Plinius

nius refragatur,& cum Germanorũ genti ... nu-
numeret, & cum ibidem ſuccinum tribu... me-
moriæ prodat. Verùm an ijdem ſint, qui ... *a*
& *Gotthi* nominantur apud ſcriptores, hoc loco
non exquiram. Id tamen affirmare licet, inſu-
lam intra Boruſſiam & Suionum terram ſitam,
Gutlandiam vocatam, ab ijſdem ortam eſſe, de-
cem milliaria longam, & circiter ſeptem latam
magnificis ædibus in nonnullis urbibus ornatã,
ſed propter emporium aut neglectum, aut aliò
translatum, vaſtam & deſolatam. Sin numero
Germani eyn haff appellant, & in Balthico ma-
ri tres præcipuos numerat. *Pomeranicus* juxtà
Viadri oſtium, *Dantiſcanus*, qui eſt *Godanus*, *Ve-
nedicus*, quem hodie *Curienſem* à Curiorum re-
gione (vulgo *Curland*) nuncupant. Porrò *Rugij*
atq; Pomerani ſunt non ita longe à Viadri o-
ſtio, atq; hodie veterum appellatio manſit (*Ru-
genlandt*) quorũ quanta virtus fuerit in militià
& animi magnitudine ex hiſtoricis facile liquet.
Intra hos deniq; atq; Sitonas *Lemovios* habitaſſe
arbitror, ubi nunc *Colbergum*, *Stolpium*, *Lau-
purgum* viſuntur, itidẽ *Pomerani*, qui ſic à Van-
dalis (nam & hi eandem partem per incurſionẽ
diu detinuerunt) nominati ſunt, quod eſſent
Heneti aut *Vandali*, prope mare *Poloni*, aut ho-
die aliquanto durius *Pomerzanos* vocant, idem
utiq; etymum ſecuti. Eſt autem Pomeranorũ
inſignis laus ab obedientia erga Magiſtratũ, &
ab armorum formis. Erant enim ſcuta rotun-
da & gladij breves, Romanis quoque magis ad-
dicti erant, ſed ita, ne quid libertati Germanicæ
decede-

decederet, cujus etiamnum, ſi qua alia natio conſervandæ, ſtudioſiſſimi ſunt.

Suionum hinc civitates, ipſo in Oceano, præter viros armaq; claſſibus valent, forma navium eo differt, quod utrinq; prora paratam ſemper appulſui frontem agit. nec velis miniſtrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum ut in quibusdam fluminum & mutabile, ut res poſcit, hinc vel illinc remigium. Eſt apud illos & opibus honos, eoq; unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. nec arma apud ceteros Germanos in promiſcuo, ſed clauſa ſub cuſtode & quidem ſervo, quia ſubitos hoſtium incurſus prohibet Oceanus: ocioſa porrò armatorum manus facile laſciviunt. enimvero neque nobilem, neq; ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas eſt.

XXIII.

DE SUIONIBUS.

HOc eſſe *Suedos*, qui & *Suedones* ſunt vel & ipſa ordinis cōſecutio urget & ſitus, ſiquidem in Balthico ſinu cohabitant. Horū autem deſcriptio nunc à navium forma, ſiquidē in his non ſunt neq; vela, neq; ſcalmus, neq; puppis, cum ſit utrobiq; propter appulſionē prora. Itaq; ſolutis videlicet circa remigum operā illic navigabatur: nunc à moribus, nam & hi opulentos tum adamant, tum magnifaciunt, atq; hodie ſunt metalla ferri, & argenti feraciſſima ibidem habentur: nunc à magiſtratu,. Unum enim qui

imperat

imperat ſubditis agnoſcunt, cujusmodi eſt noſtra memoria *Guſtaus* liberaliſſimus Mecænas, nunc ab armamentario, quod & ſi probè inſtructum ſit, tamen ejus cuſtodia ſervo demandatur, cum propter Oceanum impetum & incurſionem non admodum timeant, nunc ab ocio, rariora enim ijsdem ſunt bella & prælia, nunc à perſonarum diſcrimine, cujus neglectus regi magnopere conferre hic ſcriptum relinquitur. Eſt autem regnum valde montanum Helvetiorum tractui non ita diſſimile, in quo ſunt militaris artis inter ſcopulos peritiſſimi, qui ab ijsdem *Dalekarli*, id eſt, vegetiores, & integriores viri (eſt enim nomen juxta Saxonicũ dialecton compoſitum) nominantur. Qui verò Suetiæ & picturam, & pleniorem deſcriptionem noſtris temporibus reſpondentem cupit, monumenta Jacobi Zigleri Bavari perlegat.

Trans Suionas aliud mare pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludiq; terrarum orbem hinc fides, quod extremus cadentis jam ſolis fulgor in ortus eduxerat, adeo clarus, ut ſydera hebetet. Sonum insuper emergentis audiri, formasq; deorum, & radios capitis aſpici perſuaſio adijcit. Illuc uſque & fama vera; tantum natura.

XXIIII.

DE MARI MORTUO.

POrro ſi quis ordinem & ſitũ obſervat, non intelliget, aut à Cimbris *Cimbricum*, aut à Balthia immenſæ magnitudinis, quam Pythias

Baſiliam

Baſiliam nominat. atque hæc revera *Schondavia*, *Balticum*, aut à ſinu Boruſſiaco *Codaneum*, ſed id quod eſt ultra Suionas boream verſus. Hinc enim vere competit, quod ſit pigrum & immotum, quia hac parte limes totius cardinis ſeptentrionalis conſtitutus erat, qui tamen ante Auguſti tempora non ita notus erat. Nam ejus auſpicijs major illius terræ portio, per navigationem perſpecta fuit & perluſtrata. Siquidem cum ad Cimbros usque navigatum erat, non niſi immenſum mare ſeptentrionē verſus viſum erat, cujus argumento olim & eam terræ partem circumnavigabilem contendebatur, ſed colligebatur, id ipſum non ita eſſe navigationi aptum propter nimiū frigus. Nam hæc ora ſeptentrionalis longius ab orbita ſolis receſſit. Quare & ibidem ſphæricorum magiſtri zonam arcticam, eamq; frigidam collocarunt: Itaque Hæcatæus *Amalchiū* illud appellavit, quod lingua Scythica congelatū ſignificat, ita Philemon *mori moruſam*, id eſt, mortuū mare à Cymbris nominari aſſerit. Ne multa, Geographi paſſim & Poëtæ & ſcriptores illud & *Cronium* à Saturno, qui κρόνιος eſt, dictum tradunt, & deſcribunt. Cæterum an marina aqua congelari poſſit, Diſarius Macrobianus fuſiſſime diſputat, neq; ut longius hoc loci, cum eſſet pene πάρεργον & non ἔργον repetere operæ preciū eſſe judico. Deſideratur & hic autorum quorundā diligentia, cum eandē partem nondum ſatis perluſtrarint, ſicut paucis ab hinc annis *Colomannus Auſtriacus* inſignis Mathematicus eandē aliquanto di-

to diligentius inveſtigavit, ſuamq; obſervationem ſicubi adhuc ſuperſtes ſit in publicum proferet. Verùm apud Ptolomæum ultra ſexageſimum tertium latitudinis gradũ, ubi *Thyle* locatur ultima, non pergitur, cum hodie ſit ultra ſeptuageſimum gradũ ejuſdem intervalli exporrecta, ubi in frigida zona *Ingrovalandi* & *Plappenlandi*, quorum de ſitu, moribus & victu recentiores geographi non pauca memoriæ prodiderunt. Sunt & hic *Gotthi* (qui eſſent veterũ Getarum reliquiæ & à quibus eſt Gotthicum bellum) tam orientales, qui rectius *Oſtgotthi*, quàm propter linguæ Germanicæ inſcitiam *Oſtrogothi*, quàm occidentales, qui male *Viſigotthi*, ſed rectius *Weſtgotthi* nominantur, & horum rex fuit *Ericus*, quem Gotthici belli ſcriptores *Genſericum* nuncupant, cum ignorent *Kœnigk* nobis eſſe regem & *Ericum* proprium nomen *Erenreich*, veluti gloriæ divitem. Hôc autem vere eſt coſmographicum, quod ſol æſtivus apud eosdem non ita occidit, ut ſydera eſſent conſpicua. Quare ſplendor ſolis vel in ortum ipſum perdurat. Id autem, ut rectius intelligatur, paralleli cum climatibus & umbris per certa loca ex ſphæricis ſtatuendi ſunt. Sit igitur hic clima ſextum decimum & parallelus triceſimus tertius, mox verticem borealem eſſe ad 66, cum 6 parte gradus ſublatum, ibiq; primos periſcios eſſe. Solem non occidere (cum ſit horarum 24) dignoſces. Ita paralelus 34 totum menſem ſolem ſemper videri, & nunquam occidere circiter ſolſtitium æſtivum verticem 67.

S, altum

S. altum eſſe manifeſte indicat, Ita in 35. paralelo 17. clima. verticem ad 69. cum ſemiſſe grad. ſublatum, diem eſſe duorum menſium depræhendes. Ita in 36 eſt trimenſtruus dies in climate per *Pilappos* ducto. Ita in 37. climate per mare glaciale 17. deſignato, dies eſt quatuor menſium, & in 38. quinque, & in 39. ſemeſtris ſpacij, ubi eſt clima 19. atque hinc ſeptem periſcij numerabantur. Sonum verò orientis ſolis ibi exaudiri falſum eſt, & à ſphærica doctrina alieniſſimum, etiamſi apud Strabonem Poſſidonius idipſum aſſeveret. Cæterum ſpectra ibidem paſſim & apud *Suionas*, & *Norvegios* & *Islandos* videri, & hiſtorici, ut Albertus Crantzius & Saxo Grammaticus, alijque teſtantur, & nautæ etiamnum bona fide narrant. Neque eiusmodi in Anglia juxta Patricij purgatorium ſpectra deſunt. Quare ſtultum vulgus Chriſtianæ religionis ignarum deos eſſe, & eorum capita irradiare propter divinitatem arbitrabatur. Eaq; veritati conſentanea eſſe ſubjungit, & natura & veritate famæ.

Ergo jam dextro Suevici maris littore Æſtyorū gentes alluuntur, quibus ritus habitusq; Suevorum, lingua Britannicæ propior. Matrem deum venerantur, inſigne ſuperſtitionis, formas Aprorum geſtant. Id pro armis omniumque tutela, ſecurum deæ cultorem etiam inter hoſtes præſtat. Rarus ferri, frequens fuſtium uſus. Frumenta cæterosq; fructus patientius quàm pro ſolita Germanorum inertia laborant. Sed & mare ſcrutantur, ac ſoli omnium ſuccinū, quod ipſi Gleſum vocant,

inter vada atq; in ipſo littore legunt. Nec quæ natura quæve ratio gignat, ut Barbaris, quæſitum compertumve, diu quin etiam inter cætera ejectamenta maris jacebat, donec luxuria noſtra dedit nomen, ipſis in nullo uſu, rude legitur, informe perfertur, preciumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum eſſe intelligas, quia terrena quædam atque etiam volucria animalia plerunq; interlucent, quæ implicata humore, mox dureſcente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosq;, ſicut Orientis ſecretis, ubi thura balſamaq; ſudantur, ita Occidentis inſulis terrisq; ineſſe crediderim, quæ vicini ſolis radijs expreſſa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac vi tempeſtatum in adverſa littora exundant. Si naturam ſuccini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitq; flammã pinguem & olentem, mox ut in picem reſinamve lenteſcit.

XXV.

DE EFFLUIS SUEVIS.

IBidem mare *Suevicum* eſſe dictum ab accolis *Suevis* vix quiſpiam ambiget, cum & hodie *Suedicum* à *Suetia*, quæ *Suionum Suevorum* fuit regio, nominatur, in cujus littore *Effluí*, vulgo Eifflender quaſi Effluorum regio prope ſinũ *Venedicum*, qui nunc eſt *Curienſis* in cujus finibus ſunt *Suidini*, quorum opera in eodem litore ſuccinum legitur. Eſt autem elegans Effluorum deſcriptio, modo à moribus, qui Suevicus eſt, modo ab habitu ſeu cultu, qui ab alijs Sue-

vis

vis non variat, modo à lingua & dialecto, quæ proxima Britannicæ fuit, & hæc bona ex parte atque hodie Germanica eſt, ſed per vicinas nationes & transmigrationes corrupta, modo à religione, cum aut terram aut *Cybelem* deorum matrem colunt. Itaque in hoſtium terrorem & ſuperſtitionis argumentũ formas aprorum hiantium in galeis geſtant, quod præſtantiſſimũ & amuletum & propugnaculum in ipſo prælio judicabatur, modo à telorum genere, cum ibi non ſint ferraria metalla, ſuſtibus ſudibusque præuſtis decertare malunt, modo ab agriculturæ ſtudio, in quo majorem operam, quàm alij Germani, quos & inertes fecit Tacitus, ponere conſueverunt, modo à navigationis uſu. Nam cum ſint maritimi, cur non àliò propter mercimonia navigarent? modo à rerum genialium copia, quæ ferrarijs, argentarijs, & aurarijs metallis, ſi quis dignitatem & utilitatem recte æſtimet, longe præſtat,

COMPENDIOSA, PRO loco, Succini hiſtoria.

HIC verum eſt quod fere dicitur. *Non omnis fert omnia tellus.* Siquidem arbores, frutices, herbæ, & cuncta ex terris nata natales ſitus veluti naturæ ſuæ accommodatiores ſibique familiariores vendicant, in quibus conſentiente loci genio lætiores proſiliunt. Ita & divina providentia hanc terrarum partem borea-

lem *ſuccino* donavit, quod alibi largius non emanat atque ibidem. Ejus autem ſucci neq; cauſas, neque effecta, aut *Eſtui*, aut *Venedi*, tanquam barbari explorarunt. Itaque tanquam maris ejectamentum nauci faciebant, cujus uſus prorſus ignorabatur. Eſt enim *ignoti*, ut dicitur, *nulla cupido*. Verùm per diligentiores indagatores Tacitus à barbarie etiam Roma nos defendi nequit, ut qui ejus materiam ſuccini reſinatarum arborum, ſicut & Plinius ſub idem tempus contendit, eſſe volebat, nullaque alia ratione, quàm ut animalcula varia in reſina fluente, & per frigus aquæ marinæ denſata concluderentur. Quare illius ſententia erit arboris reſinatæ alicujus vel lachryma, vel gumi, vel ſuccus. Nam diſcrimen hic nullum conſtituit Romanus ſcriptor, ne ſuam ipſius inſcitiam prodeiet. Argumentum quoque, eſt, ut quàm facillime in picis vel reſinæ modum ſuccendatur. Quapropter cauſa conficiens eſt ſol, lachrymas in arboribus concitans & liquefaciens, qui ſic in Oceanum delapſus indureſcit, atque fluctibus impetuoſis in adverſa littora ejicitur. Hinc collatione quadam partes & orientis & occidentis commendat. Nam ſicut in Arabia, quæ vere & multis rationibus etiam olim non ſatis cognitis, eſt Græcis εὐδαίμων, ſunt thura, atque ſicut in Syria, cujus pars eſt Judæa, balſama, eaque nativa & laudatiſſima; ſicut & ipſe Tacitus præter alios authores complures in annalibus conteſtatur, ita in oriente ſuccinorum copia in cœlum usque efferri debet. Cum igitur veteres

Suevi

Suevi eorundem utilitatem & naturam, non probe tenuerant, non eſt mirum cur repudiarint, curabant autem, ſed non niſi propter precium mercatorum. Conſtat enim ut olim usque ad Illyricum venundatum ſit, atque in Venetiam, regionesq́; Italiæ vicinas. Quare fictũ eſt eadem in Eridano, qui & Padus eſt, naſci. Cæterum cum calumniatores in me invehi tacitè intra privatos parietes non deſinant propter ſuccini ignorantiam, quam mihi impingant, pauca de eodem argumenta ſubijciam ſed modeſtiſſime, ut à quo altercandi ſtudium ſemper fuit alienum. Fateor quidem me eſſe Boruſſum, eumq́ue Reſellianum ſub epiſcopatu Varmienſi, qui eſt & *Heylbergenſis*, ſed poſt parentum meorũ mortem ſtatim in prima ætate, vix dum quatuordecim annos natum, in Marchiã Brennopyrgenſem, ubi eſt *Francophordiana* Academia, perveniſſe, ubi poſt mediocrem primarum dicendi artium & matheſeos cognitionem ad Phyſiologiam animum adjunxi, qua verò felicitate, judicium penes alios eſto, atque de more ejuſdẽ Academiæ magiſter renunciatus, bucolica Virgilij enarrare incœpi, atq; commentaria qualiacunq; ſub prælo excuſa ſunt. In quibus cum locus de electro explicandus eſſet, multosque meos cives conſului, ut veritatem pro virili adumbrarem. Siquidem eam partem nunquam in vita mea vidi, cum ne partes quidem meæ patriæ ſatis pro dignitate perluſtrarim. Ibi autem, ut legitur, hiſtoriam ſuccini aliquanto propius, ac priores ſcriptores tradidi, præfectum ope-

rarum adduxi, Sudinos piſcatores citavi, precium urinatorum ſalem eſſe commoneſeci, aliaque hiſtorica minimè neglexi, ſed de materia ſuccini nihil adhuc tentabam, propter judicij in hac ætate, & tanto veterum authorum conſenſu tenuitatem. Quare adhuc ſubdubitans à tot & tantis autoribus recedere non audebam in tanta cenſuræ imbecillitate. Videant igitur quales in me ſint & ſeveriores æquo judices, dum clamitant, Jodocus eſt Boruſſus, & ſuccini naturam non probe deſcripſit, neq; deliniavit, qui ſi æquiores eſſent, meam operam & conatum potius de meliori nota commendaſſent. Verùm poſt aliquot annos nova ſcholia in eadem bucolica pro auditoribus, & breviora recudere cœpi, in quibus ut ſententiam mutaram, utique nihil planè aſſeverans, aliorum judicium expectans, omnibus legentibus conſtat. Nam ipſe probe noveram rationes quasdã, quibus quis adductus non reſinam eſſe, ſed aut bitumen, aut ejus puriorem, atque ita meliorem partem *Naphtham* eiusdem materiam pronunciaret: tum ex colore, Siquidem juxta bituminis fluxum ex venis idem plurimum variat, id quod in reſina nunquam conſpicitur: tum ex incendio & odore ſuavius enim redolet, adeoq; ipſum bitumen, quàm reſina, etiaſi utrumque facile ſuccendatur, tum ex nigri ſuccini, quod *Gagates* eſt, venis, quibus effoditur, tum ex concluſis beſtiolis, aut alijs rebus, nunquam tamen folia pineæ arboris continet, tum ex facultatibus, quæ in bitumine & ſucci-

no prorſus eædem ſunt. Hæc ſunt argumenta & alia nonnulla, quibus ab omnium (quod equidem ſciam) ſcriptorum ſeceſſionem facere mecum decrevi. Verùm cum experientiſſimus rerum naturæ & metallorum amicus meus inprimis charus Georgius Agricola de induſtria propter certa argumenta & phyſiologica, & hiſtorica, idipſum confirmarat, ipſe animo infracto idem ſaxum mox volvebam, acceſſit, & quædam evidens ejusdem rei comprobatio. Nam prope *Neomandram* (quam *novam* appellamus *Cellam*, hinc circiter tria miliaria diſtantem) lacus eſt ingens, in cujus ripa *ſuccinum phalernum* reperitur, cujus fruſtum non tantum vidi, ſed in ciſtula repoſitum conſervo, ejusq; major ibidem eſſet copia, ſi juſtior indagatorum, qui vel ſcintillantem flammam ſæpe in aquis ſeſe vidiſſe autumant, adeſſet diligentia. Proinde paucis meam ſententiam contra obtrectatores & bona fide planam faciam neminem ſugillans, primum de ejus appellationibus nonnulla dicam. Deinde ſuccini cauſas & differentias, explorabo. Poſtremo ejus temperaturam, atque ex hac tanquam matre facultates & commoda recenſebo. In principio quidem Romanis ſcriptoribus eſt *ſuccinum*, ut qui arboris alicujus ſuccum eſſe cenſuerant, atque eadem cauſa aliis eſt & Græcis δάκρυον, aliis ὀπὸς, aliis χυλὸς, aliis gummi, cum nihil pro certo de ejus origine & cauſis habuerant. Græcis eſt ἤλεκτρον quod & in Latinorum coloniam abiit, vel à ſole, qui apud Nicandrum, Euripidem, aliosque Poetas

Græcos ἠλέκτωρ quod ſol exoriens homines dormientes è lecto ad operas excitet, forſan aut cum ejus interdum colorem referat, aut colore ſolari in venis terræ liquefit, & exudatur, aut quia Phaetonte, qui & Chimicis ſol eſt, atque à Martiale, cum ejus artis vix dum fundamentum jactum erat, hoc diſticho ſic accipitur,

Quum Phaetontea formica vagatur in umbra
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Atq; Ovidius ex lachrymis Phaetontiadum ſuccinum enatum cecinit circa Padum, ad cujus oſtium Ariſtoteles *Electrides inſulas* collocavit. Sed hæc falſa eſſe Lucianus uſu comperit. Siquidem is miraculi videndi gratia ad Padum ſeſe contulit. fatetur ibi neque populos eſſe, neque ſuccino collachrymaſſe. Sic enim diſſerit, ibi nullam ſuccini eſſe materiam, ut pote neque populos, neque harum lachrymas. Succinum igitur ibidem gigni non poterat, quod Dioſcoridi placuerat, aut eſt *electrum*, à colore electri metallici, cum ſit aurum, ſed quinta ſui parte argentum, cujusmodi in aula Menelai Homerici viſum eſt. Habetur & alterum ex tribus auri partibus, & una argenti. Straboni autem eſt *auri purgamentum* ex prima coctura, quod ex ſulphuroſæ cujusdam cretæ comitatu fit. Dicitur & *lyncurium*, quaſi ex lyncis urinæ natum quam animal invidens aggeſta pedibus terra obruit. Itaque vel maſculum ut pote ex maribus lyncibus collectum, quod ferè fulvum & igneum, vel fœmininum, videlicet è fœminis, quod eſt candidum atque languidum. Sed id ge-

genus urinæ an ſit in rerum natura, multis ſeculis ſuper hoc controverſum eſt, cum ſit prorſus fabuloſum. Benè igitur Dioſcorides & illam ſententiam damnat, atque idem cum electro facit, & Ovidius nonnihil ſubdubitat 15. Metamorph.

Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho
E quibus (ut memorant) quicquid veſica remiſit,
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.

Sunt & aliæ rationes, quibus *Lyncurium* à ſuccino nihil differre comprobaretur, quibus de induſtria brevitati ſtudens ſuperſedeo, atque ſententia Theophraſti lib. de lapidibus facile refelli poteſt, cum lyngurium neque colore, neque duricia, neque facultatibus neque eſſentia à ſuccino diſſideat. Adde quod & Theophraſtus ibidem Lyngurio ſuccini colorem ineſſe, & ſpiritu trahere propinquantia, dolores renũ ſedare, regio morbo mederi dilucide doceat. Dicitur & Græcis ἁρπαγὴ à raptu. Nam ἁρπάζειν eſt *rapere* & *attrahere*. Eſt enim virtus ἁρπακτικὴ, qua non tantum frondes & acus ſed & æris ferrique bracteolas, ut Diocles & Theophraſtus ſcriptum reliquerunt, rapit, cujus cauſa eſt ſuccini attritus, qui ſpiritus in eodem ingeniti incaleſcunt res leviores vel fruſtilla magnetis ad ſe rapiunt, atque id Plutarchus voluit, dum excitata vi caloris floccos, ſtramenta, atque veſtium fimbrias, & quæcunque levia ſunt, ad ſeſe allicere aſſerit, præter ocymum & alia oleo imbuta, quæ aut reſpuit, aut à ſeſe abigit, & ſi quis ἀντιπάθειαν cauſaretur, ſed & ratio eſt,

quod

quod ſuccini ſpiritus, cum ſit calidus & ſiccus non niſi res ſiccas ad ſe pertrahat, atque humidas, oleoque imbutas renuit, non ſecus atque magnes ad ſe ferrum non amplius trahit, ſi allio perlinatur. Dicitur & apud Arabas, atq; vulgares ſcriptores *Karabe*, ab attractu palearum, floccorum, & filamentorum ſententia Avicennæ dictum, quo modo & Græcis eſt πτερυγοφόρον. Germanis verò eſt aut *Bornſteyn*, cum lapidem ex ſucco arborum natum eſſe crediderant atque cremabilem. Siquidem cum accenſum tædæ modo ac nidore flagret, facta eſt appellatio, vel Plinii atque Taciti conſenſu, poſterior tamen à priori non admodum differt. Nota enim eſt V & B literarum apud Veteres Germanos affinitas. Eſſet quoque fucati cujusdam pigmenti, quod vulgò *Vernix* nominat, cum ex ſuccino & lini ſemine, ad menſarum, parietum, & aliarum rerum venuſtandos colores comparatur, atque ita eſt res factitia ex gummi quod Arabibus & *Sandaraca*, *ſandaros* & *Carabe* appellatur, & cũ eo quod eſt apud Galenum βερενίκιον, cum ſit nitrum ab oppido Trogloditarum Berenica dictũ ſicut creditur, conferri nequit. Dicitur & *gleſſum* ipſius Taciti teſtimonio, ſed ea vox vobis vitrum, notat, niſi quis hujus appellatione valde perſpicuum & translucens ſuccinum intelligeret, ita ut translucendi reſpectu primo appellatum ſit, quomodo & Græci ὕαλον accepiſſe videntur. Vox autem *Agtſteyn* ab agate deflexa & depravata eſt. Cæterum ut cum ſuccino conveniat Ambarum, quod & *Ambra*

&

& *Ampar* profertur, ex Aetio non eſt obſcurũ, qui & materiam ejus ſubindicavit, cum illud multis in locis, aut ſulphuris, aut bituminis modo ſcaturire pronunciet, & *Selachiticum* à municipio quodam Indiæ vocatum, ubi ſcaturit, cum ibidem ſit ſubalbidum, aliis anteponat, in officinis Indicum ferè ambra griſca, noſtra verò citrina appellatur, Gallis etiamnum eadem conſuetudo permanſit. Hæc de communibus appellationibus ſuccini ſatis ſunt, in quibus & noſtra & veterum de materia ejusdem ſatis manifeſta eſt, quam tamen fuſius aliquanto explanabo, ut tota res propius intelligatur, olim quidem tot & tantorum autorum pertinacia à ſucco arborum prædenſo ſuccinum, ſicut & nomen teſtatur, gigni conſtanter vel invitos coegit, cujus ſententiæ fuit & Ovid. de Phaethontiadum lachrymis ſic canens

Inde fluunt lachrymæ, ſtillataq; ſole rigeſcunt
De ramis electra novis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Hic materia eſt lachryma arborum, ut pote populorum, conficiens cauſa, una quidem eſt ſol ſtillatim ex arboribus ſuo calore liquefactum ſuccum eliciens, altera verò eſt frigus aquæ, aut marinæ, aut Padanæ. Poſtremo & ejus unus aliquis uſus ſubjungitur. Siquidem fæminæ Tranſpadanæ ſuccina monilium vice decoris gratia geſtabant. Ad hunc modum & alii Poetæ tam Græci, quàm Latini, juxta cum rerum naturæ ſcriptoribus ad unum omnibus atque medicis, docuerunt quorum numero ſic

Ægine-

Ægineta ait, ἤλεκτρον τὸ τῆν αἰγείρε δάκρυον φάσι κατὰ τὸν ἠριδανὸν ποταμὸν ἀποχεόμϑρον, καὶ πηγνύμϑρον χρυσοειδὲς, quod eſt, *ſuccinum albæ populi lachrymam eſſe dicunt, juxta Eridanum fluvium effuſum, & coagulatum aurei coloris.* Hic quoque ſatis dilucide apparet, ut magis aliorum ſententia ſteterat, quam ſua, colliquationis & concretionis cauſam ſubindicans. Ne multa, plærique omnes magno conſenſu idem memoriæ prodiderunt, quibus & nautarum quorundam narrationes accedunt, qui reſinatas arbores in adverſo littore eſſe quàm plurimas, atque harum ſucco per calorem ſolis effuſo & condenſato per gelu marinæ aquæ ſuccina gigni, atque iidem eſſe ſuccinum τὸ ὑγρὸν πηκτὸν aſſeverant. Quare non niſi in tractum Curienſis littoris aut per Circum, aut per Corum in adverſam partem per tempeſtates impelli conjiciunt. Verùm cum argumenta tantum conjecturalia ſint, neq; adhuc ſatis certa, ſicut paulò ante quædam refellimus, neminem pro certo habere cogēt. Quare alias cauſas quærere oportet, & aptiores & veriores. Eſt autem materia aut bitumen aut naphtha, quod Plutar. eſt ῥεῦμα, apud Dioſcoridem περιήθημα bituminis, & ſicut illic vox ad fluxum communior eſt, ita hic ad fluendi modum contractior eſt, atque adeo bituminis non tantum colamen, ſed flos eſſe videtur, non aliter ac reliqui ſulfuris candidum ſulfur, & ex ſpecu hiatuque vi caloris, tam interni quàm externi nimirum ſolaris magis excolatur, quàm ſua ſponte fluere videtur. Quapropter Alexander

der Magnos, poſt devictam Babylonem naphtæ fluorem ſi quid aliud admiratus eſt, de quo ſic Plutar. τό τε χάσμα inquit, τοῦ πυρὸς ἐν ἐκβατάνοις ὥσπερ ἐκ πηγῆς συνεχῶς ἀναφερόμενον, καὶ τὸ ῥεῦμα τοῦ ναφθὰ λιμνάζοντος, διὰ τὸ πλῆθος οὐ πόρρω τοῦ χάσματος ὥστε ἄλλα μὲν ἀσφάλτῳ προσέοικεν quod eſt, *In Ecbatanis. (Babylonicæ regionis parte) ignis hiatus ex quo velut ex fonte ignis perpetuus ſuſtollitur, & fluxus napthæ etiam ſtagnum aut paludem facientis propter copiam non procul ab hiatu, ita ut cætera bitumini ſimilis ſit, &c.* de qua Galenus ſic inquit, *Eſt ſiquidem liquidum bitumen, ſicut hyacinthinum, & quod à Babylone affertur, ibi quidem & candidum gignitur,* liquidum eſt & Apolloniaticum, quæ omnia Græci πισσάσφαλτον ex picis & bituminis argumento appellant. Gignitur & pingue liquorisque oleorum in Sicilia, Agragentino fonte inficiens rivum, incolæ id arundinum panniculis colligunt, citiſſime ſic adhæreſcens, quo ad lucernarum lumina olei vice utuntur. Eſt quoq; bitumen & in mari mortuo, quod eſt ſtagnum ſalſum in Cœloſyria, & ab bitumine *aſpaltite* nominatur, quo loci olim Zedomæi & Gomorrhei habitarunt, ſicut ex ſacris litteris liquido patet. Ad hunc modum in quibusdam locis & nigrum bitumen invenitur, idque foſſile, unde *Gagates* qui eſt nigrum ſuccinum naſcitur. Itaque juxta bituminis colorē & hic magna varietas perſpicitur. Eſt enim aliud candidum precipue ex naphtha productum, quod Poſidonius *ſulphur candidum* eſſe voluit, alıud huic proximū, utpote in cinereo candidū,

alıud

aliud eſt fulvum, quod Calliſtratus χρυσοήλεκτρον, Ægineta χρυσοειδὲς nominat, aliis eſt & χρυσοφόρον, aliud eſt rufum, aliud cæreum, aliud melleum, aliud phalernum, quippe à ceræ, mellis decocti & vini ſimilitudine, aliud nigrum, aliud in nigro rufum, aliud purpureum, aliud pene cæruleum. Proinde ſuccinum ex bitumine, videlicet, ex ſucco lento & præpingui, atque adeo inflammabili, per calorem tam internum quàm externum in hiatu liquabili, & per frigus aut aquæ, aut alterius rei appropinquantis congelabili (Frigus enim & condenſat & exiccat) vere naſcitur, & ſicut in aliis rebus claritas & perſpicuitas ex materia dignoſcitur, ita hic ſi hæc pura fuerit, eo candidiora & puriora prodibunt ſuccina. Contrarium in ea quæ nuptura eſt attenditur, id quod ex Galeno colligitur. Bitumen, inquit, ex iis eſt quæ in aqua marina proveniunt, & in alia quapiam, quæ non eſt marinæ diſſimilis, ut in Apollonio Epiri, & per alia id genus loca multa aquis ſponte naſcentibus ceu ſpuma quædam innatans, hoc medicamen reperitur, & molle quidem eſt, dum innatat, poſtea verò reſiccatum pice ſicca durius efficitur. Ita absque dubio in Sudinorum regiuncula (quæ olim & Sudavia & Anſtravia dicebatur) varii coloris ſuccinum reperitur, cum ibidem ſit hiatus absque controverſia, etiamſi is non pateat ſenſui. Siquidem æſtuaria ibidem nunquam eſſe ſolent, tum cum veluti ſcintillans ſulphur ab accolis ad lunam in mare proſilire ſubinde videatur, quis non bitumen vel naphtã

nimio

nimio calore liqueſcentem judicaret? Itaque ventis adverſis magis ex occaſu quàm ſeptentrione ſpirantibus, tum per fluctus in altum & littus attollitur, jam ab ipſo gelu concretum & condenſatum, & mox *Sudini*, cum ſint & piſcatores & urinatores, reticulis magnam ſuccini copiam juxta cum alga exhauriunt, atq; hæc collectio ſeu piſcatio ſuccini iisdem tum longa exercitatione, tum neceſſitate vel famis (nam pro menſura ſuccini capti à præfecto pondus ſalis rependitur, cum ſint piſcatores, & piſcitio tantum victitant) vel obedientiæ, cum jubenti magiſtratui in hac re parére cogantur, eſt quàm expeditiſſima. Hæc ipſa de cauſis ſatis perſpicua & certa eſſe ſagaci & prudenti lectori arbitror, nunc & odoris & ſaporis ratio habenda eſt. *Nigrum* enim gravis odoris, *candidum* jucundi, reliqua medio modo ſe habent. Ita nigrum eſt quodammodo ſubamarum candidum in pingui dulce, & medii coloris quædam ſunt modicè acria. Accedit & eſſentia, quæ non ſemper ex æquo denſa, ſed ſæpe ſubrara. Siquidem ſuccina denſiora ſunt, quæ tum oleoſa, tum pinguia in quibus, cum ſint elaborata & polita, (Rudia enim ſunt adhuc corticoſa,) fluor lentus alius atque alius affluens & conglutinatus liquido cernitur, & talia ſunt terreſtris naturæ, atque de his verum eſt Avicennæ dictum, ut ex terreis partibus, iisque ſubtilibus, & aqueis ſed exiccatis compoſita ſunt, & hæc quoque graviora ſunt. Contra alia nonnihil aeris continent, qui meatus eorum replet, levia redduntur. Qua-

propter ex librarione manifeſtiſſime alia ſucci-na ad candida bis tanto graviora eſſe deprehendes atq; in candidis propter ſubſtantiam aeream adeoq; igneam cum terrea exiccata dominari, & in aliis quandam craſſitudinem eſſe ipſe dijudicabis. Proinde ex his univerſis formam ſuccini, quæ & harmonia & temperatura ejusdem eſt, colligere cuilibet promptum erit, quæ ex materia, ſapore & odore (nam colore, & tactu hic parũ promovimus) deprehenderetur, aut ſit calidæ & ſiccæ naturæ plus minus juxta ejus naturam ex prioribus notis collectam, & univerſe in utraq; qualitate ſecundus ordo conſtituetur, non ſecus ac in bitumine, quod juxta Galenum & Æginetam ſiccat & calefacit in ſecundo ordine, atque ſic illi erit virtus reſiccatoria & calefactoria, à quorum ſententia neque Avicennas recedit. Sic enim ait, *eſt calida parumper, & ſicca in ſecundo*, qui tamen ſibi non parum diſſidet, cum nucis Romanæ id eſt, populi gummi eſſe tradiderat. *Ejus*, inquit, *gummi eſt ultima in calefaciundo*. Incertus igitur fuit tam materiæ, quàm formæ ratione, quemadmodum naphtha Dioſcoridis facultates ἀφλεγμαντον, κολλητικὴν, διαφορητικὴν & μαλακτικὴν habet, hoc eſt *inflammationes arcet, glutinat, diſcutit, & emollit*.

Succinum optimum. Eligendum igitur eſt ſuccinum, quod gravius eſt & craſſius, atque ita minus calidum, & hoc quam commodiſſime loca inflammata mitigat, ſic in glutinando idem, quod eſt aut pinguius & valde oleoſum, aut multo ſiccius & craſſarum partium. Hoc enim modo melius glutinat,

cum

cum ſit ἐμφρακτικόν. Sic in diſcutiendo *candidum* deligatur ſuccinum, cujus partes non ſunt tam craſſæ. Siquidem hoc non niſi ex tenuiſſimis halitibus intra hiatum ſurſum elatis & ad ſuperiora ſaxa in tenuem liquorem reſolutis, qui poſtea per cavernas & venas, atque commiſſuras terræ fontium modo ſcaturit, & frigore aquæ congelantur & condenſantur. Nam pro vaporum ratione, ut & meteorologica teſtantur, non parva erit juxta materiam differentia. Sic pinguius magis indurata emollit. Quare prudentiſſimè juxta diverſas actionum formas ſuccinorum delectus faciundus eſt, & non ubique temerè pronunciandum cum Avicenna eſt, ut reſtringendi virtutem habeat. Non diffiteor nimium ſicca & aſtringentia quoque. ſed longè alia ratione, meatus quosdam recludere, ſed hoc quot & quanta incommoda ſæpe ſecum afferat, hoc loco nihil dicam. Emolliturus igitur pinguius ſuccinum, ita conglutinaturus, oleoſum, dulce, & ponderoſum, craſſiorumque partium, diſcuſſurus candidum, leve, ſubtenuium partium eligat, & capiat. Etſi id diſcriminis in confectionibus, quas Barbaros olim appellarunt, veteres non obſervarunt, tamen methodum & componendi remedia, & utendi ſecutus, neutiquam negliget. Itaq; dum rejectationem ſanguinis, dum hæmorroidas apertas & nimium fluentes, dum dyſenteriam ſiſtit, id non fit aliter ac glutinando, cum ſit κολλητικόν, & ſic id ſuccinum capiendum eſt, huic conſilio intento appoſitum. Rationem quoque *Succini uſus in medicina.*

 ſingu-

ſingulorum eventorum exquiſitam tenebit juxta cum experientia, quæ ex ſecundiore ſucceſſu medicandi ſumpta eſt, hujus igitur delectus non ita negligendus. Illa tamen ratio in amuletis, quę & hic ſunt more Hippocratio [illegible] deſideratur. Nam contra lymphationes, contra incantationes, contra febres, contra venena nonnulli eodem utantur, atque hoc modo calidiores abſceſſus curare ſibi Avicenna permittit, atque ita in vulneribus conglutinandis id erit aptius, quod eſt ponderoſius, & ſic craſſarũ partium. Hoc enim modo vulnera prius exiccantur (eſt autem vulnerum curatio ipſorum exiccatio) & ſua pinguedine oleoſa ſuffarctit & conglutinat & inflammationem arcet. Quid quod & ædemata ſuo calore diſcutiat & ſiccitate humorem abſumat, ſed hic candidum magis accommodatum: non ita oleoſum, non ita grave, non lentum, ſed nonnihil λεπτομερὲς propter aut aereæ, aut igneæ ſubſtantiæ dominium & odorę acri. Hoc igitur modo iſtis vel naphtha vel ſuccinum candidum auxiliabitur. Porro ex his probè cognitis & perſpectis citra negocium attenditur, ut ſit cephalicum, dum gravedinem diſcutiendo & exiccando potius, quàm glutinando, tollit, dum præſertim ſi fuerit acri odore ſternutamentũ, atque ita eſt ptarmicum remedium, concitat, dum comiciali morbo correptos, adeoque in ipſo acceſſionis momento ſuffitu [illegible]as ejus excitat, non minus atque odor rutæ naribus appoſitus, ſicut & quotidiana experientia conteſtatur. Quare de exemplari Dioſcoridis

dis non ſemel dubitavi, ubi de naphtha ſic hodie legitur, ἐλέγχει καὶ ἐπιληπτικοὺς ὑποθυμιαζομένη καθάπερ ὁ γαγάτης λίθος, quod eſt, *gagatis lapidis more comitiales morbos deprehendit*, ubi verius cum ratione, tũ experientia ἐγείρει quam ἐλέγχει legendum eſt, cum magis decumbentes excitat quàm deprehendat. Non tamen ignoro quasdam medicinas eſſe, quæ ſacro morbo laborantes ἐλέγχειν id eſt deprehendere, explorare, inveſtigare, adeoque interdum conjicere, ejusmodi vere eſſe epilepticos deprehendunt. Nonne ſuffitus galbani, aut myrrhæ, aut ungularum caprinarum eosdem detegunt? Nonne id ipsũ jecur vel hircinum vel caprinum comeſtum præſtat? Odontalgicum quoque eſt, dum dentibus ex deſtillatione capitis laborantibus ejus decoctum cum rebus calidioribus admiſtis in aqua eluendo medetur, ſicut ex eodem aphtas gargariſmus curat. Quis non quæſo hoc loci aut candidum ſuccinum, aut certe naphtham ipſam præferret, præſertim vetuſtiſſimum. Siquidem & ætas diuturna ipſum ita exiccat, ut non tantum color nonnihil permutetur, (fere enim albeſcunt) ſed etiam ut digitis conteri propter raritatem & partium tenuitatem poſſit. Contra verò quando thoracicum, veluti cum hæmorrhagiam in qualibet parte cum ſanguinis rejectationem compeſcit (tribuunt enim omnes ſcriptores illi virtutem ſanguinem ſiſtẽdi) recentius ſuccinum, oleoſum, dulce & grave requiritur. Eſt quoque ſtomachicum, cum ventriculum præſertim frigidum & humidum,

 unde

unde faſtidium & nauſea naſcitur, quia calefacit atq; exiccat, juvare ſoleat, atq; hoc modo cephalalgiam ex flatibus hinc ſurrectis per conſenſum natam ſedat, atq; cardaligiam, quoties oſtiolum ventriculi, quod *Cardiar* Græci nominant, lipothymias cauſa male affectum iſthoc modo reficitur, atq; ſic cardiacon medicamentum cenſetur. Eſt & jecorarium, cum veſicæ bilis obſtructionem aufert candidum ſuccinū, & vetuſtum & in pollini modum redactum. Eſt & nephriticum & cyſticum, cum urinam ciere & calculum conterere ſoleat. Eſt & hiſtoricum, cum facultatem cito pariundi, quæ Græcis eſt ὠκυτοκία, ejus quippe candidiſſimi & leviſſimi pollen cum ariſtolochia epotus promoveat. Sicut & ſuo ſuavi odore ὑστερικὰς πνίγας & προπτώσεις, id eſt, uteri ſtrangulatus & procidentiam per ſua loca accommodata curat. Idem & ſecundas expellit, alterum verò pinguius & glutinoſius menſes redundantes, & è diverſo retentos eoſdem alterum irritat. Hæmorrhoidas apertas nimiumque fluentes, cruentamq; urinā, ſiſtit & compeſcit. Ita ex his non difficile ſuccini vim pro neceſſitate exacuere, quod & Galeno & ὀξύνειν & παροξύνειν, cum ejuſdem facultatis aliorum medicamentorum acceſſio juſta fieret, quales apud celeberrimos authores ſunt confectiones barbaræ dictæ, linctus & paſtilli δι' ἠλέκτρου. Notandus eſt hic præparandi, ne hac in parte ſtudioſis adoleſcentibus deſim, modus. Siquidem multum refert ut in uſu contritum fuerit. Siquidem medicamenta quæ per venarum

Succini præparandi modus.

rium oſcula abſq; ullo impedimento, & in partes corporis digerenda ſunt, exquiſitiſſimè conterenda, tenui incerniculo ita cribranda, ut tenuiſſima ſint. Contra quæ in ventre hærere debent, minus conterantur, atque hoc modo Galenus dioſpoliticon ad urinas movendas ſumebat, tenuiſſimum & minutiſſimũ pollinis modo erat: cum idipſum per alvum ducere volebat, craſſius relinquebatur. Ita in diſcutiendo & promovendo, ſit pulviſculus ſuccini ſubtiliſſimus, contra in conglutinando craſſior non tenui cibro excretus. Conficitur hodie & oleũ *Oleum ſuccini.* ſuccini opera Chymiſtarum, ſive id in capitellũ ſurſum verſus feratur, ſive in vas ſubjectum mox defluat, & ſicut illic eſt diſtillatio per aſcenſum & ſublimationem, ita hic per deſcenſum hodie dicta. Sunt qui in oleo communi maceratum, inſolatum & incoctum de integro in pulviſculum ſubtiliſſimum redigunt, qui in alio conteritur & liqueſcit. Id quoque cum oliva erat oleum ſacratum, præſertim cum ſacrũ morbum, id eſt, comitialem, dum naribus illinitur, ſedat. Poſtea & ulcera, reſolutaq; membra recreat, atque ſi quis pila metallica id concluſum fuerit, aut huic in nares diſtillaverit, aut tantum olfecerit, mirifice ſpiritus animales recreat, & capitis morbos mitigat. Hæc ſunt quæ in locum Taciti pro occaſione, paucis adnotare mihi viſum, maxime ut alios commonefacerem, quo cuncta diligentius rimentur. Optimum enim & hic aliorum frui inſania, & quiſq; cui mica eſt candoris, hunc conatum boni conſulet.

Suionibus Sitonum gentes continuantur. Cætera ſimiles, uno differunt, quod fœmina dominatur, in tantum nòn modo à libertate, ſed etiam à ſervitute degenerant. Hic Sueviæ finis.

XXVI.

DE SITONIBUS.

VErùm cum *Sitonas* Suionibus continuos, & perpetuos eſſe dicit, & ipſe ortum verſus pergit, absque dubio Sitonum regiuncula erit *Finlandia*, quæ Germanis à regionis pulchritudine ſic dicta eſt cui *Einnigia*, Germanis *Eynigk* quod propter eximiam fertilitatem ſingularis ſit terra. Eos autem per omnia Suionibus ſimiles facit, ſed γυναικοκράτεια contra naturã, id eſt uxorium imperium hos ab illis diſcernit, quo fit ut non ſolum libertas ſit amiſſa, vix unquam recuperanda, ſed etiam à ſervitute Germanorum, de qua ſupra nonnulla adnotavimus, degenerarunt. Hic licet in gynecratiam invehi & debacchari, quam & olim non pauci ſcriptores tã ſacri quàm prophani damnarunt, ſed pro dolor! quas non terrarũ partes occupavit?

Peucinorum, Venedorumq;, & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adſcribam dubito, quanquam Peucini, quos quidam Baſtarnas vocant, ſermone, cultu, ſede, ac domicilus, ut Germani agunt, ſordes omnium ac torpor, procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdatur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosque ſylvarum ac montium erigitur, latrocinius

ciniis pererrant, hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia & domos fingunt, & ſcuta geſtāt, & peditum uſu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diverſa Sarmatis ſunt in palustro equoq; viventibus. Fennis mira ferıtas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates, victui herba, veſtitui pelles, cubile humus, ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemq; venatus viros pariter ac fœminas alit. Paſſim enim comitantur, partemq; prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum hymbriumq; ſuffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur, huc redeunt juvenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasq; fortunas ſpe metuq; verſare. Securi adverſus homines, ſecuri adverſus deos, rem difficilimam aſſecuti ſunt, ut illis ne voto quidem opus ſit.

XXVII.

DE PEUCINIS, VENEDIS, FENnis, & Baſtarnis.

HActenus Suevorum nationem ampliſſimam & valde numeroſam explicuit, nunc prius Sarmatas ultra *Viſtulam* Cornelianæ Germaniæ recenſet, quàm totam ejus deſcriptionem claudat. Ita *Peucini Sarmatæ* utique ex vicinia Germani a *Peuca* monte, qui Carpatho ſeptentrionem verſus adhæret dicti, cujus accolæ ſunt, ubi hodie degunt *Poloni* cum *Lithavis* usque ad *Moſchos* ad *Boryſthenem*, quem illi

Neper nominant. Ita *Venedi* ſunt quoque in Sarmatia, ſed Germanis adnumerati juxta Ptolomæum videntur eſſe, qui intra *Viſtulam* & *Chronon* non longe à *Regiomonte* cohabitant, ubi eſt & *Venedicus ſinus*, quē hactenus *Curienſem* non ſine cauſa nuncupavimus, in quorum vicinia, videlicet à ripa Chroni atque Rubonis ripam *Sudini* electrogeruli Ptolomaici vitam degunt. Ita *Finni* eodem authore ſunt verſus meridiem à *Guytthonibus* ſtatuuntur, ubi hodie *Torunnenſes* ſunt cum *Graudentinis* usque in Maſſobiæ ducatum, quo loci eſt & epiſcopatus *Plocenſis*. Verùm ab ijs ne, an Venedis Finlandia propagata ſit alij divinabunt, mihi tota appellatio eſt Germanica. Finnis autem proximi *Ciſtoboci*, per quorum tractum etiamnum fluvius *Boc*— (cujus nomen prioribus ſyllabis ut ſit apud Germanos eſt corrupta) in *Viſtulam* ſeſe exonerans, ſicut ipſe vidi, fluit. Neque à Peucinis ita longe *Bodini*, quorum regio hodie eſt *Podolia*, diſſident, maximè ubi eſt *Camminiecenſis* epiſcopatus, niſi quodam modo eorundem propter *Tractatorum* incurſiones ſedes commutata eſſet. Poſtremo *Baſtarnæ* ſunt *Rutheni* (nam *Moſchi* ſunt quoque *Rutheni* ſed *albi*) intra Axiacem & Tyram fluvios, & hic hodie *Neſter* nominatur, ad quem *Leopolis*, quàm nos Ruthenium *Lempergum* nuncupamus, ſita eſt. Verum Tacitus incertus de iſtarum nationum diſcrimine. Nam *Peucinos* & *Baſtarnos* eſſe quorundam ſententia aſſerit, qui ſi ſermonem, ſi veſtitum, ſi ſedem, ſi domiciliorum ſtructuras ſpectas, Germani

mani ſunt. Sin autem ſordes & adulterina connubia, *Sarmatæ* ſunt, quorum mores & *Venedi* referunt. Nam latrocinijs victitant, ſed ex domorum exædificatione, ex armorum genere, ex pedeſtri aciei forma & velocitate Germani ſunt. Ab his Venedi, *Sclavos*, ipſe juxta cum alijs deducerem & *Vandalos* nuncuparem, niſi Vandalos Germanos tum habitu, tum lingua fuiſſe tenerem. Quare ex Aſia *Henetos* eſſe eosdem, niſi & hic quædam argumenta eſſent impedimento, juxta quorundam opinionem affirmarem. *Fenni* autem notantur, modo à moribus, quia feri ſunt homines, modo ab adverſa fortuna, quia pauperrimi ſunt, inermes & ἄνιπποι, modo à victu, quia herbis victitant, modo à veſtitu, quia rhenonibus ornantur, modo à lecto geniali, qui terra eſt, modo à telorum genere, quia ſagittis, quarum faſtigia exaſperata, cum ferrum deſit, oſſibus ſunt, modo ab affectatione, quia venationi uterque ſexus ſtudet, & prædæ partem ſibi vendicat, modo à domicilio, quod illis ex ramorum connexu fieri conſuevit. Tales ſunt & hodie *Wildelappi* & *Engrovelandi* ultra Suetiam.

Cætera jam fabuloſa. Hellusios & Oxionas ora hominum vultusq; corpora atq; artus ferarum gerere, quod ego ut incompertum, in medium relinquam.

XXVIII.

XXVIII.

DE HELLUSIIS ET Oxionibus.

Helluſios Plinius *Hellevionès* nuncupat, eosq́; Inſulares facit in *Codano ſinu*. Si hæc vera ſunt, tunc erit Peninſula, quæ non longè à Gedano ſinum efficit, hodie dictũ *Pucicum*, & à nobis forſan propter diſcrimen mihi ignotum Boruſſiacum *Heilum* vocatur, hinc rectà flante auſtro, in *Schondaviam* navigatur. Ita ex Solino liquet *Oonas* in Scythicis inſulis boream verſus cohabitare appellatos, quod ovis marinarum avium victitant. Eſt enim notum ut ὠὸν ſit *ovum*, ibique monſtroſos homines olim conſtituiſſe videntur, cujuſmodi ſunt ἱππόποδες ut quibus eſt facies humana, ſed ij in equinos pedes deſinunt. Tacitus autem iſthæc fabuloſa, & ſibi incomperta in medio relinquit. Verùm in ijsdem partibus tales non videntur, neq; in Scythia, quam hodie *Tartari* inhabitant. Atq; ipſe easdem oras peragravi, præſertim legatus, nunquam vidi, nunquam audivi ejusmodi homines alicubi degere. Monſtroſas autẽ in Africa, & Aſia figuras plærique omnes adnotarunt. Cæterum monſtra marina ipſos vidiſſe arbitror in Italia inſuetos, quorum aliquot faciem hominis, imò & nonnihil vocem referunt, quæ cum viderant Itali ex ijsdem homines finxiſſe videntur. *Hillevionum* autem potentia tum ex bello contra Carolum Magnum, tum ex quingentis pagis manifeſtiſſima eſt.

SUEVI FLUMINIS CONtra omnes Geographos Hiſtoria.

PTolomæus in totius orbis deſcriptione, prudenter recentioribus hiſtorijs magis credendum eſſe voluit, vel quia propter magnitudinem non ſatis probè cuncta deprehenſa ſunt, vel quia non ſemper eodem modo ſe habent, vel quia fabulatores hiſtorias neſcio quas fingunt. Quare conſultiſſimum eſt per certam indagationem noviſſimis hiſtorijs libentius fidem adhibere. Ejus autem conſilium ſecutus & hiſtoriam antiquam *Suevi* fluminis non negligam, ut veritas certior eluceſcat. *Suevi* juxta Ptolomæum ex *Aſciburgio monte* ortus, ſed ejus oſtium juxta Laciburgium eſt. Quod eſt, in montanis quæ per Sileſios usque ad Polonos *Cracoviam* verſus, (eam amplitudinem ſub *Aſciburgio monte* capimus) exporrecta ſunt, Suevi fons eſt, ſic oſtium juxta *Laciburgium*, quod rectius *Roſtochium* quàm *Sundinum* eſt. Nunc attendendum eſt, ut recens hiſtoria cum illa conveniat. De fonte quidem tantam controverſiam non commovebimus. Oritur hodie ſupra *Budiſſam* ad auſtrum circiter duo miliaria Germanica, eaque communia in pago, cui & à fonte Suevi nomen inditum, & *Spreunbergk* dictum eſt, quod Latinis eſt *mons Suevi*. Germani autem fere Suevum *Sprevum* corruptè

Suevus *fluvius.* Bautzen. Spreuberg.

rupte

rupè nuncupant, ubi ruſtici agriculturam exercere nequeunt propter montium aſperitatem, ſed lignis ſectis victum quæritant, & multas *ſcandulas* divendunt. Sunt enim in Sileſia domus plæreque ſcandulatæ. Hinc igitur ortus Budiſſæ intra ſex oppida ſuperioris Luſatiæ numeratæ mœnia allabitur, & hinc *Cotbuſium* petit, ubi juxta arcem molam & inſignem & utilem agit. Poſtea eſt ingens tum latitudine tum longitudine ſylva, Cotbuſio *Lubenum* uſque extenſa, à Suevo *Sevica* dicta ibi ſeſe diffundit, ibique plurima ſunt alneta, mox *Lubeni* mœnia relinquens, trajectum recipit, qui neq; hodie nomen amiſit, etiamſi ibidem ponte junctus ſit, maximaque eadem parte eſt ejusdem flexura, quare *curvum Saevum* nuncupant, quousque *Beſcavum* perveniat & ab hoc *Furſtenualdum*, ubi & Dominicæ Eccleſiæ locus eſt, ſed per indoctos homines penè deſertus, inter *Coppennicum* confluit *Berlinum*, ubi *Coloniam* & Berlinum diſterminat, arcemque magnificentiſſime extructam Illuſtriſſimi Marchionis electoris noſtri ſedem allabitur, illinc circiter duo miliaria circa arcem *Spondavienſem* in *Havellam* ſeſe exonerat, nomenque ejus intercidit. Cæterum *Havella* fluvius veteribus prorſus fuit ignotus, in Marchia non longe à *Sedenico*, ubi juſto alveo ad iſtius oppiduli murum confluit, & illinc rectà petit ad meridiem, à ſeptentrione *Spandavy* arcem & natura & arte munitiſſimam ab oppido ſegregat.

Schindeln. Der Spreiwaldt. Beſcaw. Fürſtenwald. Coppenick. Die Havel. Zehdenick. Spandaw.

gat, Suevumque excipit, atque *Havella* ibidem regiunculam ab eo dictam conficit. Quare ad auſtrum vergens *Brandenpyrgum* totius Marchicæ civitatis & metropolim, & caput allabitur, mox inde per *Rathenam* oppidum non longe ab Havelburgo prope arcem celeberrimam *Leuntzium* dictam in *Albim* confluit. Hæc eſt hiſtoria tum compendioſè tum verè obſervata. Falſi autem ſunt veteres & *Havellæ* nomine & negligenti in parte Boreali indagatione, eosque non ſine contumelia recentiores ſecuti ſunt. Ecquis non hic perſpicit, ut non ſit Suevi oſtium prope *Lacsburgum*, cum in *Sundinenſi agro* nullus fuit fluvius, & *Roſtochij* eſt alius fluvius *Varna* nominatus, ubi & ejus oſtium *Varnemundt* circa ejus urbis mœnia cernitur. Verum de colore aquarum & hic pauca adnotanda ſunt. Statuantur autem docendi gratia quinque cauſæ communes, quibus & ſuæ, ut fieri ſolet, partes includuntur, & ſunt alveorum terræ, arenæ, calculi, ſaxa & ſtirpes. *Terra* quidem alveorum in eluvione multiplex eſt, vel alba, vel lutea, vel fulva, vel rubra, vel viridis, vel glauca, vel nigra, vel ſanguinea. Tot colorum differentiæ in aquarum coloribus ferè viſuntur, & ſi quis ſingulorum cauſas rimaretur, longior æquo eſſet.

Brandenburg.

Leutzen.

Varemunde.

Fluminum colores.

Sit autē ejus exemplū, *alba aqua* fit aut creta, aut terra candida, qualis eſt argilla, ut eſt Danubiana aqua, aut candido gypſo, aut alumine, aut ſulphure. Ita albedo aquæ ex rerum quas alluit,

& lam-

& lambit, miſtura ſtatim dijudicaretur. Eodem modo *viridis* eſt, vel arborum vel graminum in ripa ſeu in alveo perſiſtentium irradiatione, vel ubi ſunt æraria. Sic *lutea* eſt, ubi ochra redundat. Sic *nigra* eſt ſeu atramenti ſutorij, ſeu melanteriæ permiſtione, ſeu ſtirpium paluſtrium inſitione. Jam verò *Suevi aqua nigricat*, ejusque cauſam unam eſſe ex ſuperioribus neceſſe eſt. Terra quidem alveorum non eſt, cum hæc paſſim ſit ſubrubra, cujus ratione citius rubeſceret, neque arenæ alterius ſunt coloris, neque calculi hic ſunt aut ſaxa, quibus ramenta metallica adhærerent, à quibus aqua inficeretur. Sæpe coctione idipſum explorare volui in vaſe cui eſt operculum, ut fit in diſtillatione, per nares aqua exhalat & abſumitur, non aliter ac partes aquæ, acris & ignis intercidere ſolent, animadverti ut in fundo vaſis aut nihil, aut certè parum ſubſedit, ut id exiccatum lento igne eximeretur & dijudicaretur, atramentum nec eſſet ſutorium, an melanteria, & ſi multis modis vel prima lingua deguſtando experiri tentaveram, mox ad aliam cauſam animum meum applicui, & ex arboribus nigreſcere ſtatui. Siquidem in hoc flumine multæ ſunt *alni*, quarum cortice aqua denigratur, ſicut idipſum in baptica officina dilucide cognoſcitur. Eſt enim *ſylva Suevica* (interluit enim eandem Suevus) alias & betulis refertiſſima, ſicut ipſe experiens, hæc cuncta loca perluſtravi. Nam plus tricies circiter mille paſſuum uſque ad ar-

Suevi aqua qualis.

ad arcem & loco & arte munitiſſimam *Lubenaniam* dictum, quàm vere nobilis & pietate, & genere *Schulenburgiorũ familia* incolit, lintre & monoxylo pernavigavi. Quare aliæ rationes non erant obſcuræ, cur piſces, præſertim *gobiones*, eſſent nigriores, cur propter virtutem aſtrictoriam ijdem cute & carne eſſent denſiore, atque ita multorum palato ſapidiores. Eadem eſt ratio in *Vartá* flumine, quod à *Viadro* prope *Coſtrinenſem* arcem excipitur, itaque Boiemi *Vartæ* malunt lupos, quàm Viadri. Poſſunt & viſu, cùm ſint nigriores, & quibusdam maculis inſignes, & tactu, cum durior & carnis & cutis ſint, dignoſci. Quare ijdem cocti, palato nobis tanto gratiores eſſe ſolent. Hæc ſunt quæ obiter de Suevi fluminis fonte, oſtio & colore, & ſapidioribus piſcibus contra Geographos tam veteres quàm recentiores ad veritatem certius explorandum obſervare volui. Die Warte.

FINIS.

BILIBALDI PIRCKHEYMERI, GERMANIÆ, TAM SUPERIORIS quàm Inferioris,

DESCRIPTIO.

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO HERMANNO NEVENARIO, COMITI AC PRÆpoſito Colonienſi, &c. Bilibaldus Pirckheymerus S. D.

EN TIBI, COMES ILLUſtris, Germaniam noſtrã σκιαγραφίαν, in qua nil certius affirmo, quam quod nihil fere affirmo: attamen anſam fortaſſis tam tibi, quam eruditis reliquis præbuero, ut exactius, quam nos fecimus, Germaniam noſtram illuſtrent. Quid enim abſurdius, quam Germanos orbem deſcribere univerſum, patriam tamen interim propriam nequaquam ex oblivionis vindicare barathro? Proinde quod Germaniam ultra Viſtulam, & ad Tanaidem uſque extenderim, ex ſcriptorum priſcorum auctoritate feci, ac ideo calumniam parvipendo: nec Germanis vicio dari poterit, quod tam latas amiſerint, ſeu potius reliquerint provincias, quum

quum pro cælo inclementi, arvisque ſterilibus tam felices adepti ſunt regiones, veluti Gallias, Hiſpanias, imò Italiam ipſam, ut interim de Africa, ac quicquid in Aſia à populo illo actum eſt, ſileatur. Hoc plane conſtat, ſi Germanis ob res magnifice geſtas pares eveniſſent ſcriptores, quod nullis gentibus factis clariſſimis poſteriores fuiſſe legerentur. Cæterum, quid tua parturiat generoſitas, avide exſpectamus, quum illam nil niſi delicias párere ſcimus. Nos Ptolemæi librum primum, tam Græce, quam Latine brevi dabimus: inde & reliquos, adjunctis tabulis, ſi divina conceſſerit bonitas, cum pleriſque ad Geographiæ cognitionem non minus neceſſariis, quam jucundis. Tua interim bene valeat Claritudo, & nos (ut facit) amare non deſinat. Norimbergæ, Calendis July, Anno Salutis M. D. XXX.

GERMANIÆ

EX VARIIS SCRIPTORIBUS *perbrevis quædam Explicatio.*

ADmodum difficile eſt, veteris Germaniæ ſtatũ ac conditionem explicare, non ſolum ob priſcorum ſcriptorũ incuriam, ſed quia ſerò tandem tota peragrata ac cognita eſt. Etenim cùm veteres Germani bellis potius, quàm literis, operam impenderint; nil mirum, ſi res præclaræ ab eis geſtæ interciderint, ac minus fideliter ab exteris relatæ ſint ſcriptoribus. Quid enim Græci præter fabulas de Germania ſcripſerunt? Romani verò, quoniam ubique ferè propriæ ſtuduerunt gloriæ, non tam geſta ſua maximis extulerunt laudibus, quàm incommoda à Germanis accepta callidè texerunt. Quis enim eorum clades à Carbone, ſeu L. Caſſio, aut Scauro Aurelio, vel Servilio Cœpione, ſive M. Manlio acceptas exacte recenſet, quas tamen breviſſime Tacitus refert, & Cæſar Caſſium conſulem occiſum, exercitum vero ejus pulſum eſſe nequaquam diſſimulat. Quin & nulla, præterquam Paterculi nuper inventa extat hiſtoria, quæ Quintilij Vari cum legionibus internitionem explicat. Unde non ab re ſuſpicari licet, tam Plinij *de bellis Germanicis libros*, quam Cornelij ac aliorum ſcripta ab invi-

dis

dis eſſe ſuppreſſa, ne Germanorum gloria plus æquo excelleret. Accedit quod Romani & Græci ſcriptores ut plurimum ob ignorantiam locorum aberrarunt, non ſolum ij, qui nunquam ad Germaniam acceſſerunt, ſed & qui res in illa geſſerunt. Cujus rei vel præcipuum documentum eſſe poteſt, quod Cæſar flumen *Scaldæ* in *Moſam* influere ſcribit, ac Strabo *Lupiam* & *Viſurgium* ad *Amaſium* in unum deferri refert. Accedit quod & nomina gentium, locorum ac civitatum, ubiq; fere, ob pronunciationis difficultatem, depravata ſunt & inverſa. Demum vero univerſalis Germanorũ transmigratio omnia confudit, ac ita perturbavit, ut in quibusdam potius conjecturã ſequi neceſſe ſit, quam quod aliquid certi aſſeri poſſit: nihilominus tamen, operam dabimus ut breviſſimè, etſi non omnia, at quædam ſaltem loca, tanquam è cæcis eruamus tenebris, nil in hac re doctioribus præjudicantes; ſed libenter, ubi melius quam nos ſenſerint, herbam porrigentes. Proinde licèt ſcriptores plerumque Germaniam à Gallia, per *Rhenum* fluvium dividi aſſerant, conſtat tamen Romanos eam quoque provinciam, quæ ultra Rhenum eſt, *primam* ac *ſecundam* appellaſſe *Germaniam*: quod profectò minimè feciſſent, ſi Germanis quicquid ultra Rhenum eſt, auferre voluiſſent, qui pridem, ac ante Romanorum adventũ in Galliam tranſierant, illamq; incolebant. Unde & lingua & legibus à Gallis, ut Cæſar refert, differebant. Ab ea igitur Germaniæ parte initium faciemus, quæ ultra *Danu-*

bium ſita, & à Romanis olim ſubacta eſt, indeque ad *Rhenum*, ac inferiorem accedemus Germaniam, demumq; ad Germaniã transgrediemur magnã. Verum ſub initiũ hoc ſcire refert, Romanos *Rhetiam*, *Vindeliciam* & *Noricum* ab Auguſti tempore uſq; ad Odoacris irruptionẽ, hoc eſt, per annos circiter quingentos, poſſediſſe, qui cum Italiam occupaſſet, omnes fere Romani nominis incolas in Italiam reduxit, ne irruentibus Germanis cederent in prædam.

RHETIA.

Rhetiæ igitur nomine cõtinebatur olim, quic quid terrarũ inter Rheni fontes, nec non montem *Adalam*, & *Ænum* fluviũ juxta Alpes cõtinetur: præterea inter *Danubiũ* & Italiam, Veronam uſq; & Comum, ita ut & Alpes, qui nunc *Curienſes* & *Atheſini* vocantur, Tridentini, Tyrolenſes quoque, & Oeni Vallis incolæ omnes ſub *Rhetiorũ* nomine compræhenderentur, excepta *Vindelicia*, quæ propriũ eſt ſortita nomen. Hanc *Rhetiã* licèt jam multi ac varij inhabitent populi, maximè verò Alpeſtres ac Suevi, illaq; pluribus & varijs ornata ſit civitatibus, pauciſſima tamen Romanæ antiquitatis reſtant veſtigia, licèt aliqua ſuperſint, & primum

JUXTA RHENUM ET NON longè ab illius fontibus,

Curia *Cur*. certum.
Bregetium *Bregnitz*. certum.
Sublavio *Brixen*.

Abuſiacum

Abuſiacum *Fueſſen*. certum.
Marreio *Ma[illegible]* certum.
Campodunum *Kempten*. certum.

JUXTA DANUBIUM verò,

Targetium *Stulingen*.
Bracodurum *Pfulendorff*.
Dracuina *Ehingen*.
Viana *Weyſenhorn*.
Pheniana *Laubing*.

IN MEDITERRANEIS:

Druſomagus *Memmingen*.
Roſtronemanice *Mundelheim*.
Tarodunum *Riedling*.
Aræ Flaviæ *Nordling*. vel potius *Heydenheim*.
Rinſiana *Giengen*.
Alcimoens *Werd*. con. Vel Eyſtavia, aut Albus-burgus.

Et hæc omnia conjecturaliter.

VINDELICIA.

Vindelicia adhærent Rhetiæ, vel potius illi incluſa eſt, terminatur autem ab ortu flumine *AEno*, à meridie Alpibus, ab occaſu *Lico* fluvio, à Septemtrionibus *Danubio*. Hanc jam potiſſimum incolunt Bavari, tum inferiores, tum ſuperiores. Juxta Licum verò Suevorum pars. Strabo *Licatios*, ſeu *Clautenatios* & *Venones* inter Vindelicos fortiſſimos eſſe dicit.

CIVITATES AUTEM ANTIquæ in illa ſunt.

Auguſta Vindelicorum *Augſpurg*. certum.
Damaſia *Dieſſen*. certū: juxta lacū Ambræ.
Ambra *Amper*, apud lacum & fluvium ejuſdem nominis. certum.
Parthanum *Partenkirch*. certum.
Inutrium *Mittemwald*. certum.
Cambodunum *Kemmat*. certum.
Pontes Scaphoni *Scheffelern*. nunc monaſterium ſuper fluvio Iſara. certum.
Carrodunum *Kreynburg*. juxta *Waſſerburg*. certum.
Vallatum *Feilenbach*. certum.
Fruxinum *Freyſing*. certum.
Iſniſca *Iſen*, juxta Friſingam.
Mocenia *Motzing*. certum.
Piſonium *Wiſchelburg*. certum. inter Straubingam & *Deckendorff*.
Medellum *Melding*, apud *Muldorff*. certū.
Attilia *Altenburg*. certum. non longe à Neuburgo juxta Danubium.
Caſarea *Reſchnig*. certum. non longe ab Ingolſtadio.
Sumuntorio *Hohenwarth*, monaſterium. certum.
Abudiacum Danubianum. *Abach*. certum.
Auriſium *Rot*, certum.
Abuſina *Abenſperg*, certum.
Epona *Ebenburg*, certum ſupra novam civitatem.

Arto-

Artobriga jam *Veltenburg* Monaſterium ſupra Ratiſponam: certiſſimum ex magnis ædificiorum ruinis.

Abudiacum *Happing.* juxta *Roſenheym.*

Tigurina metropolis Norici, vel Auguſta Tyberii, ſeu Regino-Polis *Regenſpurg.* certum.

Regium *Rocking*, non longe à Ratiſpona,

Vetera caſtra *Pfeteren.*

Auguſta Acilia *Straubing*, nempe civitas antiqua, quæ & hodie *Azelburg* vocatur, certum.

Quintianis vel Quintianorũ Colonia, *Kuntzing* juxta *Filſhoven*, certiſſimum.

Boedurum vel Bocodurum, vel Bolodurum, vel Batabis, Ptolemæo Poedicum. *Paſſau.* certiſſimum. propter confluentiam Æni in Danubium.

NORICUM.

Noricum incipit ab Æno fluvio, protenditurque ad ortum Pannoniam uſq; ſuperiorem: à meridie autem terminatur monte *Carvanca*, & Alpibus Noricis, ad Italiam usque: à Septentrionibus autem *Danubio*: nunc vero inhabitant occaſum verſus *Bavari*. Ad ortum autem eſt provincia, quæ *Ens* ex fluvii Anaſſi nomine vocatur, & Auſtriæ pars: ad meridiem autem *Styria*. In Alpibus vero habitant *Carnici*, partimque *Croati*. gens Sclavonica, comprehenditurque Norici nomine Comitatus *Goricenſis* & *Zilienſis*, regionesque adjacentes.

CIVITATES IN NORICO.

Pontes Oeni *Oeting.* certum.
Bidaio *Laufen*, conjectur.
Bedacum *Burckhauſen.* conjectur.
Juvavium *Saltzburg.* certum.
ſeurnia vel Berunum *Pernau*, certum, apud lacum *Kemſee.*
Aredata *Lintz.* conjectur.
Gamanodurum *Braunau.* conjectur.
Ovilabis *Lambach.* monaſterium jam ſuper flumen Ens certum.
Lauriacum *Lorch*: monaſterium juxta civitatem Ens. certum.
Geſſodunum *Ips.*
Claudionum *Melck.* certum.
Cetio *Zeyſſelmaur.*
Auguntum *Newenſtat*, vel prope: quia nomen repugnat.
Vacorium, vel ut aliqui putant, Sacarbantia, *Gretz*, conject.
Pedicum *Pruck*, ſuper flumen Mura, conjectur.
Virunum *Judenburg.* conject.
Zelia *Cili.* certum.
Julium Carnicum *Villach.* certum.

PANNONIA SUPERIOR.

Pannonia terminatur ab occaſu Norico: ab ortu verò Pannonia inferiori, à meridie parte *Iſtriæ* ac *Illyridis*, à Septentrionibus autem *Danubio*. Nunc vero illam inhabitant *Auſtriæ* populi,

puli, ac *Styri*, nec non Sclavorum gentes *Croati* & *Carni*.

IN EA SUNT CIVITATES,

Juliobona vel Vindobona, ſeu Vindomana, aut Favianis *Vienna*, certum.
Sabaria, colonia divi Claudii. *Stain am Anger*. certum.
Carnus *Preſpurg*. conject.
Muriola *Mureck*. conject.
Bregetium *Rab*. certum propter confluentiam Rabonis vel Arabonis in Danubium.
Carnunto *Peternell*. conject.
Petovium ſive Patavium *Petau*. certiſſ.
Noviduṛum *Laybach*. conject.
Et ſub Norico Pannoniæ, Emona, *Clemona*. certum.

PANNONIA INFERIOR.

Habitatur jam ab *Hungaris*, *Sclavis*, *Siculis*, *Jazygibus*, *Hunis*, *Cunis*, *Septem caſtrenſib*. *Germanis* & plæriſq; aliis nationibus, Hungari tamen prædominantur.

CIVITATES EJUS:

Vimundria *Agran*. conject.
Salinum *Ofen*. conject.
Teutoburgium *Senna Eredet*, certum propter confluentiam Dari in Danubium.
Milatis *Vilack*. certum.
Sirmium *Simach*. certum.
Taurunum Alba Græca. certum. propter confluentiam Danubii & Savi.

Hermo-

Hermonactus *Kilia.* conject.
Zeugma *Clauſenburg.* conject.

ZarmisGethuſa, domus venationis Zarmidis regis: nunc Corona apud Septem-caſtra.

Reliqua propter variarum gentium incurſiones conjectore indigent.

Nunc verò tranſcenſo Rheno ad Helvetios perveniamus, licet Helvetiorum deſerta in Cisrhenana ponantur regione.

HELVETII.

Helvetiorum nomine continebatur, quicquid nunc *Suitenſes* & confœderati poſſident, Rauraços usque & Baſileam.

CIVITATES HORUM.

Lacus Brigantinus, in quem Rhenus influit, nunc lacus *Conſtantiæ* eſt, hunc *Ceretos* & *Vindelicos* Strabo attingere refert,
Arbor felix *Arben*, certum.
Gammodurum Conſtantia, conject.
Vitodurum *VVinterduer.* certum.
Turegum, vel pagus Tigurinus, *Zurich.* certum.
Avanticum *Bibelſpurg.* certum,
Solaturum *Soloturen.* certum.
Vindoniſſa, vel Vindonis *VVindiſch*, apud monaſterium *Kungsfelden*, in quo eſt ſepultura Comitum de *Habſpurg.* certum.
Et verſus Sequanos & Heduos, nunc Burgundiam & Lotharingam.
Viſontium *Biſantz.* certum,

Naſium

Naſium *Nanſe.* certum.

Poſt Helvetios habitabant *Raurici*, quorum caput Auguſta Rauricorum. *Augſt*, pagus nunc ſupra Baſileam miliare unum. certum. Baſilea. crevit hæc ex ruinis Auguſtæ. *Baſel.* certum.

Strabo deinde Mediomatrices ponit: poſt quas *Tribochi* eam tenebant terram, quæ nunc *Alſatia* dicitur, ad Sequanos usque, & Hunorũ tergum. Siquidem dum Huni rerum potirentur, quicquid ad ortum poſſidebant, *Oſterreich* nominabant; quicquid autem ad occidentem *VVeſterreich.* His Strabo *Triusgros* adjacere refert, apud quos tum temporis Roman. Imperatores pontem ſupra Rhenum ædificabant.

Monte Briſiaco, vel Breucomagus, *Breyſach.* certum.

Argentoratum *Straßburg.* certum.

Tabernæ *Zabern.*

Non deſunt qui Argentoariam *Colmar*, Elcebum vero *Schletſtat* eſſe putant, ſed falluntur: nam ſupra Rheni ripam Argentoaria & Elcebus erant.

Sequuntur *Vangiones*, nunc Spirenſes, quamvis uſus obtinuit, ut Vangiones *VVormatienſes*: Nemeti vero Spirenſes dicantur, ſed præpoſterè.

Berbetomagus. *Speyer.* conject. Ptolemæus verò Argentoratum Vangionibus attribuit.

Hærebant his Nemeti, quorum fines ad Treviros usque extendebantur.

CIVITATES CUJUS

Ruſiniana *VVurms.*
Neomagus *Oppenheym*, vel Spira potius.

Quamvis nõ deſint, qui Ruſinianam *Speier*, Neomagum vero *VVurms* eſſe putant. Bauconiam autem *Oppenheym.*

His juncti erant *Treviri* occidentem verſus quorum olim fines latiſſimi erant: nam à Rheno ad Mediomatrices usque extendebantur, pariter & ad *Menapios* & *Moſam*, ita ut quicquid hodie à *Moguntiaco* per Trevirenſis [illegible] ditionem & *Moſellæ* montes, ſeu *Obrin.* tractum, ad Arduennam, & ultra, necnon quicquid per provinciam nunc *VVeſterreich* & Lucelburgium continetur, id omne Trevirenſis erat ditionis.

CIVITATES VERO JUXTA Rhenum ſunt:

Mocontiacum *Mentz.* certum.
Bingium vel Vingio, hic Naus fluvius in Rhenum exit. *Pingen.* certum.
Legio Trajana *Drechshuſen*, quaſi Trajani domus.
Voſavia, aliàs Ficelia, *Obervveſel*, ibi cæſa & ſepulta eſt Mãmæa mater Alexandri Imp. cert.
Bodobriga *Poparten.* certum.
Confluentes *Coblentz.* ibi Rigodolum eſt oppidum Ammiano: quamvis etiam non longe à Trevirorum Auguſta pagus ſit, qui hodie quoq; *Rigol* appellatur.

Et hic erat limes Germaniæ ſuperioris, quem *Obrincus* fluvius dirimebat. Inde Germania ſequebatur inferior.

IN MEDITERRANEIS autem civitates:

Auguſta Trevirorum *Trier*, certum.

Novomagum ſuperius. *Nymag* pagus circa *Berckaſtel*.

Pontes Sarni *Sarpruck*, certum.

ET VERSUS MEDIOmatrices:

Durocortorum, *Arencort*, juxta portum S. Nicolai.

Matricorum, ſive Dinodurum. *Diedenhoven*, in ripa Moſellæ, à Francis *Theodonis villa* vocata, regia Caroli Magni. cert.

Cæterum non parva eſt diſceptatio, quis ſit fluvius *Obrincus*, quem Ptolemæus ſupra Moguntiacum ſtatuit. Quidam enim illum, *Naum*, qui juxta Bingium in Rhenum defluit, eſſe putant. Alii etiam Rhenum transgreſſi *Mœnum* eſſe cenſent: ſed proculdubio *Moſella* eſt, licet Ptolemæus in ejus ſitu (forſitan ex aliorum relatione) deceptus videri poteſt Equidem ſi Naus eſſet, ſequeretur, quod Moſella penitus à Ptolemæo fuiſſet obmiſſa: quod planè incredibile eſt, quod fluvius adeo inſignis fuiſſet neglectus, & longe minor, *Naus* nempe, recenſitus, qui & ipſe non ſupra, ſed infra Moguntiacum labitur, *Mœnum* verò per Ob-

rincum

tincum deſignari, plane ineptum videri poteſt, quod in deſcriptione ſuperioris & inferioris Germaniæ, tranſcenſo Rheno, Mœnus deſcribi, & quaſi humeris ultra Rhenum transportari deberet.

Ripuarii dicti ſunt, qui in Treveris ad Moſellæ habitarunt ripam, nec non inter Moſellam, Rhenum ac Moſam, à Francis *Ripuaria* vocata eſt *Neuſtria* & *Auſtraſia*.

A Confluentibus verò *Ubiorum* incipiebat ditio, quorum fines ob fidem egregiam, mirum in modum à Romanis fuere auctæ: traduxit hos Agrippa ad ripam ulteriorem, ſed non invitos, ut Strabo ait.

HORUM URBES ERANT:

Autunaco vel Autiniacum, ſed forſitan potius in Treveris quam Ubiis eſt ponendũ. *Andernach*, cert. ibi conditum eſt corpus Valentiniani Imperatoris.

Rigomagus, hic Arar Rhenum influit. *Reinmegen*: certum.

Bonna *Bon*. certum. ex cujus oppoſito *Genoſia* eſt, ubi Druſus, teſte Floro, Rhenum ponte conjunxit.

Agrippinenſis Colonia, Ubiorũ caput. Colonia, *Colln*. certum.

Noveſium Tacitus in Legnis, quemadmodum & Geldubam eſſe ſcripſit, *Neuſz*. certum.

ET IN MEDITERRANEIS.

Marcodurum *Duren*, certum.

Duro-

Duromagus *Durmegen*. cert.
Juliacum *Juich*. certum.
Coriovalum ad Menapios pertinebat potius, quam Ubios. *Ach*, vel prope cert.
Lugodunum *Sevenburg*.
Gelduba, nunc diruta, pagus adhuc vocatur *Gelb*. juxta arcē Linē Epiſcopi Colonienſis.

Ubiis verſus occidentem hærebant *Menapii*, quorum fines olim latiſſimi erant: ad Caſtellum enim protendebatur oppidum, eratque ſub ditione eorum tractus ille, qui juxta montes ſunt, quos nunc *Eyſtiam* adpellamus, ac quicquid inde eſt usque ad *Morinorum* terminos, nec non Comitatus Namurciæ, Ducatus Lymburgenſis & *Falckenburg*, ac trans flumen Moſam pars Hannoniæ ad Picardiam usque & Eburones. Habitarunt enim utramque Moſæ ripam auctore Cæſare & Tacito. *Paludes* verò *Menap orum*, quorum & Strabo meminit, inter Eyſtiam & Limburgenſem ſunt Ducatum: regio hodie *Alta palus* vocata, hominibus ferè inacceſſa, & vix ſtructis quibuſdam ſemitis permeabiles. Sunt & circa Geldriæ confinia Menapiorum paludes, in ea regione, quæ hodie vocatur *die Vogtey von Geldern*, juxta *Venlo* et *Kempen*. Strabo hos noviſſimos ad utramq; fluminis ripam eſſe dicit.

Menapiis adhærebant *Morini*, quorum portus Geſſoriacum, nunc *Cales*.
Caſtellum, *Keſſel*. juxta Moſam oppidum dirutum.
Vaganum oppidum non procul à Caſtello, *VVagenheym*.

Tongeren civitas.
Namurcum *Namur.*
Leodium *Lutich.*
Atuacum vel Atuacutum *Maſdricht* cert.
Samobrina Cameracum, *Camerich* cert. vel potius S. Quintinus.
Tarvana *Tervvan.* certum.
Tornacum *Tornach.* certum.
Geſſoriacum navale *Gent.* certum.
Lugodunum *VVorkum*, vel mons S. Gertrudis.
Icius portus, vel Geſſoriacum. *Cales.* cert.

Deinde *Batavorum* ſequebatur regio: obtinebant autem Batavi quicquid à ſectione Rheni inter Moſam & Rheni compræhendebatur oſtia. Cæterùm hoc prætereundem non eſt, quod licèt Ptolemæus tria Rheni ponat oſtia, Tacitus tamen niſi duorum mentionem facit: unum, ubi Moſæ commiſcetur, & *Vahalis* vocatur. Alterum verò, quæ Germaniam præter vehitur, donec Oceano miſceatur. Strabo quoque duo oſtia Rheni ab Aſinio tradi refert, eosque accuſandos, qui plura dicunt, idemque Pomponius Mela ſentire videtur. Noſtro autem ævo tria Rheni oſtia eſſe ſcimus, quorum tertium, *Iſula* vocatur. Utrum igitur tertium illud Taciti tempore haud fuerit, ſed poſteriore eruperit tempore, indagatione nequaquam indignum videtur. Duæ namque jam inſulæ inter Rheni ſunt oſtia, Batavorum & Caninefatum, quorum altera, *Velania* dicta eſt. Retinet & tertium oſtium Inſulæ nomen, eſtque regio

gio ea pars Geldriæ, & diœceſis Trajectenſis, nuncque *Inſula ſuperior* appellatur. Comprehenditur & magna pars *Hollandiæ* ſub Batavia, nec non ea terræ portio, quæ patrum noſtrorũ ætate ab Oceano eſt ſubmerſa. Tacitus *Batavos* virtute inter Germanos fuiſſe præcipuos refert, & *Chattorum* olim populum, ob ſeditionem in eas ſedes transgreſſos. Proinde licèt *Batavia* hoc tempore multis ornata ſit civitatibus, paucis tamen antiqua remanent nomina, ex quibus ſunt:

Trajectum quod inferius adpellatur, nunc *Vtricht*, certum.

Portus Manarmanis vel Navalia *Campen*, certum.

Vetera *Santen*, certum.

Tiberiacum, non longe à *Santen*, *Berick*. Quamvis aliqui putent Tiberiacum, inter Coloniam & Juliacum eſſe ſitum, & forſitan eſſe *Bergheym*.

Baganum, quod retinet nomen antiquum *Bagenheym*, ibi habitabant Arenatii.

Neomagus *Neumegen*.

Colonia Trajana *Keyſers-vverd*.

Calkiaci *Calcar*. Tacitus.

Tametſi civitates iſtæ ſupra Inſulã Batavorũ ſunt ſitæ, & ad Belgas pertinebant.

Inde per miliaria duo diſtabat Batavodurum, nunc penitùs exciſum, extat tamen arx nomine *Buttenberg*.

Dorderacum præterea & *Briel* hodie portus admodum famoſi ſunt.

Poſt Batavos & ultra Rhenum *Buſactori parvi*, quos quidam *Bructeros* eſſe volunt, à Ptolomæo ponuntur: tenebant ii eam Germaniæ terram, quæ juxta Rhenum eſt, & verſus Boream tendit, hodie *Phriſiæ* pars eſt. Horum jam urbes ſunt:

Davantria *Deventer*.
Suollis *Suol*.

Inter Buſactores & Phriſios *Vidrus* fluit fluvius, ac in mare exit Phriſium, hodie *Nigra* adpellatur *unda*, eſtque navigabilis.

Supra hos juxta Rhenum habitabant *Sycambri*, à quibus Franci ortum ſumpſere: quod quidem multis argumentis oſtendi poteſt. nugentur Gallici ſcriptores quicquid velint, de Trojanæ gentis origine, & civitate illa magna *Sycambria* adpellata, meris mendaciis conſtructa: omnia enim illa fabuloſa exiſtunt. Horum pars ſub Octaviano Cæſare in citeriorem Rheni translata eſt ripam: qui verò remanſerunt, poſteriori tempore *Franci* ſunt dicti, & eam occuparunt terram, quæ hodie adpellatur *Franconia*, ſeu *Francia orientalis*: unde & per *Franckfurdiã*, hoc eſt, Francorum Trajectum, Galliam, invaſerunt, quam & hodie tenent. Horum civitas erat *Aſciburgium*, nunc *Aſpurg*, locus ruinis tectus, terra verò illa Mœrſenſis nunc ditionis eſt.

Poſt hos *Suevi* habitabant *Longobardi*, hodie pars Marchiæ comitatus, & Montenſis ducatus terra illa fuiſſe videtur. Per horum & Sycambrorum terram tria labuntur flumina, quæ omnia

omnia in Rhenum exonerant. Luppia *die Lipp*, quæ apud Weſaliam cum Rheno commiſcetur, extatque hodie caſtellum ſupra illius ripam à Romanis fundatum, *Lupia* nomine, ac *Ter-Lipp* vocatur. Secundus amnis Rura, hoc eſt *die Roer* adpellatur, in Cattorum montibus ortum ſumens, ac in Rhenum juxta *Roerhort* influens *Adranus*, ut conjecturare licet, à Tacito vocatus. Tertius fluvius Angra, hoc eſt, *der Hanger*, & apud *Hangerhort* Rheno admiſcetur.

Poſtea *Tengeri* degebant & *Ingriones*, inter Rhenum & montes, ubi hodie pars Haſſiæ cum Rheno conjungitur, dicta *der Hochrug*, ditione Comitum *de Naſſau Konigſtein*, &c. *VVedravia*, & ſylva occidentalis, hoc eſt, *der VVeſtervvaldt*, Francfordiam usque. Per horum fines inſignis labitur fluvius, qui magnam Haſſiæ partem interluit, *Lona* nomine, ac juxta oppidum *Lonſtein* in Rhenum exit: quidam Luppiam eſſe voluerunt, ſed falluntur: nam *Luppia* hodie nomen ſuum retinet, ac longiſſimo ſpatio infra Lonam in Rhenum labitur, & ideo dubium eſt, num Lona Romanis ſcriptoribus cognita fuerit. Tacitus Tengeris equeſtris diſciplinæ laudem tribuit, quemadmodum Cattis pedeſtris.

Poſtea erant *Intuergi*, ubi hodie eſt ditio Palatini, *Heydelberg*, & *Bergſtraß*. His juncti erant *Vargiones*, ubi nunc Franconia, quæ orientalis vocatur, eſſe putatur, cum Diœceſi *VVirtzburgenſi*.

Sequebantur *Charitini*, nunc Ducatus *VVirtembergenſis*, cum adjacente ſibi Sueviæ parte.

Sub his erant *Veſpi*, hodie Marchionatus eſt *Badenſis*, cum provincia, quam *Prisgaudiam* vocant.

Inde Helvetiorum erant deſerta, nunc *Silva nigra*, cum regionibus ſibi annexis.

Juxta Oceanum verò ſupra Buſactores *Phriſii* colebant, tam occidentales, quam orientales, gens hodie longiſſimè protenſa: non ſolum enim usque ad Amaſium protenditur fluvium, ut Ptolemæus refert, ſed ad Albim usque pertingit: in horum finibus Amaſius vel Hamaſia, qui *die Ems*, in Oceanum exit. Horum hodie urbes ſunt:

Leberden.

Groningen civitas inſignis.

Embden.

Phabiranum. *Premen.* conject. vel Tecelia.

Supra hos colebant *Cauchi*, qui adpellabantur *parvi*, usque ad flumen *Viſurgim*. Deinde ad Albim usque *Cauchi* habitabant *majores*, nunc Saxoniæ pars ac Ducatus *Lunenburgenſis* eſſe cenſetur, nec non Epiſcopatus Bremenſis & Hildesheymenſis. Tacitus hos ad Chatos usque deducit, ac inter Germanos nobiliſſimos vocat, & ſingulari juſtitia excellere ſcribit.

Deinde ad collum Cimbricæ Cherſoneſus Saxones, quemadmodum & nunc, habitabant.

CIVI-

CIVITATES EORUM HODIE ſunt:

Treva *Heymburg*, conject.
Lirimeris *Lubeck*, civitas inſignis, vel *Mülheym*. conjectur. quia *Lubeck* noviter condita.
Leuphona *Mollen*, vel *Hanofer*, conject.

Sequitur *Cherſoneſus Cymbrica*, quæ hodie eſt ducatus Holſatiæ & Schleſvicenſis, habet nunc epiſcopatum Schleſvicenſem, Ripenſem, Viborgenſem & Archuſienſem. Civitates vero quam plures, veluti *Hadersleven*, *Flenſporg*, *Schleſvvick*, &c. Plinius Cymbris mediterraneos quoque adjungit Cymbros.

Poſt Saxones à Chaluſo amne, qui hodie *Dravenna* eſſe cenſetur, ad flumen Suevum, nunc, *die Spre*, habitabant *Pharodini*, horum civitates erant:

Laciburgium *Sund*, conject. ſunt qui *Roſtock* putent.
Aliſus *Neu Brandenburg*, con. *VVißmer*, *Mollen*,
Roſtock. Civitates novæ à Sorabis Sclavis conditæ. Nunc terra illa Saxoniæ, & ducatus *Megaloburgenſis* pars eſt. Hunc totum tractum maritimum, ad Viſtulam uſque cum magna parte provinciarum mediterranearum, olim *Sclavini*, *Sorabes*, ac *Viltzi* occuparunt, cum quibus & Carolus Magnus, ac Daniæ poſtea reges multa geſſerunt bella, ab iis major pars civitatum, quæ nunc florent, eſt condita. Super

ſunt adhuc reliquiæ illorum, magna gens, & planè miſera, ac contempta, ab omnibusque oppreſſa.

Suevus vero fluvius juxta civitatem *Sundenſem* in mare exonerat Germanicum, quæ *Marionis* altera cenſetur

Deinde erant *Sideni* ad Viadrum, ſeu Gutadū usque fluvium, qui hodie eſt *Odera*, amnis inſignis, & qui non minorem ſuſcipit fluviū *Nuſſam* nomine, ac juxta Caminum civitatem epiſcopalem in mare exit Germanicum hodie pars eſt ducatus *Megaloburgenſis*, ac *Stetinenſis*.

CIVITATES VERO IBI ſunt:

Limoſaleum Lebus.
Jovincium *Bernau.*
Virunum *Angermünd.* conject.
Stetin civitas
Gripsvvaldia, nunc civitates inſignes.

Sub his *Rutichii* incolebant ad Viſtulam usque, hodie, *die VVeyxel.*

CIVITATES HORUM ſunt:

Rugium *Camin.* certum, propter exonerationem Viadri.
Sturgun *Graudnitz.* conjectura.
Kolperg.
Stolpe.
Lovenburg.

Ultra vero Viadrum, hodie ducatus eſt *Pomeraniæ,*

raniæ & ditio antiquorum ducum Saxoniæ, qui adpellantur *de Lovenburg*. Et juxta exonerationem Viſtulæ in mare *Dantiſcum*, hodie Emporium celebratum.

Internarum autem gentium maximam eſſe Suevorum *Angellorum* Ptolemæus ſcribit: hi fuere qui poſterioribus temporibus inſulā Britanniam, nunc ab illis *Angliam* dictam occuparunt: erant hi magis orientales Suevis Longobardis, qui poſtea in Italia conſederunt. Hos Tacitus paucos, ſed nobiles & bellicoſos eſſe ſcribit.

Juxta erāt Suevi *Semnones*, ubi nunc eſt *Marchia, Brandenburgenſis* dicta, & ad Albim uſque protendebantur, ac ultra illum etiam habitabant, uſque ad Suevum fluviū. Hi poſtea omnes populariter demigrarunt, ita ut nec veſtigium ullum Suevorum ibi remanſerit.

Poſt hos gens erat *Burguntorū*. Plinius *Burgundiones* vocat, qui & ipſi emigrantes in Gallia conſederunt. Unde & ab eorū nomine *Burgundia* adpellatur.

Cæterum inter Cauchos parvos atq; Suevos incolebant *Buſactores majores*, & ſub his *Chemæ*, & deinde *Angrivarij*, quorum reliquiæ hodie quoque ſuperſunt. Epiſcopusque Colonienſis ſe ducem Angrivariorem adpellat, nunc *Oſtphali* & *Veſtphali* ibi degunt, & Monaſterienſes, nec non Badenbornenſis & Bremenſis eſt epiſcopatus. Ultra Viſurgim vero epiſcopatus Hildesheymenſis, & comitatus Ravenſpurgenſis, ubi poſteriori tempore habitarunt *Norman-*

ni qui Galliã vehementer afflixerunt, & id ex vetuſto Germanico auctore diſci poteſt, qui ſe ex ea gente originem habere gloriatur, quicquid de his ſomnient ſcriptores Gallici, & eos è Dania veniſſe autument: Angrivarios & Chamannos à tergo *Dulgibinis* & *Caſuariis* claudi Tacitus ſcribit, à fronte autẽ *Phriſiis* excipi. Per Weſtphaliã *Amiſus* fluit amnis inſignis, ac in mare Phriſium juxta Emdam labitur. In hoc Druſus Bructeros navali vicit prælio, Strabo *Hamaſiam* adpellat.

CIVITATES VERO EORUM ſunt:

Mediolanum *Monaſterium*. conject.
Teuderium *Padeboren*. conject.
Siatuanda *Oſenbruck*. conject. Et ultra Viſurgim ducatus *Brunſuicenſis*.
Hildesheymenſis civitas:
Tuliſurgium *Brunſuick*. conject.

Poſtea erant *Lacobardi*, ſub quibus *Dulingi*, ubi nunc eſt Marchia antiqua, & epiſcopatus *Meydeburgenſis*.

CIVITATES VERO SUNT.

Meſovium *Meydburg*, vel *Melden*. Halberſtadienſis epiſcopatus.

Inter Saxones & Suevos *Teutomari* & *Virunni* erant.

HORUM CIVITATES NUNC:

Treva *Havelburg*. conje. civitas & epiſcopatus.
Welſenach.

Poſtea

Poſtea *Teutones* & *Anarpi*. Quorum civitates nunc ſunt:

Berlin & Brandenburgenſis civitas.

Inter Rutichios autem & Burguntos habitabant *Elueones*.

HORUM CIVITATES nunc ſunt.

Scurgum *Graudnitz*. conject.
Aſcaricadis *Toren*. conject.

Sub Semnonibus habitabant *Ilingæ*. Nunc pars eſt Lauſniciæ.

Sub Burguntis autē *Luti Omani*, & *Luti Diduni*, ubi nunc eſt Stargardia in Pomerania.

Sub Ilingis ex utraque parte Albis degebant *Calucones* : ubi nunc eſt *Hertzberg*, & pars Miſniæ, circa *Zerbſt*.

Cheruſci inter Albim fluvium habitabant, & Viſurgim, dirimebanturq; ab Angrivarijs, ut Tacitus ſcribit, lato aggere, quē illi extulerant, quo à Cheruſcis dirimerentur, & quum Druſus Germanicus Cheruſcos adgreſſus fuiſſet, *Arminius* cum illis trans Viſurgim inſtructa acie ſtetit. Is enim Romanos & Cheruſcos interfluebat. Unde planè conſtat, Cheruſcos eam inhabitaſſe terram, quæ hodie Saxoniæ pars eſt, cum Duringia univerſa. *Saltum* vero *Teutoburgenſem*, in quo Varus cum Romanis legionibus cæſus eſt, haud procul ab Amiſia, teſte Tacito, abfuiſſe conſtat. Druſi verò Trophæo, Ptolomæus quaſi ad ortum Viſurgis ponere videtur. Id ſi verum eſt circa *Fuldenſe* fuerunt

mona-

monaſterium: nam & Strabo refert Druſum, quum inter Salam fluvium & Rhenum belligeraret, oppetiiſſe.

Camanni autem eam tenebant terram, quæ nunc eſt Miſnia, uſque ad Melibochum montem.

Verſus ortum autem Albis habitabant *Benochemæ*, circa *Cottowitz* & *Dreſen*.

Supra hos erant *Batini*, ubi nunc eſt ducatus Sagenſis.

Et adhuc ſuper hos habitabant *Cortoni* ſub monte Aſciburgio, ibi hodie *Gerlitz* eſt, & *Pautzen*, cum reliquis civitatibus, uſque ad Poloniam.

Luti Buri vero uſque ad Viſtulam protendebantur, hodie *Schleſia* eſt, ubi & Uratislavienſis civitas, quæ *Budorgis* cenſetur, & Poloniæ pars, uſque ad fluvium Viſtulam.

Inde *Sidones* erant, ubi nunc ducatus Oppolenſis: Poſtea *Cogni*, ubi hodie ducatus eſt Teſchenſis.

Demum verò *Visburgij* ſupra ſylvam Herciniam, nunc pars eſt Moraviæ circa civitatem Olmicenſem.

Rurſus ſupra Suevos, Ptolemæus *Caſuarios*, *Nerteraneos*, & *Danduros* ponit, ibi forſitan, ubi hodie ditio Comitũ *de Hennenberg* eſt, & regiones quæ vocantur *Puchen*, & *Kon*, cum civitatibus Smalcaldia, Koberga, Egra & reliquis.

Sub his autem *Turones* & *Martungi* colebãt, forſitan, ubi hodie ea regio eſt, quæ vocatur *Palatinatus ſuperior*, circa Ambergam, uſque ad

ſylvam

ſylvam Bohemorum. Verum hic nil certi affirmamus.

Iterum ſub Camanis *Cathæ*, ſive ut Tacitus adpellat *Cati*, Cheruſcis ad occaſum contigui ſuere ac propinqui. nam, ut Tacitus ſcribit, quũ Druſus ex improviſo Chattos invaſiſſet, Cheruſcis in animo fuiſſe, ut Chattos juvarent: ſed à Cecinna prohibitos eſſe. Quaptopter abſque dubio patet Chattos vicinos fuiſſe Cheruſcis, & eam habitaſſe provinciã, quæ hodie eſt *Haſſia*. Nam, ut Cornelius inquit, apud illos colles rareſcere incipiunt, nec terra adeò paluſtris eſt, quemadmodũ in Germania inferiori. Hi ſuccedente tempore Cheruſcos ſubegerunt, indeque cum *Hermunduris* ob Salis flumen contendentes, penitus cæſi fuerunt, quum victores diverſam aciẽ Marti & Mercurio ſacraſſent, & forſitan ob illos Salis fontes pugnatum eſt, qui hodie apud Halenſes in Miſnia cernuntur.

HORUM CIVITAS ERAT:

Stereontium *Caſſel.* conjecturaliter.

Pheugarum, *Marpurg*, con. Tacitus refert Matium caput genti fuiſſe, quam & ſummis laudibus attollit.

Supra Catthos habitabant *Tubanti.* hodie ea regio *Eſſfeld* cenſetur, & *Sylvahartz*.

Inde ad Sudetos montes erant *Tneurochemæ*, jam *Foytlandia* eſſe putatur.

At ſub montibus erant *Variſci*, ubi nunc civitas eſt Babenbergenſis, & montana, quæ *Babenbergenſia* vocantur, cum oppidis *Holfeld, Kulmbach, Peyrreut, Hof.* Cæte-

Cæterum nec hoc prætereundum, in hac regione, montem eſſe *Piniferum* dictum, ex quo quatuor inſignia & navigabilia oriuntur flumina, quæ ad quatuor mundi tendunt plagas. *Ægra* enim ad ortum fluit, & in Bohemia cum Albi miſcetur, At *Nabus* verſus Auſtrum fluens, in Danubiũ tandem exit. *Sala* autem ad Septem triones labens. & ipſa ab Albi excipitur. *Mænus* verò verſus occaſum in Rhenum exonerat.

Sub Martungis erant *Curiones*, inter *Chemnari* & *Parme-campi*, ubi hodie Auſtriç pars eſt Cis-Danubianæ, juxta *Krems, Znaem, & Neuburg*.

Inde habitabant *Marcomanni*, hodie regio illa *Moravia* eſt, quæ ſe ad Sudinos extendebat, & Danubium uſque, ubi hodie civitas eſt *Preſpurgium*. Geſſit hæc gens maxima bella cum Romanis, præcipuè Antoninorum tempore.

Civitates nunc habet inſignes Olmicenſem, Eburum fortaſſis & Brunenſem.

Sub ſilva autem Hercynia *Quadi* erant, ubi nunc ſunt oppida *Kam, Kalmunz, Grafenau* uſque ad Lunam ſilvam, apud quos ut olim, hodie quoque ferri perdurat minera.

Sub ſilva verò Luna, ſeu potius inter ſilvã Lunam, gens magna erat *Bemorum*, qui & *Boiohæmi* vocabantur, ac undiq; claudebantur ſilvis, eam regionẽ Morabudus obtinebat, Romanis olim bellis clarus: ſub quo tum, ut Tacitus refert, Suevicæ etiam gentes, Semnones & Lõgobardi, necnon Marcomanni erant, ad quos ab Arminio pugna devictus cõceſſit. Verùm Sclavinorum poſtea gens, cum multitudine ſua totam

tam

tam fere inundaret Europam, eam invaſit terram, ac expulſis veteribus colonis univerſam occupavit: & licèt illi hodie quoq; *Bohemi* vocentur, nequaquā tamen Germanica, ſed Sclavonica utuntur lingua, quæ & veterem illorū redarguit originem; nunc in regni formam eſt redacta, ac multis urbibus inſignita; dives frumenti, pecoris, piſcium ac minerarum, admodumque populoſa, nec non potentiſſimis Baronibus, magnaque nobilitate decorata: hujus regionis civitates eſſe cenſentur, Coridorgis, & Mediolanum, forſitan nunc *Praga* & *Piſa*. Hi hodie ad Danubium fere extenduntur, ac ideo *Teracratias* & *Racatas* quoque occuparunt.

Proinde plures alias Germanicas gentes Tacitus ponit, inter quas & *Marſos* recenſet. Scribit enim quum Druſus Germanicus Marſos adoriretur, quas & magna clade affecit, quod exciverit Bructeros, Tubantes & Viſipetes, ut ſaltus, per quos exercitui regreſſus patebat, inſiderent. Unde liquet has gentes omnes vicinas, & haud longe à Rheno abſuiſſe, licèt Ptolemæus *Tubantes* etiam ſupra Chattos ſtatuat.

Porro Marſorum reliquiæ adhuc in Germania permanent: nam Saxonum Inſulæ, ubi Albis in mare exonerat, hodie à *Diet-Marſis*, hoc eſt populoſis Marſis habitantur, & à Marſorum nomine adpellantur.

Bructeri à Ptolemæo haud nominantur, niſi quis Buſactores parvos pro Bructeris accipere velit: hos Druſus pugna navali in fluvio Anuſio

miſio devicit: in horum terram immigrarant *Chamani* & *Angrivarij*, pulſis Bructeris.

Præterea & *Mattiacos* Tacitus recenſet, qui ipſi à tributis, quemadmodum & Batavi, exempti erant, ac ſolum ad uſum reſervati bellorum.

Uſipios & *Tencheros*, Chattis proximos eſſe ſcribit Tacitus. Uſipiorũ verò Ptolomæus nec meminit.

Hermunduros non refert Ptolomæus, ſed Tacitus. Albim quoq; in Hermunduris oriri ſcribit. Id ſi verum eſt, pars erunt Bohemiæ.

Juxta Hermunduros *Nariſci* à Tacito ponuntur, à tergo vero Marcomannorum & Quadorum *Marſigni Gotthini*, ſive *Guttones*, qui & *Gotthi*.

Ariorum, Helveconarũ, ac reliqua priſca Germanorum nomina, nunc penitus exoleverunt: *Peucinos* autem & *Baſtarnos*, Plinius Dacis conterminos eſſe dicit. Superſunt & hodie in Tranſylvania, quæ *Sibenbürgenſis* appellatur, Germanorum reliquiæ: utrum verò poſtea illac migrarint, aut ſemper ibi habitarint, nil certi quod affirmem, habeo.

Sane *Rugorum* terra & hodie nomen retinet, pluresque Principes de titulo Rugorum contendunt, veluti Marchiones Brandeburgenſes, Megalburgenſes, & Pomeraniæ duces. Supereſt & *inſula Rugorum*, ex oppoſito fluvij Suevi, ubi in mare exit. Hi poſterioribus temporibus magnum nomen ſortiti ſunt.

Suionũ deinde civitates Tacitus ponit, quos claſſe etiam valere ſcribit, forſitan hodie *Sueti* ſunt

ſunt & *Dani*, poſt quos Mare eſt glaciale, id Tacitus *pigrum* vocat. Siquidem & Plinius refert immenſas inſulas non pridē à Germania compertas, quæ procul dubio *Suetia*, *Dania*, & *Norwegia* ſunt, quæ longiſſimo terrarum tractu ab ortu in occaſum excurrunt, ita ut ab Islandia, quæ gradus ſeptem in longitudine habere creditur, usque ad gradus ſexaginta tres protendatur. In latitudine verò à gradibus quinquaginta quinque uſque ad gradus ſeptuaginta duos ſint cognitæ, cùm inſulis adjacentibus, veluti *Islandia*, ſive glaciali, *Finlandia*, *Vermenlandia*, *Gronlandia*, usque ad homines ſilveſtres, qui ob mores feroces *Wildlappmanni* vocantur. Ultimus verò limes Chriſti cruce ſignatus eſt, quem nemo absq; Regis licentia tranſcendere poteſt, & cum comitatu magno: & is limes continet in latitudine gradus ſeptuaginta circiter. Inde non longe erecta eſt arx, quæ vocatur *Warthauß*, vel domus præſidij. Veniunt tamen quotidie à Septentrionibus, terraque incogita, ac à mari glaciali homines quidam barbari, *Caroli* vocati, mercimoniorum gratià in Gronlandiam cum magno exercitu, & ut pro comperto habetur, ex altera parte poli Septentrionalis; hoc planè conſtat, Suetiam continentem, & non undique mari circumfluam eſſe. Noruegiæ civitas principalis & emporium hodie eſt *Bergen*, quæ habet in longitudine gradus 24. 16. in latitudine verò gradus 61 15. Suetiæ autem civitas præcipua eſt *Stockholma*, quæ continet in longitudine gradus 42. 38. in latitudine gradus 60. 30. at

Daniæ caput regni eſt *Copenhagia*, longitudinis gradus 35. 24. latitudine 56. 30. obtinens.

Inter Inſulas verò Daniæ *Gotlandia* hodie quoq; nomen retinet, ſuntque in illa civitates, Eccleſia Pharenſis, & civitas Veſpu.

Supereſt & inſula *Schandia* vel *Scania*, quæ hodie quoq; *Schonlandia* vocatur, cum aliis inſulis quamplurimis ad regnum Daniæ pertinentibus.

Deinde *Effluorum* gentes, in dextro Suevici maris littore habitare Tacitus ſcribit. hos *Prutennos* eſſe liquet: quia apud illos nunc, ut olim, ſuccinum colligitur.

Inde *Sitonum* ſequuntur gentes, & hunc finem Sueviæ eſſe Tacitus, refert, forſitan hodie *Eyſlandia* eſt. Pomponius Mela *Hermiones* ultimos Germaniæ eſſe dicit.

Cæterum Ptolomæus ultra Viſtulam Sarmatiam auſpicatur Europæam, quam eo quoq; tempore, quemadmodũ & nunc multæ Germanorum habitabant gentes, veluti *Gythones*, *Alani*, *Rugi*, *Styri*, *Vandali*, & cunctæ aliæ Gothorum nationes: poſt quorum tranſmigrationem, *Sclavini* ut dictũ eſt, ingreſſi ſunt, & terras illas occuparunt aut etiam alios expulerunt; gens multitudine ſua numeroſiſſima, & quæ hodie præter Poloniam, totam Ruſſiam cum Moſcuvia, uſque ad Mare glaciale & Tanaim, ac ultra illum etiam multa poſſidet. Cæterum *ſinus Venedicus* cum magna parte mediterraneæ regionis, quæ hodie *Pruſcia* eſt, nec non *Livonia* univerſa, quæ olim fuit Gotia orientalis, uſque ad

Narvam

Narvam fluvium, qui in ſinum exit Venedicũ, hodie militiæ Teutonicæ ſanctiſſimæ virginis Mariæ paret. Suntque ibi Eccleſiæ cathedrales quam plurimæ, veluti Sambienſis, Rigenſis, Hapſelenſis, & ultima Revalenſis. Civitates vero *Elbing*, *Armel caſtrum*, *Mariæ Borgus*, *Mons Regalis*, *Riga* civitas, *Pornau*, *Hapſel* civitas & demum civitas *Revalia*, quæ habet in poli altitudine gradus 62. In mare autem exeunt poſt Viſtulam Chronus, hodie *Paſſaria*, deinde Pregora vel Cherchin, poſtea Armele fluvius magnus, *die Memel*, vocatur & *Niemen* Slavonice, per Moſcoviam fluens, ac in mare Prutenicum tribus oſtiis exonerans, quidam hunc Chronum eſſe putant. Inde Hillige fluvius, Rubonis fortaſſis. Poler deinde, Turnus forſan: poſtea fluvius ingens, qui Duna, & Zuina ac Dunda vocatur, ex Moſcovia oriens, apud Rigam in mare erumpit: forſitan Cherſinus eſt. Inde juxta Revaliam Anna fluvius exit. Demum autem Narva fluvius magnus, & ipſe ex Moſcovia fluens, ac in Oceanum Sarmaticum juxta Flautenam exonerat, Livoniamque à Moſcovia diſterminat. Oſtia fluvij hujus in elevatione polari gradus habent 64. vel circiter. In mediterraneis autem & haud longè inde civitas magna eſt, *Novogardia* dicta, quæ gradnum eſſe fertur 66. non multum à mari glaciali,

Eſt hoc tempore *Moſcovia*, cum terra illa univerſa magno duci Moſcoviæ ſubjecta, cujus dominium verſus occidentem à mari Baltheo

incipiat, per quingenta milliaria Alemanica, & magna quidẽ orientem verſus ſe extẽdit, quemadmodum Moſcoviæ pro certo affirmant, itaut longe Tanaim, nec non Volgam, hoc eſt, *Rha* fluviũ ſuperet, & per Aſiaticam Scythiam excurrat. Joannes enim præſentis Ducis Baſilij pater, multa ſuo adjecit imperio, veluti terram, quæ *Permeska* nominatur, nec non *Corelam*, ac ultimam *Juhram*, ex qua olim egreſſi ſunt *Hungari*, qui in Pannonia ſedes fixerunt: quod non ſolum ex communi patriæ liquet nomine, ſed quod & lingua eadem utuntur, qua Hungari, licèt incomptiori.

Sunt verò prædictæ gentes, non ſolum Barbaræ, ſed & ferinæ ac belluinæ, pane carent, & ſolum ex venatione ferarum & piſcium vivunt: & quia nihil aliud poſſident, tributi nomine nil niſi animaliũ pelles, & piſcium dentes magnos Moſcobiæ duci ſolvunt, ex quibus cultellorum fiunt manubria; præcipueque apud Turcis in precio habentur. Sed & *Tartari Koſanenſes*, qui juxta caſtrum Koſam, quod ſupra flumine Volha ſitum eſt, unde & nomen ſortiti ſunt, Moſchobitæ ſubſunt imperio, ac illius juſſu bella capeſſunt. Moſchobiæ vero ad ortum Tartari adjacent *Savolhenſes*, nec non Tartari *Nohaſenſes*, *Sabolenſes*, qui ſe cæteris præſtare putant, ad mare ſe extendunt Caſpium. At Nohaſenſes admodum ſunt Septentrionales, & quotidie Moſcoviam ſuis infeſtant incurſionibus. A Septentrionibus verò Moſcovia Oceano terminatur glaciali, á Meridie autẽ vaſtiſſimis cam-

pis, nec non Lithuania & Ruſcia, à qua noſtris temporibus Joannes dux Novogardienſem ducatum cum civitate ejuſdem nominis maxima, nec non Mozaiſenſem ducatum abſtulit. Præſens verò dux Baſilius Ploskovienſem, & Smolenſem ducatus, cum pluribus alijs Lithuanis & Rutenis ademit.

Utuntur Moſchobitæ ac Ruteni lingua Sclavonica, ritumq; obſervant Græcum: reliquis verò gentibus, quibus Moſcobitæ & Lithuani imperant, ſingulis proprius eſt ſermo. Civitas, in qua dux ipſe ut plurimũ degit, *Moſcovia*, quemadmodum & regio ipſa appellatur, fluitq; per eam nominis eiuſdẽ fluvius vaſtus. Urbs eſt ingens, ſed tota ferè lignea, præter caſtrũ & palatiũ Ducis, quæ ex lapidibus ſunt conſtructa, diſtatque à civitate Smolenſi, quæ in Ruſſia eſt poſita, centum miliaria Germanica.

Smolenſis verò civitas à Vilna civitate ingenti Rutenorum abeſt miliaria centum viginti. At Vilna à Cracovia regia civitate Poloniæ per miliaria centũ, ita vt à Cracovia, uſque ad Moſcoviam tercentũ & viginti ſint miliaria Germanica magna: à Nurenberga autem Cracoviam, miliaria ſunt centum, & aliquid plus.

Sunt autem gentes illæ incomptę, & admodũ barbarę, extremę præterea ſervituti ſubjectæ, ita ut omnia, quemadmodum inter Turcas, dominorum propria eſſe cenſeantur, Princepsque Moſcoviæ cunctarum rerum proprietatem habeat: uſumfructum verò ſubditis utendũ relinquat, non diutius tamen, quam ſibi placet,

Moſcouitarum terra pars eſt Sarmatiæ Europæ, ubi Ptolomæus *Hyperboreos* & *Baſilicos* ponit Sarmatas, nec non *Modocas*, à quibus forſitan Moſci ſunt derivati.

Præterea *Hippophagi* Sarmatæ ibi degebant, nec non *Zacatæ*, *Suardeni*, & *Aſei*, & juxta Boreale Tanaidis inflexione *Perierbidi*. gens magna.

Juxta Auſtralem verò *Taxamatæ*, ultra Tanaim verò quo ſe longiſſime Moſcobia extendit, *Sarmatia* incipit *Aſiatica*, & deinde *Scythia* eſt juxta Rha fluvium, ubi à Ptolemæo *Phthirographi* & *Materi*, cum alijs quàm plurimis ponuntur gentibus.

Deinde erat terra incognita, ubi hodie Permeska, Corrella, & Juhra vel Ungaria priſca fuit, quæ cuncta Moſcobitæ ſunt ſubjecta. In Moſcovia oritur fluvius *Edel*, id eſt, Rha, vel Volga: nec non Tanais, ex terra plana ac paluſtri, cum multis aliis, veluti Zuina, Moska, Ocha, Mimula, &c.

Lithuania Moſcoviæ verſus Boream eſt conjuncta, ad occaſum vero, ubi regio eſt *Samagethia* Livoniæ & Pruſſiæ adnectitur, ab ortu autem fluviis terminatur Oskol, Jugra, & Donueytz: qui omnes in Tanaim exonerant, ad Meridiem verſus, Poloniæ & Ruſſiæ adjacet. hæc gens ſuperioribus annis admodum obſcura & Rutenis ſubdita fuit. Verum quum ſuccedenti tempore duces nacta eſſet bellicoſos ita prævaluit, ut totam Ruſſiam ſuo ſubjiceret imperio, quin & Livoniã, Pruſſiam & Poloniam aſſiduis infeſtavit incurſionibus, adeo ut niſi milites

tes Cruciferi, cum aliorũ Chriſtianorum Principum ſubſidio, illis obviam iviſſent, tam de Polonia, quàm de Pruſſia actũ fuiſſet. Nec tamen ita reprimi potuit, ut non maximas clades Chriſtianis inferret, pariter & acciperet; duravitque bellum infeſtiſſimum multis annis, donec tandem deficiente regiâ ſtirpe Polonicâ, Jagellus magnus Lithaviæ princeps, fidem Chriſti unà cum regno Poloniæ, & relicta Ludovici regis filia Heguide accepit: ac poſt ſuſceptum baptiſmum, *Uladislaus* eſt vocatus. Contigere hæc ſub annum Salutis 1386.

Ab eo tempore Lituania, Samagithia, & Polonia in ſtirpe illa permanſit. Subſunt autẽ magni ducis Lithuaniæ imperio gentes multæ, & principes quam plurimi, tam Lithuani quã Ruteni. Civitas principalis *Vilna* eſt admodũ magna, ad fluviũ ejuſdẽ nominis condita. Oritur in Lithuania fluvius *Boryſthenes*, qui deinde per Ruſſiam fluens, in mare exit Ponticum. Lingua gentis quadripartita eſt, paulatim tamen lingua ſubintravit Polonica, nec non Germanica: ſequitur Lithuania & Samagithia ritum Eccleſiæ Romanæ. Ptolomæus, *Galindos*, *Bodmos*, *Sudinos*, *Sevinos*, *Amaxobios* & *Cariones* ibi poſuiſſe videtur.

Ruſſia ſive *Roxolania*, & ipſa in Sarmatia poſita eſt Europæa, ea duplex eſt, Alba & Rubea, ſeu inferior: à Solis ortu flumine terminatur Tanaide & Paludibus Mæotidis: à Septentrionibus autem Moſcoviæ & Lithuaniæ adjacet: à meridie verò Valachia, Moldavia & Carpato

monte diſterminatur. Ad occaſum autem Poloniam & Moſcoviam contingit, eam regionem olim inhabitarunt *Maſſagetæ*, qui & *Alani* & *Hamoxobij*: at per totum latus Mæotidis *Jaziges*, & *Roxolani*, nec non *Chuni*. Ad occaſum verſus *Peucini* & *Baſtarnæ*, *Amadoci* & *Navari*, *Tyrangitæ*, *Sauromatæ*, & *Gythones*, cum alijs nationibus Gothicis, ſiquidem ex his regionibus emigrarunt Gotthi, Alani, Scyri, Gepidæ, Heruli, Taiphali, Carpi, & reliquæ cunctæ gentes Gotthicæ quemadmodum ex certiſſimis hiſtorijs oſtendi poteſt: nam Alani & Roxolani in vaſtiſſimis campis ad Tanaim uſq; habitarunt, qui hoc tempore Tartarorũ incurſionibus penitùs ſunt deſolati & inculti.

Ad fluvium verò *Deneper*, qui eſt Boryſthenes & Deneſtèr, qui & *Tiras*, Gotthi reſidebant. Unde digreſſi in duos diviſi ſunt populos: nam qui ad ſolis ortũ ſunt progreſſi, ac Tauricã Cherſoneſum cum multis alijs occuparunt locis, *Oſtrogotthi*, hoc eſt, Orientales Gotthi ſunt dicti. Qui vero occidentem verſus perrexerunt, *Viſigotthi*, id eſt, occidentales Gotthi ſunt appellati; in horum locũ *Sclavini* ſucceſſerunt, quemadmodum patet ex lingua.

Cæterùm hoc tempore Ruſſia, magno Duci Lithuaniæ, & principibus, qui ſub ipſo ſunt, eſt ſubdita, præter ea quæ Moſcouitæ abraſerunt. Sanè etſi regio illa pecoris, frumenti & mellis ſit fertiliſſima, præcipuè ea, quæ *Podolia* nuncupatur, per Tartaros tamen ac Turcas admodum eſt vaſtata. Tartari enim Precopenſes qui &

Ulani,

Ulani, ex Taurica Cherſoneſo quotidie illa invadunt & ſpoliant. Turcæ verò poſtquam noſtra ætate Bialogrod ſive nigrum Caſtrum, ubi Tiras, hoc eſt, Deneſter in pontum influit, nec non Kiliam, hoc eſt, Album Caſtrum, non longe à Danubii oſtiis occuparunt, numquam ab infeſtatione Ruſſiæ ceſſarunt. Sed & Tartari Precopenſes munitionem citra Boryſthenem extruxerunt, nomine *Ozarkou*, ex qua Ruſſiam invadunt & ſpoliant.

Rutheni enim licèt olim ſupra flumine pręſidia quædam conſtituiſſent, per quæ Tartari trãsgredi prohibebantur, ea tamen propter avariciam reliquerunt: unde jam Tartaris liber patet aditus. Habet & Ruſſia civitates quamplures inſignes, quæ magna ex parte vaſtatæ ſunt, inter quas fuit *Chiovia* urbs ampliſſ. ad Boryſthenem fluviũ ſita, forſitan *Olbia* ſeu *Boryſthenis* à Ptolemæo & Strabone vocata, jam pridem à Tartaris everſa. In illa reſidebat Ruthenorum Metropolitanus, cui ſubditi fuere omnes Ruſſiæ, Lithuaniæ, Moldaviæ, & Valachiæ Epiſcopi. Hodie *Leopolis* principalis eſt civitas, deinde *Halitz*, ambæ juxta fluvium Tiram ſitæ, cum pleriſque aliis: nam Smolenſis, nec non Pleſcovienſis & Novigradenſis ducatus, cum civitatibus ſuis Ruthenis, ut dictum eſt, per Moſcovitas ſunt adempti. Rutheni Sclavonico loquuntur ſermone & ut plurimum Græcorum fidem ſequuntur. Inhabitant & Ruſſiam *Armeni* qui magnas exercent mercaturas; nam ad Ægyptum, Perſiam & Indiam uſque penetrant;

inter Turcas enim & Machumetanos liberè, & usque ſine vectigalibus negotiantur. Ita enim lege ſuâ Machometes conſtituit, quoniam ab Armenis educatus & multis beneficiis affectus fuit.

Cæterùm quia Tauricæ Cherſoneſi facta eſt mentio, ſciendum eſt, quod *Oſtrogothi* illam poſt primam occupationem usque in hodiernum diem inhabitant. Nam licèt imperatores Græci peninſulam illam aliquando poſſederint, Januenſesque Caffam, quæ eſt *Theodoſia*, occupaverint, Tamerlanusque deinde Tartarus illam ceperit, à quo tempore eam Tartari Ulani, qui & *Precopenſes*, ſeu *Crimnenſes*, ex oppidi nomine ita vocati, poſſederunt ac inhabitaverunt, qui & ipſi poſtea à Turcis fuerunt ſubacti, & ad tributum ſolvendum coacti: Oſtrogotthi tamen ſemper montana, licèt ſub tributo, poſſederunt, loquuntur autem Germanicè qua lingua omnes Gotthi, utpote Germani, ſunt uſi. Superfuere & ad ætatem usque noſtram duces Gotthorum nobiliſſimi *de Mankup* dicti, qui caſtrum *Mankup* ſemper à Tartarorũ vi defenderunt, donec Machumet Turcarum imperator Caffam expugnavit, Tartaroque ac peninſulam ſuo ſubjecit imperio, tum & caſtrum *Mankup* cepit, ac duos duces fratres de Mankup, gladio percuſſit, in quibus & tota Gotthorum illorum nobilitas ceſſavit: Gotthi verò, qui adhuc in montibus ſuperſunt, ut plurimum vineas colunt, & inde vitam ſuſtentant. Proinde & hoc ſciendum, quod ex omnibus nationi-

bus

bus Gotthicis nulla amplius in Germania ſupereſt, exceptis *Scyris*, qui & nunc quoque *Stirii* vel *Stirenſes* adpellantur, & *Turcilingis*, qui & *Turingi*.

Sed nec hoc ignorandum eſt, eam gentem, quæ hodie *Turcarum* appellatur nomine, à Tartaris ortum ſumpſiſſe: quod non ſolùm una & eadem lingua, ritus, victus & veſtitus, ſed & equitandi ac bellandi uſus, nec non fraudes, perfidia & innata barbaries oſtendit & feritas.

Falluntur igitur, qui Turcarum gentem antiquiſſimam, aut Turcimanos eſſe putant, cum parum plus ſint, quam tercentum anni, ex quo primum Tartarorum nomen, antea penitus incognitum, ſit auditum: poſt quorum adventum Ottomanus ſe à Tartaris ſejunxit, ac cum ſuis *Turcarum* nomen aſſumpſit, Tartarique hodierna die Turcas clientes ſuos eſſe dicunt, ac Deum ob peccata eorum Turcas ſic extuliſſe conqueruntur, quum antea non ſolum illorum fuerint ſubditi, ſed ruſtici etiam: idque *Turcarum* nomine ſignificare aſſerunt.

Proinde gentes Sclavonicæ non ſolum magnam Europæ, ſed & Aſiæ partem occupavere, ſuperſuntque hodie in montibus Iberiæ ac Albaniæ. Et verſus mare Hircanum Circaſſi, gens bellicoſiſſima, quæ longo tempore Ægypto cum Syria ſub ſervorum nomine imperavit.

Habitant & ibi *Gazarorum* gentes, quæ hodie *Abgazari* & *Abgazelli* à Græcis vocantur: nec non *Mengrelli*, apud has gentes Tartari Savolenſes

volenſes tela & alia comparant neceſſaria, & hi omnes ex Sclavorum gente originem ſumpſere, linguaque loquuntur Sclavonica, ac Chriſti fidem ſecundum ritum Græcum ſequuntur: quin per totam Turchiam, præcipue apud milites, Sclavonica in uſu eſt lingua, ita ut Conſtantinopolis ipſa jam non amplius priſco nomine, ſed *Cæſaris domus* Sclavonica vocetur lingua, ſed & paulò ante in aula Soldani Ægypti, milites, utpote magna ex parte Circaſſi, Sclavonicè loquebantur.

Supra mare Hircanum & meridiem verſus *Zagathai* habitabant Tartari, non amplius jam in campis, ſed civitatibus lapidibus conſtructis, ex quibus præcipua eſt *Sarmacanda*, quam Jaxartes maximus Sogodianæ fluvius interluit, qui & in mare Caſpium exonerat: hujus conditor Tamerlanus fuiſſe dicitur, cum quibus dum Sophi rex Perſarum bellum noſtra gereret ætate, à Selymo Turcarum imperatore invaſus & victus eſt, qui & illi quicquid in Armenia poſſidebat, una cum Tauriſio regni capite, ademit.

Cæterum qui *Vinulos ſeu Vendos*, reliquamve Sclavorum gentem Vandalorum nomine honeſtare contendunt, planè falluntur: conſtat enim claſſicorum ſcriptorum auctoritate, Vandalos ex Gotthorum ortos eſſe gente, quemadmodum & *Sciros, Gepidas, Alanos*, ac reliquos Gotthicæ nationis populos, inter quos nihil præter ſolam interfuit nomenclaturam: eiſdem enim inſtitutis, eademque utebantur lingua.

Ger-

manica nempe, quemadmodum, ut dictum eſt, ex reliquiis quoque Gotthorum, quæ Montana Tauricæ Cherſoneſi præſenti adhuc ætate obtinent, diſcere licet, quum Sclavorum, Vendorum & Viltzorum loquela penitus à Germanica ſit diverſa. Quin & diu anteaquam Sclavorum nomen eſt auditum, Vandali populariter cum liberis & uxoribus è patria emigrarant, jamque Luſitaniæ partem tenebant, ac in Africam trajicientes, Carthaginem cum univerſa illa provincia ſuo ſubjecerant imperio. Sed & tam Oſtrogotthi quam Viſigotthi Chriſtianam tum ſuſceperant fidem, quum Sclavi ſub initiū omnis religionis fuerint expertes; quorum tamquam novorum hoſtium nomen, ſub Mauritio primùm auditum eſt, excurſionesque eorum à Juſtiniano non parum ſunt repreſſæ, donec immenſa multitudine ſuperantes, magnam Europæ & Germaniæ quoq; occupaverint partem: quod quidem Procopii aliorumque plurium auctorum conſtat teſtimonio. Egreſſi autem ſunt ex Scythia, quemadmodum multæ aliæ barbaræ nationes, & ut Solinus Græcus ſcriptor refert, ex profundo *Berſiliæ*, dominatique ſunt omni perviæ terræ, usque ad mare Ponticum.

Gazari ſub initium à Græcis adpellati, quemadmodum & hodie à Saracenis vocantur: nihil igitur Vandalis ac Vendis, præter nominis tantum conſonantiam quandam umquam commune fuit, licèt Sorabi, Viltzi, Vendi, ac reliquæ Sclavorum gentes à Vandalis derelictam occupaverint terram, quemadmodum & mul-

tas

tas alias regiones ſuo ſubjecerunt imperio, prioribus expulſis habitatoribus. Si quidem nulla umquam gens è Scythia egreſſa, tam copioſo numero, ut Sclavi, habitabilis terrae partem inundavit. nam quicquid eſt à mari Sarmatico & Baltheo, ad Pontum usque & Adriaticũ mare, nec non à Tanaide fluvio, usque ad umbilicum Germaniæ, cum tota Sarmatia Europæa ac magna parte Aſiaticæ, nec non Boemia, Dalmatia & Illyria, ſua repleverunt multitudine. Quod ſi eisdem artibus, quibus regna parantur, etiam conſervarentur, proculdubio omnium gentium eſſent potentiſſimi. Verùm quemadmodum homines, civitates, regna & nationes, ſua habent initia ac incrementa: ita etiam cum ad fatalem deveniunt periodum, rurſus decreſcere & peſſum ire incipiunt, quoad tandem penitus deficiant ac evaneſcant. Nihil enim in hac mundana machina firmum, aut perpetuo ſtabile eſſe poteſt.

MONTES ET SYLVAE IN Germania ultra Rhenana.

EX montibus Ptolemæus primũ ponit *Sarmaticos*, qui nunc Hungariam, Poloniam, ac Germaniam disterminant, vocanturq; *Cremnitz* & *Semnitz*.

Montes verò, qui ſupra caput Danubii ſunt, hodie pars exiſtunt *ſilvæ nigræ*, juxta oppidum *Villingen*.

Elvetiorum Eremus, hodie ſuperior pars eſt ſilvæ nigræ, cum ſilva *Bregentina*, quæ ad Alpes usque pertingit.

Abnobi montes varia ſortiuntur nomina, multosque extendunt ramos: à ſylva enim nigra, per ditionem Marchionis Badenſis, & Ducis Wirtembergenſis, Nicerique fluminis ripas excurrentes, per Sueviam usque ad fluvium Cocerum, ac inde ad Tubarim progrediuntur, hinc Franconiam verſus ac Babenbergam tendentes, *ſilvam ſaltuoſam*, hoc eſt, *Steygervvald* conſtituunt: à Nicero verò ad amnem Mœnum, *Ottemvvald*, ac ultra illum *VVeſtervvald* nominantur. Dehinc ad Chattos, hoc eſt, Haſſiam pertingunt, à quo etiam Franconiam dividunt, ibique *Speßhart* appellantur, & usque ad Weſtphaliam, nec non Rheni ripas Coloniam usque ſe extendunt.

Melibocus verò mons inde initium ſumit, & ad ortum tendit, nunc *Hartzvvald*, & montana ſunt Miſnenſium, cum argentifodinis, planèque appendix eſt Abnoborum montium.

Deinde Silva eſt *Semana*, hodie *ſilva Turingorum*. Sub montibus autem Suderis *Gabreta* eſt ſilva, nunc *Bohemorum* dicta: quoniam Bohemiam undique per gyrum circumdat & claudit.

Aſciburgii vero montis nomine, montana illa continentur, quæ per Sileſiam ad Poloniam & Cracoviam usque ſe extendunt.

Sudeti montes eſſe cenſentur, qui nunc montana Babenbergenſia vocantur: & ditio Marchionum Brandenburgenſium, ubi civitates ſunt *Holfeld, Culmbach, Peyrreut, Hoff*, cum *Foytlandia*.

Sub

Sub his montibus prædicta *Gabreta* eſt ſilva, quæ & ipſa pars eſt ſilvæ Bohemicæ.

Sed & *ſilva Hercynia* initium inter hos & Sarmaticos ſumit montes, quæ immenſo protenditur tractu: nam Cæſar ſcribit, neminem hujus Germaniæ eſſe, qui ſe audiſſe aut adiiſſe ad initium hujus ſilvæ dicat: etiam quum itinere quadraginta dierum proceſſerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit: latitudine vero novem dierum itinere expedito patére, multarumque gentium fines propter magnitudinem attingere. Hanc olim, ut ex variis patet ſcriptoribus, Germani inhabitarunt, fuitque ibi Germania magna, ſed illam poſtea occuparunt Poloni gens Sclavonica, eamque hodie cum Moſcovitis, & Lithuanis tenent.

Luna ſilva, & ipſa pars eſt ſilvæ Bohemicæ verſus meridiem uſque ad Danubium pertingens.

IN RHETIA ET VINDE-licia.

Adula monte, lătus occidentale Rhetiæ terminatur, hodie Alpes ſunt juxta Curiam & loca circumjecta.

Graiæ verò ſunt *Alpes*, Atheſini, & Oeni vallis dicti, quæ Italiam verſus extenduntur. *Penninæ* autem ſunt juxta principium Lyci amnis.

Ocra mons hodie Alpes ſunt circa Juvanum, hoc eſt, Salisburgium.

IN NORICO.

Cecius mons in Norico eſt, hodie Scytorum ſive Styrenſium montana.

Carvancæ montis nomine, hodie Carnorum, Croatenſium ac Gorcenſium Alpes continentur.

Cæterum hoc quoq; ſcire refert, Germaniæ montes ac ſilvas, licèt diverſis appellentur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipere, ac poſteà ſemper continuo quaſi tractu hinc inde diſcurrere, rurſusq; in ſeipſos reflecti, ac magna ex parte ad montana Bohemiæ, & ſilvam illam concurrere.

Cæſar *Bacenim* ſilvam infinita magnitudine eſſe ſcribit, & inter Suevos ac Cheruſcos diſcurrere: ex quo patet, Bacenim eſſe, quam Ptolemæus *Silvam Semanam*, hoc eſt, Duringorum ſilvam vocat. Is enim eo tempore Suevos Albis fluvii accolas à Cheruſcis dirimebat.

ULTRA RHENUM VERO ſunt:

Jura vel *Juraſſus* mons, cujus nomine Suitenſium hodie continentur Alpes, usque ad Allobroges.

Vogeſi montana ſunt, quæ hodie per Hunorũ tergum, ac Lotharingiam extenduntur.

Arduena olim latiſſimè patebat, hodie *Eyflia* pars illius exiſtit. Strabo ait: Arduenam Morinos, Atrebates, Eburones, & Menapios attingere.

Ryphei autem & *Hyperborei* montes, de quibus priſci tam multa ſcripſere, nusquam hodie comparent, licèt tota Europæa & Aſiatica Sarmatia undique à Germanis, Polonis, & Moſco-

bitis ſit peragrata ac cognita; ſed omnia ſunt plana, niſi juxta mare glaciale, ubi colles quidam eminent admodum mediocres. Amnes verò maximi, veluti *Rha*, qui & *Volga*, Tanais & *Duna*, quæ & Zunna, ex ſilvis, terra plana ac paluſtri, & nequaquam ex montibus aliquibus oriuntur.

DE FLUMINIBUS Germaniæ.

FLumina verò Germaniæ ſunt quam plurima, quæ partim in Rhenum, Danubium, Albim, & Viſtulam exeunt: quædam & ſine alienũ incremento in Oceanum exonerant Germanicum. *Atheſis* vero, licèt in Alpibus & Germanorum oriatur, in ſinũ tamen influit Adriaticũ.

In Rhenum igitur influunt amnes inſigniores, *Ilargus* non longe à Felthkirchio: poſtea *Ara*, *Lymacia*, & *Ruſia*, flumina rapidiſſima, ex Elvetiorum montibus ortum ſumentes.

Deinde *Neccrus* ſive *Neccarus* fluvius celebris, in quem decurrunt *Cocerus* & *Jagaſta*, nec non alia quædam flumina ignobiliora. Poſtea *Mœnus*, vel, ut quidam appellant, *Moganus*, in Rhenum ex oppoſito Moguntiæ exit, fluvius magnus & navigabilis. Verùm priuſquam exoneretur, multos alios recipit amnes: & primum *Rednitium*, qui & Radiantia & Tramantia vocatur, poſtquam *Pegneſum* per Nurmbergam fluentem ſuſcepit, per Babenbergenſem labitur urbem, à qua haud longe miſcetur Mœno. Ab hoc flumine Carolus Imperator, qui *Magni* nomen

nomen eſt ſortitus, foſſam in *Almonem*, qui in Danubium influit, ducere eſt aggreſſus, ac integram æſtatem exercitum in opere detinuit, ut hoc pacto à Rheno in Mœnum, ac ex illo in Regnesum, inde per foſſam in Almonem, & ex eo in Danubium, & ita à mari in mare navigari poſſit. Verùm ob ingruentes, ut fertur, tempeſtates, ab opere ceſſare eſt coactus: manent tamen adhuc manifeſta tanti conatus veſtigia, inchoataque foſſa pluribus in locis cernitur: præcipue tamen juxta *Burgum album*, nunc *Wiſſenburgum*.

Deinde *Tubera* in Rhenum cadit, non parvi nominis amnis.

Poſtea *Naus*, multis aliis auctus fluminibus, juxta Bingium in Rhenum incidit.

Exinde *Moſella*, quæ, ut ſuperius eſt oſtenſum, *Obrincus* eſt, apud Confluentes in Rhenũ exit. Verum prius *Sarum* fluvium magnum ſupra Trevirenſem ſuſcipit urbem, qui Sarus antea *Bliſſa* & *Nida* quoq; augetur.

Arar quoque ex jugis TrevIricis, hodie Eyflia, exortus, multis & ipſe auctus torrentibus & fluviis, ſupra Rigomagum in Rhenum evolvitur.

At ex alia Rheni parte *Lona* amnis inſignis per Haſſiam fluit, & multis auctus fluviis, juxta oppidum *Lonſtein* iu Rhenum excurrit. Sequitur deinde fluvius *Angra*, deinde *Rura*, vel Adranus: & demum *Lupia* apud Weſaliam Rheno admiſcitúr.

Noviſſimè verò *Moſa* Rheno conjungitur;

Rhenus verò dividitur in *VVahalim*, hoc eſt, *den VVal, & Iſulam*, nunc *Dyſel* vocatur, nec non in *Lecum*, id eſt, *den Lech*, & per hæc tria oſtia maxima exonerat in Oceanum Germanicū, totamque inundat Selandiam, Hollandiam, & Friſiam.

Amnes verò, qui in Danubium influunt, inſigniores hi ſunt.

Ilera *die Iler.*
Bernicus *die VVernitz.*

Lycus fluvius, ingens & rapidus, ac multis auctus amnibus, juxta *Leſchgmund* haud longè ab Auguſta Vindelicorum, Danubiū irrumpit.

Almonus fluvius, quo in tota Germania nullus piſculentior eſt, juxta Kelhaim exit.

Nabus verò ex monte Pinifero oriens, ac *Vilſum* aſſumens, juxta Ratiſponam exonerat: pariter & *Regnus*, in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes.

At *Iſara* fluvius rapidus & ingens ab Alpibus per totam labens Bavariam, cum multos alios accepit amnes, juxta *Filshoven* Danubium influit.

OEnus verò fluvius maximus ac rapidiſſimus, quum per OEni vallem & Bavariam fluit, ac per *Juvarum* vel *Saltzam*, & multos alios auctus amnes, tamdem juxta Boedunum nunc Patavium, cum tali impetu in Danubium ruit, ut per longiſſimum ſpacium curſum ſuum ſervet, nec Danubianis admiſceatur aquis, quēadmodum perſpicuè ex undarum colore apparet.

Ilza

Ilza *Ilz.*
Trauna *Traun.*
Eneſus *Ems.*
Iola *die Igel.*
Leyta *Leyta.*
Marchia vel Morava *Marck.*
Arabon *Rab.*
VVag fluvius,
Grana fluvius,
Daras vel *Drauus die Trab:* qui *Muram* vel *Murum, die Mur*, ſuſcipit, fluvius ingens. Inter hunc & Danubium Turcarum impera-tor Ladiſlaum Hungariæ regem devicit.
Tybiſcus *die Teyß*, vaſtum flumen.
Saus *die Sau*,amnis maximus,is juxta Taurunum, hoc eſt Albam Græcam, Danubium influit. Sequitur inde.
Moſchus.
Rhaboſus.
Ciabrius.
Alutas Forſitan Baralat & Seretius amnis,
Hieraſſus nunc Pruth fluvius.

IN OCEANUM EXEUNT POST Rhenum:

Vidrus hodie *Unda nigra*,in Cathorum montibus oriens,

Amaſus ſeu *Amaſia*, nunc *die Ems.* in hunc fluvium Strabo Viſurgim & Lupiam deferri ſcribit, errore manifeſto, cum Lupias in Rhenum, Viſurgis verò longè ſupra Amaſum in Oceanum exeat.

Viſurgis, VVeſera fluvius inſignis: hic *Feldã, Ederam, VVeram*, & *Nidam* amnes ſuſcipit, per Saxoniam, & juxta Mindenſem, Werdenſem, Gotingenſem ac Bremenſem labens civitates, tandem in Oceanum exonerat.

Albis die Elb, magnus Germaniæ fluvius, in montibus Boemiæ oriens, ſuſcipit autem *Multam* flumen magnum, quod Pragenſem præterlabitur civitatem. Deinde *Egram*, ex monte pinifero, ut dictum eſt, fluentem, poſtea *Salam*, ac Ortellam, demum civitatem Hamburgum præterlabens, in Oceanum Germanicum vaſto evolvitur ore. Ad hujus exitum Saxonum Inſulæ ſunt poſitæ, quas, ut dictũ eſt, hodie Dietmarſi inhabitant, gens indomita, & multis victoriis contra Daniæ reges, Sleſuicenſes duces, & nobilitatem clara.

Chaluſus fluvius *Eidorus* eſſe cenſetur.

Suevus die Spre, oritur & hic amnis ex Bohemiæ montibus, ac juxta Sundenſem civitatẽ, hoc eſt, Laciburgium in Oceanum exit.

Viadrus, hodie *Odera*, fluvius magnus, in hunc *Neuſa*, quæ per Sleſiam & Uratislavienſem labitur civitatem, fluit. Tandem apud Caminum in mare erumpit.

Viſtula, quæ & *Iſtula*, ſeu Juſtula, aut Vandalus appellatur, fluvius ingens, & ultra quem Ptolemæus Sarmatiam Europæam auſpicatur, oritur in montibus Sarmatiæ, & Cracoviam alluit, inde per Poloniam fluens, *Dravavitz* fluvium, quem quidam *Dravennam* eſſe volunt, ſuſcipit. Deinde duobus oſtiis & apud Danti-

ſcum

ſcum & Elbingen in ſinum Codanum exit.

Poſt hunc *Chronus*, qui Paſſaria eſſe cenſetur, in mare fluit.

Inde *Pregora* fluvius, poſt quem *Memula* amnis magnus, qui & *Niemen* vocatur, in Lithuania oriens, in mare erumpit Prutenicum.

Poſtea *Hilge* fluvius, deinde *Poler* fluvius, ſequitur hunc *Duna*, quæ & *Zuina*, ac *Binda*, ingens fluvius, qui & ipſe in Lithuania oritur, ac juxta Rigam civitatem in mare erumpit. Forte apud Ptolemæum eſt *Cherſinus*.

Inde *Anne* fluvius, tandem *Narva* ſupra civitatem Revalienſem juxta Flautennam in mare exonerat. Limes hic eſt inter Livoniam, quæ Crucigeris paret, & Moſcoviam. oſtia fluvii hujus in elevatione polari graduum 62. eſſe feruntur.

IN PONTUM AUT EUXInum fluunt.

Tiras, der Neſter, qui juxta caſtrum nigrum in mare exit.

Boryſthenes, der Neper, in Lithuania ortum ſumens, & per medium fere Ruſſiæ labens.

Tanais, Don, oritur in Moſcovia, ex terra plana, & nequaquam ex montibus.

Rha fluvius maximus, oritur in Moſcovia; quamque ſub initium verſus Septentriones fluat, mox ad orientem flectit, longeque Tanaim ambit: tandem ad meridiem converſus, per Sarmatiam Aſiaticam, & campos planiſſimos Tartarorum vagatur, ac per viginti quinque o-

ſtia maxima in mare Caſpium, quod nunc mare de Bachan vocatur, exonerat, juxta civitatem *Derbet*. Oriuntur autem in Moſcovia, præ cæteris tria maxima flumina, nempe *Zuvina, Tanais* & *Rha*. Proinde mercatores Germani, tria maxima flumina eodem vocant nomine, nempe *Danubium*, vel *Iſtrum*, *Dunam*, quæ & *Zuina*, ac *Tunaim*, & cum ſe de longinqua peregrinatione jactitant, tres ſe Danubios vidiſſe aſſerunt. Proinde in his omnibus nihil certi affirmamus, niſi, ubi veritas ſeipſam manifeſte prodit. Quis enim in re tam dubia, & ubi propter variarum gentium transmigrationem omnia ſunt immutata, non aliquãdo aberraret? planè enim conſtat numeris haud confidendum eſſe, quos Ptolemæus in his oris nequaquam ex obſervatione certa, ſed ex aliorum ſcriptis aut dictis, vel per inſtrumentum quoddam Mathematicum, ſeu juxta conjecturam aſſignavit, quod & ipſemet ingenuè fatetur. Porro in Germania inferiori nequaquã abſurde à fluviorũ aliquando ſitu credibilis ſumi poteſt conjectura: at in Germania ſuperiori nullus ab ſcriptoribus recenſetur fluvius (præter *Danubiũ, Mœnũ* & *Oenũ*, licèt multi alii ſint, & inſignes) cujus adminiculo vel parumper ad veritatẽ accedi poſſet: ubiq; igitur conjectura potius quã ulla nitimur certitudine, ita tamen, ut nemini legẽ præſcribamus, ne à noſtra diſcedat opinione. nã quicumq; oſtendere poterit, ſe nobis rectius ſentire, huic non ſolum non repugnabimus, ſed etiam gratias habebimus gratiſſimas,

ſinus

ſi nos melius informare valebit. Ego enim ita in pleriſq; me dubium eſſe fateor; ut ignorem etiã, cui nam genti patriam meam Nurenbergã, quæ *Segodunũ* eſſe cenſetur, aſcribere debeam: hoc tamen pro comperto habeo, Noricos quum à Romanis expellerẽtur, ultra Danubiũ & in hanc regionem conceſſiſſe, quæ & hodie ab his nomen retinet, & *Norica* vocatur, qua continetur quicquid ab exitu fluvij Almonis in Danubium Nurenbergam uſq; protenditur, ita, ut Albusburgus, nunc W*eiſſenburg*, in Noricis eſſe dicitur, ſed & procul dubio Norimberga quaſi *mons Noricus*, à Norica regione nomen accepit, Trajectusq; amnis Regnicij per miliare unũ à Norimberga diſtans, Germanice *Furt*, in Norico agro reputatur, à quo deinde occaſum verſus ac Septemtriones Francia orientalis, ſeu Franconia ortum auſpicatur. Sita eſt autem Norimberga, non ſolũ in Germaniæ, ſed & totius Europæ umbilico: tantũ enim diſtat à flumine Tanaide, quantum à Gadibus: ab Oceano quoq; Germanico, quantum & à mari mediterraneo, altitudo ejus polaris graduum eſſe cenſetur $49\frac{1}{2}$ Vera autem longitudo graduum 27. minut. 22. quę quidem longè diſcrepat à deſcriptione Ptolomæi.

REGIONUM ET CIVITA-tum quarundam nomina.

RHetia. *Suevia* transdanubiana, junctis Alpibus.

Vindelicia *Bavaria.*
Noricum *Landt an der Ens.*
Pannonia ſuperior *Auſtria.*
Pannonia inferiori *Ungaria.*
Marcomanni *Merhern.*
Cimbrica Cherſoneſus Ducatus *Holſatiæ,* & *Schleſuicenſis.*
Sicambria *Montenſes* hodie ibi degunt.
Batavi *Geldrenſes* juxta Rhenum & Wahalim, ac etiam *Hollandi.*
Arduenna hodie dicitur, *Ardenna*, apud Namurcũ, ac magna pars eſt diœceſeos Leodienſis, & pars ducatus Lucemburgenſis, ac Juliacenſis, uſq; Coloniam · vel Caſtrum.
Gallia Narbonenſis *Provincia.*
Gallia comata *Francia.*
Lutecia *Pariſium.*
Remi *Reins.*
Sequani *Burgundiones*, comitatus.
Hedui *Burgundiones*, Ducatus.
Allobroges *Sabaudienſes*, cis & ultra Lemanum lacum.
Aulertij *Aurelianenſes.*
Ambiani *Amiens.*
Attrebates *Aters:* civitas Epiſcopalis nomen hodie tenet.
Bibractæ *Beurai.*
Alexia *Alſetum.*
Gergovia *Claramont.*
Genebum *Orliens.*
Gebenna *Genf.* certum ex Cæſare.
Arar *Sagoma.*

Turones

Turones & Veneti *Britannia.*
Lacus Lemanus Lacus *Loſanen*, certum.
Britannia inſula *Anglia.*
Scotia.
Hibernia Hodie dicitur *Hibernia* inſula verſus occidentem Britanniæ.
Dania *Denmarckt.*
Norvegia *Nortvvegen.*
Suetia *Schvvveden.*
Gotia *Gotlandia* inſula.
Scandia *Schonlandt.*
Luſitania complectitur: *Portogalliam*, regnum Murſiæ, ac partem Granatæ.
Gallatia *Gallatia.*
Tarraconenſis *Cathelania* & *Arragonia.*
Betica *Caſtiliæ* pars magna, ac pars etiam Granatæ.
Hiſpalis *Sybilia.*
Triballi *Bulgari.*
Miſia ſuperior *Boſna.*
Dalmatia hodie dicitur *Dalmatia* & *Sclavonia*, pars eſt Liburniæ & Hiſtriæ.
Illyrij *Boſſinenſes* & *Dalmatæ.*
Miſia inferior *Servior* & *Raſcia*,
Getæ *Tranſylvani.*
Dacia *Valachia.*

Traciæ pars maxima Romania.

Macedonia *Albania.*
Boetia cum Phocide *Ducatus.*
Attica & Megarenſis ora *Setina.*
Hellas cum Locride *Ulachia.*

Etholia *Deſpotatus.*
Ambratia *Larta.*
Peloponeſus *Morea.*
Iſthmus *Heximilium.*
Sparta *Miſiſtratum.*
Licia *Briqua.*
Jonia *Quiſcum.*
Æolia *Eolia.*
Pontus *Trapezus.*
Berithum *Barut.*
Epiphania *Alepum.*
Memphis *Cayrum.*
Babylon *Baltach.*
Aphrica *Barbaria.*
Tuneta *Tuniſi*, prope Carthaginem.
Cumania *Tartaria* inter Rha fluvium & Tanaim.
Gedroſia *Tarſe, Guzerat* & *Cambeia.*
Caramania & Aria *Turqueſte* & *Dulcindæ* regnum.
Iberia & Albania *Colchis* & *Comaniæ* pars.

India intra Gangen, nunc *Melibar*, vel *Zelmando*, continet Regnum de Decam, Calequut, Cochin, Coulam, nec non Narſingæ & Oriſſe regnum.

India extra Gangen. *Mazin*, Regnũ Banguelæ, Eracangui, Pego, Ava, Damaſiam, Ternaſuri: uſque ad Cherſoneſum Auream.
Inſulæ Fortunatæ *Canariæ.*
Inſulæ Heſperidum *Caput Viride.*

INDIA

INDIA CONIECTURALITER.

Ptolemæus. Nunc.

Praſſum promontorium *Monſambic.*
Rapta *Quiola.*
Tonica *Mombaza.*
Apocopa *Melinda.*
Zingis *Caput de Guarda fu.*
Aromata *Zeila.*
Moſylum *Cavaquin.*
Dire *Babel Mendap*: ibi ſunt anguſtiæ rubri maris, nunc *ſtrictum de Mecha.*

Ab alia verò parte maris rubri:

Arabia felix *Leaman* usque ad Adem.
Badeo *Gyda.*
Muza *Maha.*
Ozelis *Adem.*
Syagros *Caput Fartaq;.*
Armuza *Ormus.*
Alanibater *Diu.*
Mongloſſum *Goa.*
Simyla *Calecut*, vel *Choſſin.*
Comaria promontorium *Comaria.*
Colchi *Cael.*
Aurea Cherſoneſus *Malaqua.*
Sinæ *Schin.*

Poſtea eſt Regnum de Cuſch, & Zampa, deinde Cathaio.

Cæterum quià multi contendunt inſulas nuper ab Hiſpanis inventas, omni ætati fuiſſe incognitas: libuit hic adjicere, quid Ariſtoteles in libro De admirandis in natura auditis, de illis

ſcripſe-

ſcripſerit, quæ tal[illegible] fere ſunt.

Aiunt etiam Phœnices illos, qui ultima [illegible] incolunt, quum trans Herculis column[illegible] quatuor enavigaſſent, vento max[illegible]-cti adplicuiſſe tandem ad loca quædam [illegible] prorſus ac deſerta: verùm plena mult[illegible] continuo penè conquaſſata motu, ea ubi ceſſa[illegible] æſtus, facile conſpici poſſe, ſed redeunte [illegible] quibus inveniſſe eos affirmant incredibil[illegible]dam thymorum multitudinem, magni[illegible]dem & amplitudine admirabili. Tum vero a[illegible] parari laqueos cœpiſſe: quibus cum c[illegible], captos autem membratim concidere, [illegible] carnes deſiccare paulatim conſuev[illegible] in vaſis reconditos, deferre Carthag[illegible]. V[illegible] à Carthaginenſibus non amoveri amplius è c[illegible]te, ſed potius eos inter ſe conſumere, ob eam [illegible] ferunt huiuſmodi piſces in conviviis d[illegible] & excellentiam de ſe præſtare. Hanc Thy[illegible] multitudinem palam jam cernere eſt in [illegible] Madere, & inſulis quæ *Faial* ſeu *N[illegible] Fl[illegible]* adpellantur. Proinde in eodem libello [illegible]teles ita quoque ſcriptum reliquit:

Trans Herculis columnas in eo mari quod At-lanticum dicitur, inventam quandam [illegible] Carthaginenſium mercatoribus olim fuiſſe [illegible]unt, à nullis ante id temporis habitatam, præ[illegible]quam à feris, & propterea ſylveſtrem a[illegible] multis refertã arboribus: alioquin fluminibus plurimis ad navigandum aptiſſimis plenam ac incredibili quadam omniũ rerum naſcentium ub[illegible] profluentem, ſed remotam à continenti plurĩ di-

rum

rum navigatione: ad quam cùm nonnulli Carthaginenſium mercatores fortè acceſſiſſent, captique ejus loci fertilitate ac aeris clementia, ibi ſedem fixiſſent: commotos ob id Carthaginenſes ferunt, ſtatim cōſilio publico decreviſſe, morte indicta, ne quis poſthac illac navigare auderet: & qui jam ierant, juſſiſſe ſtatim interfici, ne ipſius inſulæ fama perveniret ad alias nationes, ſubmitterenturque alicui fortiori imperio, ac fieret quaſi oppugnaculum quoddam adverſus eorum libertatem.

Proinde compertū eſt ex obſervatione eclipſis, quæ fuit in menſe Septembri anno Salutis 1494. Hiſpaniam inſulam, quatuor ferme horarum interſtitio ab Hiſpali, quæ Sibilia eſt, diſtare, hoc eſt gradibus 60 qualium eſt circulus maximus 360. medium verò inſulæ continet gradus 20. circiter in altitudine polari. Navigatur autem ſpacium illud communiter in diebus 35. altitudo verò continentis oppoſiti, cui Hiſpani *ſanctæ Marthæ* nomen indidere, circiter graduum eſt 12. Darien verò terra & ſinus de Uraca gradus quaſi tenent $7\frac{1}{2}$ in altitudine polari, unde longiſſimo tractu occidentem verſus terra eſt, quæ vocatur *Mexico* & *Temiſtitan*, à qua jam non longe remota eſt inſula, *Jucatan* cum alijs nuper repertis.

FINIS.

GERMANIÆ INFERIORIS HISTORIÆ, ET LOCA ALIQUOT DECLArata; auctore Gerardo Noviomago.

GERARDUS NOVIOMAGUS D.C.N. viro clariſſimo, S.P.

RECTE admones N. amice doctiſſime, ſed ſerò, debuiſſe videlicet me BATAVICAM, adeoque patriam Hiſtoriam, exactius, copioſius ac ornatius ſcribere, priuſquam, non aliter quam implumis avicula è nido, in publicum protruderetur. Addis præterea ſæculum hoc noſtrum emunctas habere nares, ac ſagaciter ſubodorari, ſi quid in alienis præcipue libellis deſideretur. Non habeo, mi N. quid ad hæc reſpondeam, niſi hoc unũ, quod magnorum virorũ auctoritate adactus potius, quàm gloriolæ cujuſvis aucupio inductus, hanc tumultuariam farraginem foro exponi paſſus ſim. Et, ut rem planè intelligas, quum Vermatiam, non uno nomine mihi laudandam civitatem, propter inſidias, quæ mihi ſtrui ab aulicis amicis nunciabantur, relinquere coactus eſſem, hucque aſcendiſſem, & vix haberem unde me alere poſſem, conſulebant amici mei haud vulgares, ut N. viro clariſſimo, aliquot literarij laboris

boris opuſculum nominatim inſciberem, futurum ſperantes, ut hac ratione ſtudioſis ac doctis viris, quorū hic non contemnendus eſt numerus, innoteſcerem, & opera V.C. atque collegarum qui ipſius ſententiæ vel rariſſime contradicere ſolent, docendi munus aſſequerer, unde mihi pro modulo profeſſionis & ætatis meæ vitæ neceſſaria pararentur. Non potui non obedire tam candidis conſultoribus pariter & præceptoribus: & quum nihil aliud præ manibus eſſet, Batavicæ Hiſtoriæ collectanea in hunc quem vidiſti ordinem digeſta, Typographo edenda volens tradidi. Quàm non infeliciter autem hujus aleæ jactus mihi ceciderit, & præſens rerum mearum ſtatus ſatis indicat, & ipſe coram aliquando audies. Eadem quoque cauſſa extitit, quare verſiculos quoſdam, ſub adventum meum in hanc urbem, profuderim, gratificaturus ſcilicet pijs lectoribus. Et hi licèt non admodum venuſtuli ſint; tamen nec à Chriſtiani verſificatoris modeſtia alieni, vel inimico judice, cenſeri poterint. Quunque hujuſcemodi eſſent, non ſolum non profuerunt auctori, verum etiam, ubi gratiam mereri debuerant maxime, ibi obfuerunt maxime. Sed hoc utcumque tolerandum fuiſſet, niſi larvati etiam pinguiculique Poëtæ eis inſultaſſent, non ob aliud, niſi quod pro Apollinis, pro muſarum & hujus farinæ indoctarum fabularū (quæ nihil præter arrogantem quandam oſtentationem habent) toties & tam inepte, iterata nomenclatura, Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, nomen

men ibi legeretur. En habes, vir ornatiſſime, bene longam temeritatis meæ excuſationem, qua ſi tibi ſatisfactum ſenſero, eſt quod gaudeã; ſin minus, ſuper eſt, ut hanc præproperæ editionis jacturam reſarciã, additionis nonnullis, quæ ad inferæ GERMANIÆ noſtræ illuſtrationem pertinere videbuntur. Ad hunc igitur penſum, quem patriæ debere me confiteor, abſolvendũ, veterum Hiſtoricorum libros haud oſcitanter lego, excerpens, annotans, conferens, ut vel tandem patria noſtra veris præconiis illuſtretur. Veritas enim (ut ille inquit) in auctoribus ſemper ſequenda eſt. Recentiorum quoq; ſcriptorum libros introſpicere penitùs ac lectitare diligentius, non gravor: ſed in his experior veriſſimum eſſe, quod Plinius ait, ſui quiſque ſitus diligentiſſimus auctor eſt. Magni enim & eruditi alioqui viri in Principum noſtrorũ conſcribendis Hiſtorijs, locisque Inferioris Germaniæ, indicandis, fœdè hiſce annis lapſi ſunt. Quorũ errores neq; mordacius neq; amarulentius hîc exaggerabo, ſed rei tantum veritatem ſimplici oratione ob oculos ponam, ut candidus lector conferat, expendat, dijudicet,

CAROLI CÆSARIS ſtemma quidã ambitioſè ſatis ſcribere adgreſſus, ubi paternam Genealogiam ſuperſtitioſius ſupputando enumeraſſet, maternam (qua ratione neſcio) originem ſubticuit.

HERALDI verò (liceat hoc uti vocabulo) atque horum præcepta ſequuti pictores, nobilium ſtemmata hoc ordine deſcribunt, ut

primo

primo loco patris, ſecundo matris, tertio aviæ paternæ, quarto maternæ, inſignia & tituli collocentur, & ita ad proavias & abavias, ad maiores uſque aſcendere ſolent.

Illus. D. Margaretha Divi Maximiliani Auguſti filia, primo, patre magis connivente quàm volente, Carolo octavo Francorum Regi, deſponſa fuit, ſed certas ob cauſas, nec ſcriptorum vulgo notas, in patriam remiſſa eſt. Id quod non ſemel pater Auguſtus antea poſtulaverat. Deinde Joanni Caſtellæ Regi, Ferdinandi Hiſpaniarum Regis (quem merito Bæticum ob devictum inclytum illud Granatæ regnum dixeris) filio nupſit, cui & prolem peperit, qua à patris morte non diu ſuperſtite, demum nuptui tradita eſt Philiberto Allobrogum Duci, qui cum amanter conjunctiſſimeque vixit, quo vita functo, vidua permanſit.

D. Johanna, mater Caroli Augusti & Ferdinandi Regis, non fuit primogenita (ut iſte ſcribit) Ferdinandi Hiſpaniarum Regis: primogenita enim duobus Luſitanicis Regibus uxor fuit.

Roterodamum Batavorum oppidum, & olim non ignobile & noſtra ætate, D. Erasmi Roter. incomparabili eloquentiâ & eruditione, apud exteras nationes magis nobilitatum, non à Sycambrorum Rege quopiam, ſed ab aqui in quarum aggere (quem *Dam* Batavi dicunt) ſitum eſt, quaſi *Roteræ* aggerem dicas, denominatur.

De Sycambrorum finibus, & ubinam ultrà Rhenum, Rheno licèt proximi, habitarint, Cæſar Julius in primis conſulendus erat. Nam hos, qui ab Octavio Auguſto, in Gallicam Rheni ripam tranſlati leguntur, nullum umquam Regem proprium habuiſſe conſtat.

Quæ verò de Francis & Sycambris ſcribuntur, ad alia tempora & loca ſpectare videntur. Suntq; hìc obſcuræ hiſtoricorũ veterum nebulæ diſcutiendæ, ut veritatis ſplendor lectori adpareat. Id quod nos, Chriſto auſpice, aliquando conabimur.

Neomagi, non adpellantur vulgata veterive noſtrate linguâ, novi amici vel vicini, ſed *Magen*, Batavicè, conſanguineos dicimus. Quare longè altius ejus vocabuli ratio petitur, ab his qui Belgarum vicinorumq; Germanorũ Hiſtorias exactiùs & majore judicio cõſcripſere. Qua de re in *Batavia* noſtra nonnihil attigimus, ubi etiam nobilem arcem *Batoburgum*, non à *Baſſano*, Rege neſcio quo, fortè chartaceo, ſed à Batavorum principe, ad Moſæ ripam conditã oſtendimus. Neque *Baſſanborch* (ut eſt apud Abbatem Trithemium) ſed ſervata Batavicæ linguæ proprietate, *Batenborg* dicitur.

GELDRIÆ ducatum, (ita dici cœptum) à Gerlaco Geldriæ præfecto, nomen habere, tam verum eſt, quàm Wahalim, Buſcumducis Brabantiæ oppidum præterfluere.

GELDRIORUM præfecturam, ante Gerlacum, Wichardus & Lupoldus adminiſtrarũt, neq; opus eſt, ut ad Geldriacum monſtrũ, fabuloſum

Ioſum videlicet illum & volatilem draconem, recurramus, illorũ ineptam gloriationẽ imitantes, qui Olorem Ledæ adulterũ, & neſcio quem obſcuriorem incubum generis nominiſque ſui auctorem agnoſcere malunt, quam notæ probitatis plebeium quempiam.

Veriſimilis admodũ cõjectura eſt, Geldriam à *Gelduba* arce, paucis immutatis literis, dictam. Sed de his in *Batavia* noſtra fuſius.

Cæsar Julius, non minus omnis eruditionis, & in primis Mathematicæ, quam armorum gloria clarus, rectè (ut cætera) ſcribit Scaldem in Moſam influere. Hujus rei etiamnum haud obſcura veſtigia extant. In Zelandia, quæ Hollandiæ ſubjacet, Inſula eſt (in qua *Ciriczea* oppidum celebre, cujus cives rei nauticæ peritia cæteras ferè maritimas nationes excellunt) quæ à Scaldi fluvio Scaldiæ nomen ſortitur. Quæſtores quoque Zelandiæ, unus à Scaldi orientem verſus; alter à Scaldi occidentem verſus appellantur. Præterea in Moſam, non procul à *Brielis* oppido, influit. Sed exteris mercatoribus imponit, quod ubi olim terra pagis & arcibus culta extabat, ibi nunc vaſtum mare cernitur. Hinc factum eſt, ut Fluviorum oſtia, ad veterũ præſcripta internoſci vix queant. Conſtat inter maritimos Flandros, Selandos, Hollandos, Friſios, colles illos arenarum (*duni* vulgo dicuntur) quos rerum parens Deus, terminum mari circumdedit, olim non tam late perruptos ac diſſitos fuiſſe, quàm nunc ſunt. Cæleſtis enim pater peccatis noſtris, ad iracundi-

am provoatus, horridis tempeſtatibus, terras admodũ fertileis in ſalſiſſimũ mare, intra ducentos annos convertit. Sed nos infelices planè & vecordes naturæ adſcribimus, quod ſolis ſcelebus noſtris imputandum erat.

ADVATICI, ſive *Aduantici* (utrumq; enim legitur) neq; Antuerpiani ſunt, quorum civitas Scaldem præterfluentem habet, neq; *Moſatrajectini*, quorum oppidum Moſa interſecat: ſed Cæſaris teſtimonio, Advaticorum oppidum omnibus partibus in circuitu, altiſſimas rupes deſpectusque habebat, una ex parte leniter acclivis aditus, in latitudinem non amplius ducentorũ pedum relinquebatur. Raymundus Marlianus, alludens ad vetus vocabulum, Duacum (vulgo *A Duay* dicitur) eſſe arbitratur. Verùm Cæſaris deſcriptio, huic loco, neſcio an umquam, certe hac ætate minimè quadrat.

Cornelius Tacitus de Germanis, homo Romanus, non malè meritus, quem etiam conſtat *Belgicæ* Galliæ rationes procuraſſe, non potuit tria Rheni oſtia ignorare, quum Cæſar Rhenum, ubi Oceano adpropinquat, in plures diffluere partes ſcripſerit. Verùm ea nominatim non explicat, ſicut nec Plinius, qui duorum tantum meminit, tertij velut notioris nullam mentionem faciens. Tacitus præterea eo loci, *Batavorum Inſulam*, non Rheni oſtia deſcribere voluit. Huc accedit quod brachium Rheni, ad Septentrionem, nomen ſuum, ut ad Gallicam ripam; nondum mutaverat: ſed tam ad Septentrionem,

trionem, quam medio alveo, Rhenus dicebatur. Poſtea lacus illi, in quos Rhenum ſe ad Septentrionem ſpargere, Plinius indicat, unà cum vicinis paludibus, deductis foſſis, multis in locis exiccati, eaque Rheni pars, quæ in hæc influebat, intra certas ripas fluere, aggeribus coacta, *Iſſula* dici cœpit. Ad hujus dexteram eſt hodie, tot nobilum equitum patria, Comitatus *Zutphaniæ*, qui à paludibus, quas *Venen* vulgus adpellat) nominatur. Peninſula verò, quæ ac ſiniſtram jacet, & ipſa à locis paluſtribus, *Veenavia*, id eſt, paludum Inſula, corrupto vero vocabulo *Vella* vel Valavia adpellatur. Verùm de his in *Friſia* noſtra, ubi ad *Oſtergoam*, & *Weſtergoam*, id eſt, ad pagos orientales & occidentales, perventum fuerit, exactius ſcribemus, declarabimusque quomodo Oceanus crebris tempeſtatibus actus, excreſcens atque exæſtuans, fluviorum oſtia, veteribus diligenter deſcripta, confuderit.

Quæ verò ad Batavorum Inſulam pertinent, in Batavica Hiſtoria noſtra paucis perſtrinximus, licèt ſint, qui abſque ratione, nulla veterũ auctoritate muniti, à me in quibusdã diſſentiãt. Sed candidi lectoris eſto judicium.

Eos qui *Vetera caſtra*, nunc *Xanthum* oppidum agri Clivorum dici putant, Cor. Tacitum oſcitanter legiſſe adparet. Is enim Veterum ſitum deſcribens, partem caſtrorum in collem leniter aſſurgere dicit. Conſtat autem *Xanthum* in paluſtribus locis fuiſſe, licèt paulatim tot annorum ſpatio, terra altius aut adcreverit aut ad-

geſta ſit. Legitur in vita Divi *Victoris* & commilitonum ejus, quod corpora eorum in loca paluſtria projecta ſint, quorum oſſa mea ætate, ſub fundamento templi divi Victoris reperta, & *Maximiliano* Auguſto, ob inſignem magnitudinem, miraculique gratia, oſtenſa ſunt.

Mararmanis portus, cujus Ptolemæus meminit, eſt inter duo fluviorum oſtia, *Vidri* videlicet & *Amaſis*, ergo nullo modo fuit ubi nunc *Campi*, Veenavici littoris oppidum eſt, ſed neceſſe eſt eum fuiſſe in *Friſia*. Et quum is portus jam nuſquam ſit, excutiendę ſunt veteres Friſiorum hiſtoriæ, in quibus legitur quod olim brachium quoddā maris Oceani, tutiſſimum portum magnarum navium fecit, juxta arcem *Mararmanis*, cujus nomen & ruinæ etiam hodierno die manent. Situs quoque hujus loci omnino cum gradibus longitudinis & latitudinis per Ptolemæum deſcriptis, concordat.

De Batavoduro, quod Batavicè *Duerſtat* dicitur, diſtatque duobus plus minus miliaribus ab *Ultrajecto*, in Batavia noſtra diximus.

En habes, Vir ornatiſſime, incerniculum quoddam ſive ſpecimen annotationum obſervationumque mearum, quas non alia de cauſſa ſcribo, quam ut Hiſtoriæ Germanię veritas conſtet, & patria noſtra ut olim, ita & hoc ſæculo ſua laude & gloria non privetur. Bene vale. Argentorati. Idibus Januariis, Anno Domini 1531.

FINIS.

CONRADI CELTIS PRODUCII EX FRANCIA GERMANIÆ ORIUNDI, de ſitu & moribus, Germaniæ, ac Hercíniæ Sylvæ magnitudine, & de ejus in Europa definitione & populis accolis,

ADDITIONES.

PEr Demogorgoneũ memorãtur cũcta tumultũ
Ex veteri prodiſſe Chao, dum ventre tumeret
Fortè ſenex, totumq́ ferens in corpore mundum,
Diſtendit gravidam maturi ponderis alvum,
Quod fuit æterni conceptum ab origine mundi:
Impatiensq́ oneris, cupidusq́ reponere tandem,
Pondus iners molemq́ rudem ſe ventre prementem
Indignatus ait; vacuas te profer in auras,
O mundi deforme Chaos ſuperisq́ pudendum!
Et vos cunctarum diſcordia ſemina rerum!
Ignavia in noſtris quæ tanto tempore membris
Delituiſtis, acres facientia ſæpè dolores,
Viſceribus tumulata meis dum bella movetis,
Ite, ite actutum! jubeo pulchroq́ decore
Condite luciflui rutilantia ſydera cœli;
Et me jam veſtro vacuum præſtate tumultu;
Dum mundi fabricetis opus: quod pace perenni
Alliget æternus concordi fœdere mundus.
Dixit; & excutiens uterum. Mox terra, Polusq́,
Et mare fluctivomum, liquidusq́ & turbidus aer,

Quiq; ſubeſt gelidæ lunæ nunc proximus ignis
Exierant: propriis ſpacio & disjuncta figuris:
Atq; lacunoſas ventris liquere cavernas.
Mox per octavam ſimulacra micantia ſphærã,
Ignifluis radiata comis, per quas q; patentes
Zonas ſe totum ſubitò explicuere per orbem.
Hic Vervex & Libra, pares facientia noctes:
Et Caper & Cancer, quæ maxima tempora luci
Ex tenebris referunt: & quæ prolata ſub axes
Signa micant cursum peragunt mox fixa diurnũ:
Bisq; duodenas redeunt revoluta per horas:
Donaq; per teneras cœperunt fundere terras,
Et variis radiis lucere per aera deorſum,
Infusâ virtute novâ quæ ſemina rerum
In terræ tumulata ſinu cæcoq; in acervo
Digeſſit: juſſitq; ſuis diſtare figuris.
Hinc tellus variis florum redimita coronis,
Arboribusq; ſuis, fructus frugesq; creavit.
Atq; homines pecudesq; ſimul produxit in arvis.
Hinc volucres aër, piſcesq; receperat æquor,
Per mare ſquamigeris ducentes corpora pinnis.
Hinc etiam octavo quæ ſunt contraria mundo
Aſtra, ſuis variis cœperunt currere cyclis.
Saturnus, totumq; regens qui Jupiter orbem,
Et mars qui miſeras immittit ſydere clades,
Et Phœbus Veneri ſocius, citharæq; repertor
Mercurius, gelidæ Lunæq; noviſſimus orbis,
Quæ nunc retrogrado properantia tempora motu
Impediunt tardantq; vagas procedere cauſas:
Et rurſus ſtatione ſua ſtuitura morantur:
Ut ſtabili fixoq; meent ſua fata tenore,
Dum miſcent reſluo volitantia ſemina motu.

Per

Per varias reditura vices: ut longa per ævum
Compleat æterno mundus ſua ſecula curſu,
Illa jubente DEO, rapidis qui præſidet aſtris.

DE SITU GERMANIÆ ET Moribus.

Gens invicta manet toto notiſſima mundo,
Terra ubi ſe devexa globo demittit in arcton,
Solis & algoris patiens duriſq; laboris
Ingrata ignavam vitæ tolerare quietem,
Indigena: haud alia ducens primordia gente:
Sed cœlo producta ſuo, Demogorgonis alvus
Protulerat patulas ubi cuncta creata ſub auras:
Germanos vocitant Itali, Graii ſed Adelphos,
Quod fratrum ſoleant inter ſe vivere more.
Nomen nobilibus quod adhuc venerabile noſtris
Pectoribus: ſimiles ingentes corporis artus
Prodiga cui natura dedit, per lactea colla
Candida proceris tollentes corpora membris,
Flava coma eſt, flaventq; oculi, flavoq; colore
Temperie juſtā retinent ſua membra ſtaturam,
Vox habitum mentis cum geſtu & pectora prodit:
Vox quæ nil muliebre ſonat, ſed tota virilis
Martia craſſiloquo teſtatur corda palato.
Commune his ſtudium venari, equitare, vagari:
Atq; ſuum varias victum quæſiſſe per artes:
Vel Bacchum viduis creſcentem jungere palis,
Arvaq; quadrijugo proſcindere pinguia aratro.
Nec patrio tepuiſſe ſolo juvenilibus annis,
Sed mox doctiloquæ præcepta adiiſſe Minervæ
Vel vaga veliferas duxiſſe per æquora naves
Atq; ſuis terris varias adducere merces.

Nec

Nec cenſere nephas animum intendiſſe rapinis,
Dum fera belligeri meditantur prælia Martis,
Atq; illum regum celſas quæſiſſe per aulas.
Quatuor ad fines quas Teutonis ora coercet,
Sive per Hercyniæ nemoroſa cacumina ſylvæ
Dentatos proſternere apros, ſylvisq; vagantes
Æripedes cervos, urſosq; agitare feroces:
Unguibus accipitres tractibusq; jubere rapinas
Tollere & evulſas diſpergere in æthera plumas.
Hinc animus dubiis audens ſe credere rebus:
Nec ſegnis timidusq; mori, roſeumq; cruorem
Pro patria & charis certans effundere amicis.
Atq; avidus cædis ſi qua ulla injuria læſit,
Quiq; fidem ſancto & conſtanti pectora ſervat:
Religionis amans, Superumq; & cultor honeſti,
Et veri juſtiq; tenax mens conſona labris
Ficta colorata fugiens mendacia linguæ.

DE SYDERIBUS VERTICALIBUS Germaniæ.

Qualia ab Herculeis memorantur pectora ſtellis
Perſeo Andromedeq; vago deſcendere olympo,
Fortia robuſtis animare & corpora nervis:
Quiq; ſub extremo monſtratur cardine Cepheu,
Ultimus algenti quem torquet circulus orbe,
Nocte carens calidi dum ſolſtat ſydera Cancri:
Et Bacchi Phœbiq; decus, rigidusq; Bootes,
Æniochusq; ſuo volitans per ſydere curru,
Urſa minor majorq; trucem complexa draconem,
Nunquam ceruleas ſubeunt quæ Thetyos undas:
Sydera Germanas radios jaculantur in oras.

DE

DE QUATUOR LATERIBUS Germaniæ.

Pulcher ab occiduo quas claudit limite Rhenus,
Qui pulchras rapidus alveo præterit urbes;
Et tandem externum triplici cadit ore ſub æquor:
Nosque à Sequanicis disjungit flumine Gallis.
Viſtula purpureo ſed terminus extat ab ortu
Viſtula Sarmaticis qui famoſiſſimus oris;
In Codanum trifidis effundens faucibus ora,
Hic ubi Bruteno clara eſt Germania portu,
Et capit innumeras Codonea per æquora naves,
Quæ gleſſum ejiciunt, quod ſuccinus ore Latinè
Dicitur; & noſtris tantum reperitur in oris.
Danubiusq; rapax, & amicta nubibus Alpes
Auſtrinos faciunt fines metamq; reſignant
Italicæ, Illyricæ, Scythicæ & contermina genti,
Solus Germanas Iſter ſed deſerit oras,
Lata peregrinis inducens flumina terris,
Germano concepta ſolo, quæq; Ungarus acri
Barbarus ore bibit, Metanaſtaq; Teutonus haurit;
Hic ubi nunc pulchro ſtat Transſylvania tractu,
Septenis tandem qua faucibus exit in æquor:
Non Nilo, non Gange minor qui maxima toto
Orbibus ex aliis memorantur flumina mundo
Oceanus fines poſuit natura ſub arcton
Quos ultra tria regna manet, gelidusq; Britannus,
Orcadibus qua cincta ſuis Tyle, & glacialis
Nuper Hyperboreo qua inventa eſt inſula regi
Norvegos Dacosq; regens Suedosq; bibaces,
Ultima concreti qui cernunt ſydera cœli:
Æſtatis verisq; inops hyemeque perennem;

Perpe-

Perpetuasq́ nives cœlo patiuntur incertu:
Inter quos memorant Lappones nomine dictos,
Qui vitam ſpecubus ducunt, ſylvisq́ nivoſis:
Venantes Madros & molles pelle ſabellos:
Et noſtri fugiunt rigidi commertia mundi,
Congreſſusq́ hominum, nec habentes ore loquelas.
Horrida barbaries rigido damnata ſub axe,
Atq́ feris ſimiles: quorum cognoſcere mores
Et ritus quis fortè velit, petat ille libellos
Quas de Germanis nuper conſcripſimus oris.
Talis ad arctoo noſtra eſt Germania tractum,
Sauromatis vicina feris Aſiaq́ potenti,
Hic ubi ſe Tanais ſinuoſo littore volvit
Impetuoſus aquis rigidis, vaſtamq́ paludem
Et matrem marium ditat glacialibus undis.
Interiora rigat terræ ſed maximus Albis,
Qui rapidus mediam fluvius perlabitur oram.
Et quantum Rhenus, ſic Viſtula diſtat ad ortus,
Tandē & Cimbriacū vagus exoneratur in æquor,
A Cimbris quod nomē habet, quos proxima Dacis
Cherſoneſus habet rigidam porrecta ſub axem,
Iſthmos ubi geminum ſua littora pandit in æquor,
Oceanum Codanumq́ videns, ubi Scandia dives
Alleces totum mittit piſcoſa per Orbem.

DE TRIBUS JUGIS ET MONtibus Germaniæ.

Sed nemus Herciniū montes & ab Alpibus orti
Cum ramis totam ſe diffundere per oram:
Jamq́ ſub occiduum tendentes brachia ſolem
Hinc Auſtrū Boreāq́ petunt Eurumq́ ſonorum
Donec in Euxinum procumbant vertice Pontum.

Quæ

Quaq; Bizantinas anguſtat Boſphorus undas.
Sed tria Germaniæ tollunt juga maxima terræ,
Verticibusq; ſuis feriunt vaga ſydera cœli,
Impoſitasq; ferunt nebuloſis montibus arces,
Et ſcabris latebris ſpumantia flumina fundunt.
Primum eſt immani dorſo quod ſpectat in arctō
Germanos Gallosq; videns Italosq; potentes:
Quod Rheni Rhodaniq; parens Eniq; ſonantis,
Quod veteres priſco dixerunt nomine Adulam,
Atq; ſuis longis ramis nunc procreat Alpes:
Hic ubi cum rapidis Athesis ſe concidit undis
Adriaco miſcere ſalo, Venetiq; ſuperbis
Dicere Germano quod dedant colla tyranno.
Aſt aliud Carpathus habet qui ſpectat in Eurū
Auſpicium noſtris niveo dans vertice terris,
Quem Suevū in priſcis memini dictā eſſe libellis,
Qui cuproq; auroq; ſcatens variisq; metallis,
Pannoniam largo locupletat munere gentem.
Hercyniumq; jugum medio Germania tractu
Erigit & multis diſpargit cornua terris:
Ex quibus ingenti dorſo ſtans Pinifer atrum
Tollit in aſtra caput, liquidoq; à vertice quattuor
Quattuor ad mundi fundit vaga flumina partes:
Mœnus in occiduum feſtinat currere Rhenum;
Et Sala quæ Druſi geſtat præclara trophæa,
Algentes petit Albis aquas: Nabus exit in Auſtrū;
Egra ſed Eoos flectit ſua cornua in ortus,
Et ſecum Hercyniam trahit alto vertice ſylvam.

DE TRACTU HERCINIÆ SYLvæ per Germaniam.

Quæ variis porrecta plagis nūc vaſta ſub Arctō

Inq;

Inq; Eurum, Zephirumq; ſuis cum ſaltibus errans,
Explicat immenſos annoſo robore lucos
Relligione ſacros veteriq; ex more verendos,
Qui Druidum denſæ per opaca ſilentia ſylvæ
Plurima magnificis ſervant cœnobia tectis:
Quæ Diti nigris operantur ſacra cucullis:
Vallibus irriguis conſtructa, ubi murmure blando
Unda ſonans placidos inducit corpore ſomnos.
Sed transrhenanas ubi ſylva reliquerit oras,
Tendit ad innumeras Germano ſanguine gentes,
Per Suevos, Caucosq; feros, madidosq; Sicambros,
Algionesq; truces, Rheniq; ad fluminis ortum,
Perq; lacus geminos candentes præterit Alpes
Elvetiis porrecta jugis, durisq; Cheruſcis,
Vindelicos Rhetosq; petens & Norica rura:
Perq; lacus plures capientium ab Alpibus undas,
Bojorum deſerta petit: rurſusq; ſub arcton
Brachia longa jacit, Suevos, Francosq; Turogos
Circuit. Abnobios montes qui particula Alpiũ &,
Saxonicisq; reducta plagis, Phriſiisq; bubulcis,
Viſsegothis, Oſtroq; gothis, Cimbrisq; vetuſtis,
Donec Germanum propè tangat ſaltibus æquor.
Aſt ubi ſpumiferi fontes contexerit Hiſtri,
Auſtriacas aditura plagas Cetiumq; comantem,
Qui dum nubigeras radicem accepit ad Alpes,
Quas Carnus Stiriusq; tenes Slavusq; bilinguis,
Hic ubi Danubius poſiturus nomina ponto,
Proxima Dalmaticæ radit confinia terræ:
Sed longum Auſtriacas dorſum protendit in oras,
Quod tandem rapido calva fronte imminet Iſtro.
Unde ſibi, totum ſunt nomina nota per Orbem,
Hunc ſylva obliquis ramis & collibus atris

Integit

Integit, atq; feris folioſa cubilia ſternit:
Sylviferumq; caput nemoroſa vertice veſtit.
Sylva prius latè Bavaras, ſed ſparſa per oras,
Ante ſub Auſtriacas, quàm tendat brachia terras,
Obliqua ad Vilſi protendens cornua ripas:
Vilſus in Hiſtrinis qui tandem perditur undis.
Aſt ubi per Bavaros ingentia cornua flexit,
Mox Francos Turgosq; petit, Bœmosq; feroces,
Tanquam nativo claudit quos undiq; muro.
Quos medio nutrit bellax Germania tractu.
Pingue ſolum, frugumq; ferax ſylvæq; perennis:
Plurima Germanis quæ emittit flumina terris,
Albim, Oderã quæ nigra fuit memorata vetuſtis,
Quos ubi deſeruit, Carpathi culmina ſpectans,
Marcomanes, Gepidasq; petit Jaſigesq; potentes,
Hic ubi nunc cultis eſt Transſylvania terris:
Moribus Almannis gentem linguaq; creavit.
Inde iterum vaſto diffundit cornua flexum,
Visburgos Sabocosq; petens durosq; Gelonos:
Quaq; manet pulchro dives jam Pruſſia portu.
Sarmaticis obducta plagis, quosq; ultimus orbis
Angulus abſcondit Agatyrſos limite claudit.
Ad Tanais fontes Ripheoq; in vertice latè
Diffuſa, & fines Europæ vaſta pererrans,
Per Maſovina truces abſcondens rura Viſontes.
Proinde metalliferos extollens undiq; montes,
Argentiq; auriq; ferax, variisq; metallis,
Plurima perpetuis effundens munera venis,
Fornacesq; cavas rapidus quibus æſtuat ignis,
Quem fovet excuſſis ventoſis follibus aura:
Quas circum valido ſe tollit malleus ictu,
Quem rapidis levat unda rotis & machina molis:

Ingenti ſonitu ferit aſtra volantia cœli
Brontis opus Steropisq́ gerens liquefacta metalla
Extendit varias ubi ferri lamina formas.

DE QUALITATE TELLURIS per Germaniam.

Terra hominū pecudūq́ ferax quæq́ ubere gleba
Speciferam Cererem multo cum fœnore reddit.
Paſcua florigeris extendens pinguia pratis:
Ingentesq́ lacus varias vaſtasq́ paludes:
Et fluvios varios ſapido qui piſce abundant.
Collibus apricis agrisq́, & montibus altus,
Plurima vitiferi qui fundit munera Bacchi,
Vicino jam ſole novo qui ſydere lato
Proximior noſtris infundit lumina terris.
Hinc varii cultus, cultisq́ in mœnibus urbes
Mitior & populus Germano naſcitur orbe:
Exploſa ruditate fera, quam Barbarus olim
Sylvicula in riguis ſervabat ſaltibus ortus.
Illa ſuperficies Germanis traditur oris,
Quæ mihi his quinos fuerat luſtrata per annos:
Quam ſylvis fluviisq́ ſuis, & montibus altis,
Et variis populis vario & diſcrimine linguæ,
Syderibusq́ ſuis Deus & natura creavit.

DE HER-

DE HERCINIÆ SYLVÆ MAGNITUDINE, EJUSQUE IN EUROPA definitione & Populis incolis.

NON incommodè putavi aliquid de Hercinia ſylva inſerere, Quandoquidem pro obſcuritate rerum Germaniæ, partimq; itinerum & peregrinationum difficultate: partim etiam ignaviâ & noſtrorum hominum inertiâ, quibus illa res, hoc eſt, naturæ majeſtatem inquirere ludibrio eſt, à nullo hactenus ſcriptore hunc locum plenè abſolutum reperio. Id ego non injucundum literarum ſtudioſis futurum ſpero, Si ita, ut illam labore & cura noſtra aliquot annis permenſi ſumus, hìc breviter abſolvemus: non ſine malevolorũ obtrectationibus; eorũ etiam, qui ſe ſummas ſapientiæ partes attigiſſe arbitrãtur, vano nos quodã & ventoſo ſpiritu, parumq; ſtabili animo, Ulyſſis errore teneri, cavillantes.

Ego autem inter difficiles illos peregrinationum mearũ labores, quæ peculiũ meũ bonamq; corporis valetudinẽ non mediocriter attriverant & imminuerant, eò omnem animi cogitationẽ converti (in eam ſanè ſpem adductus) ut ſi non patrianis & Germanis meis, qui (ut Cornelii verbum eſt) *hoſpitibus tantùm favent:* placerem: externis tamen & doctis homini-

bus ad majus aliquid excludendum: laborioſa illa mea doctrina occaſio & invitamentum eſſet: Imperitorum illorum & barbarorum hominum judicia de noſtris rebus, perinde ac febricitantium guſtum exiſtimans; neque dignos de quibus aliquis ſermo habendus ſit. Eos igitur congerrones & verberones ab honeſtis literis & eorum cultoribus (ut eorum verbo utar) excommunicamus, & cum ſua ignorantia relinquamus.

EST ſylva in Europa, qua in boream ſpectat, quæ ſe Rheni, Danubii, Albis, Viſurgi, & Oderæ (quem *Suevum* & *Guttulam* à priſcis vocatum reperio) Viſtulique & aliorum inclytum amnium parentem jactat, Græcis Latinisque memorata ſcriptoribus: hanc Germani, per quorum fines ſe maximè extendit, *Herciniam*, à pice (quam patriâ lingua *Hartze* vocant) dixere. Hæc igitur, ut *Taurus* ſe per Aſiam, & *Atlas* per Africam, ita illa ſe per univerſalem Europam ſpargens: in Galliæ finibus à b *Ardenna* ſylva quæ & hoc nomine hodiè gaudet, initium origineḿq; ſumens: deinde per Germaniam & Sarmatiam in ultimum Europæ angulum, & in ipſos cœli vertices ſempiternis jugis cõcreatisq; mundo roboribus ſe propagat. Ubi transrhenanas urbes *Friburgum*, *Paduam*, *Heidelbergã*, *Francofordiamq́;* Mœni attigerit, diverſa nomina ſibi conſciſcit: à Rheniq; ripis ingentes ſaltus immanesq́; & truces veteri religione lucos per innumeros Germaniæ & Sarmatiæ populos efficit; quos hîc ſummatim nos perſtringemus.

A *Fri-*

A *Friburgo* igitur Priſciæ opido, in ortum & ſeptentrionē, vaſto & perpetuo tractu, occurſantes inter ſe collens excipiens & implicans: hinc ad *Rheni* lacus, & in ipſis radicibus Alpiū poſitos, *Rhetos Vindelicosq;* attingit circa *Enum*, *Licum* & *Iſarum* longiſſimo torſo ad *Danubii* usq; ripas porrecta, rariore tamen & humiliore virgulto, ut à frequenti habitatore excíſa eſt, *Friſingū*, *Ratisponā*, *Paviū*, Noricas urbes, ipſumq; *Cecium* (qui & *mons calvus*) Norici terminum, & *Viennam* Pannoniæ obumbrans. Illic ad fontē Danubii & Necari per totā Sueviam ſe latè vaſtèq; diffundens, *Nigram ſylvam* (quæ & *Bacenis* à majoribus dicta eſt) efficit. Utque illa centum olim pagis: ita hodie centum, haud contemnendis Sueviæ urbibus referta eſt: donec ad *Eichſtodium*) usque urbem (à querceto ſylvæ nominatam) *Almoniqúe* amnis ripas attingat: quas aliquandiu ſequens, donec circa fauces Danubianas ab his per *Norlubergenſium* arenas, & transdanubianum Noricum Hercinio jugo (quæ pars Germaniæ editior eſt) ingenti & æterno dorſo comitatur. A quo, hoc eſt à *Pinifero* monte, ut ille quatuor inclytos & dites amnes, intra ſpacium duum ferè millium paſſuum, non ſine admiratione & naturæ majeſtate, effundit:

Ita ab eo monte amnium & ſylvarum parente quatuor ramos veluti immania cornua in diverſas orbis partes porrigit. Verſus arcton, per Curiones cum *Sala* fluvio (qui in Albim defertur) in *Turogos*. Ad Zephirum cum *Mœ-*

no bacchifero in *Francos*: quo tractu ſylva cum amne progrediens, mox tamen, à collibus, qua ſe in lævam faſtigiat, accipit; Francicèque *Stegervvald*, id eſt, *ardua ſylva*, dicitur. Deinde ubi propior Rheno Mœnus factus eſt, vetuſtiſſima *Herbipoli* Francorum metropoli irrigata, unde & nobis origo eſt, ad *Mildenburgum* opidum ſuis ripis ſylveſtribus ſylvæ duo nomina imponit, ut dicemus. Ab Euro autem cum *Egra* fluvio, *Nabo* per Noricum transdanubianum fluente, in *Bohemos* ſe erigit. Quos cum undique veluti nativo muro cinxerit ad ſeptentrionalia ejus *Albin* & *Oderam* emittit. Ad meridionale & orientale ejus latus *Marcomannos* & *Quados* attingens: & ab his in *Carpathum* Germaniæ caput, qui & *Suevus* eſt conſurgens *Jaſigibus*, *Baſtarnis*, *Dacis*, *Getisque* contermina gentibus. Sed ad Carpathi montis radices reducto in ſeptentrionem impetu ſupra *Viſtulæ* & *Oderæ*, *Memuli*, *Tibiſti*, *Neſtri*, *Boriſthenis Tumiriq;* & *Tanais*, qui Europæ & Aſiæ limes, fontes per Sarmatiam Europæ, per *Agathyrſos* & *Sauromatas*, id eſt, *Poloniam*, *Lytifamiam*, *Maſoviam*, *Bruſſiam*, *Livoniam* immenſo ſpacio & infinito tractu ad Europæ usque fines divagatur: cum ipſo terrratum orbe deſinens: & is quidem orientalis ejus tractus à Rheno eſt.

Nunc Septentrionalem proſequamur. Ab *Heidelberga* igitur Palatini Rheni regia, ubi Cattos à Cheruſcis & Francos à Sorabis dividit, *Oddonis ſylva* ab incolis dicitur: ſive ex Oddo-

nis

nis Imperatoris donatione *Amberbacenſis* cœnobii: ſive ex loco non ignobili *Oddenohaim*, ubi Oddo in venationibus pernox agebat. Ex altera autem Mœni ripa, ubi *Franconofordiam* & *Aſciburgium* urbes monteſque è regione Maguntinæ urbis: quæ prima ſculpſit ſolidos ære charecteres & verſis docuit ſcribere literis, attingit: ab abundantia picis, Germanicè *Speſſhart*, hoc eſt, *Picearia ſylva*, dicitur: ibique vaſtiſſimè ſe iterum dilatans, donec flexo in ſeptẽtrionem tergo in *Obnobios*, qui & Alpium particula ſunt, & Cattorum ſeu Haſſiæ montes: & ab his usq; ad *Sicambros*, hoc eſt *Gelrenſes* longis lateribus obtenditur. Quo étiam in loco *Tribocchos*, à tribus quercubus, antiquâ religione nymphis conſecratis includit. Qui cum Germani in Galliam erumperent, in altera Rheni ripa, expulſis Gallis, conſederunt: *Triboteſq;* corrupto vocabulo, qui etiam *Argentinenſes*, nominati ſunt.

Verùm ubi ſe ſylva, ut diximus, per *Cattos* & *Obnobios* & *Buſactores*, quorum vetus & in hunc usq; diem nomen & familia extat, extenderit, mox *Buchoniam* regionem à proceritate fagorum dictam, apud inſigne Druidum Cœnobium *Fuldam*, attingit.

Ab his ad *Viſurgi* & *Virdi*, *Amaſi* & *Salæ* fõtes in Saxones ad *Choslariam*, *Alberſtadiam* & *Brunsuigum*, clariſſimas urbes ſe reflectit verſus ſeptentrionẽ & Oceanum noſtrum: Quamvis gentes ibi etiam ſine arbore vivant: longe lateque vaſtis ſolitudinibus diffuſa: ubi etiam

veteris ſui vocabuli ſignificationem adhuc ſervat.

Ab hisq́; iterum ad *Turogos* & *Sorabos* ſe recurvans, inclytamq́; urbem, à ſuo nomine *Herciniofordiam* dictam, præteriens, donec in Hercinium jugum, à quo tantam peregrinationem fecerat, ingenti fronte & cornu ſe attollat.

Opulentas undiq; urbes, quindecim publicis gymnaſiis ornatas, ditesq́; populos, arces aereas & inexpugnabiles: argenti & auri, univerſiq; generis metalli divites & inexhauſtas venas montibus jaſpide & marmorum genere, criſtalloq; vulcanias Gleſarias, Picearias, vitriarias & carbonarias Cyclopum officinas, quarum & in plurimum Norinbergenſes cives domini ſunt, habens. Salis etiam habet fontes, & ſubterraneis montibus ſale lapideo veluti ſaxo concretis. Fluvius etiam margaritarum & auri feracibus. Hoc efficit ut ſylvæ, ſicut & terræ non eadem apud omnes gentes facies ſit. Ut enim illa nitrum, glebam, ſabulum arenámve ſtraverit: ita verſus ſeptentrionem maximè taxum & pinum producit: obſcuris vallibus, ſonoris torrētibus interſtrepentibus, per ſaxa ſe præcipitantibus parum lucida, inferni ſpeciem præbens. Verſus meridiem autem quercuum magis & viburnis fagoq́; fida terra, ſaxea & lapidoſa eſt, maximè ad *Rhenum*, *Necarum*, *Mœnum* & *Danubium*.

Pecorum autem & nobilium ferarum in ea ingens & innumerabilis copia. Armenta etiam equorum multa, quæ publice alunt, nullo mortali opere contacti.

Thermarum etiam & ſaluberrimarũ aquarum fontes, maximè ubi Rhenum attingit. Lacus etiam vaſtos inexcluſos & perpetuos piſcoſoſque, & diverſo genere piſcium ſcatentes: ut ſigillatim in Germania diçemus.

De volucribus autẽ, ut apud graviſſimos authores eſt, nihil compertum habeo. Multa enim deſiiſſe, quæ hodie non ſunt: & multa renaſci in rerum natura, quæ olim non fuerunt, nova cœleſtiũ corporum (ſi quid in mundo novũ aliquid emergere poteſt) configuratione crediderim.

Sed nihil in hac ſylva *Druidũ* cœnobiis illuſtrius eſt. Genus illud Philoſophorũ apud Gallos græcanicè viventiũ erat, quos à dictione Δρῦς id eſt, *quercus* nominavere; inter quos, ut ab illis antiquitùs oraculi effundi credebantur: ita illi veluti oraculorum & ſortium interpretes tales conſedebant: quales nudiùs vidimus, dum Joannes Tolophus, vir ſummâ eruditione & ingenio, nos in patriã ſuã ad radices Piniferi ſecum adduceret. Hìc dum fortè in cœnobium divertiſſemus, imagines lapideas ſex vetuſtiſsimo ſaxo, ad fores templo parieti inſertas cõſpeximus. Septem pedum ſingulæ, nudis pedibus, capita intecti, Græcanico pallio & cucullato, pullaq; & barba ad inguina usq; promiſſa, & circa naris fiſtulas bifurcata; in manibus liber & baculus Diogenicus; ſeverâ fronte & triſti ſupercilio, obſtipo capite figentes lumina terris. Hii quondam apud Gallos (ſive interpretandæ religionis, ſive ſolitudinis gratiâ, quo expeditiores in inquirendis rerum cauſis eſſent) in nemoribus

& ſaltibus conſedére: multitudinemque vulgi ad ſe pellexére. Poſtea autem quàm Tiberius Cæſar ipſos, propter factiones, quarum duces erant, Gallijs cedere juſſiſſet, illi in Germaniam commigravere: & ſub Karolo, Arnolpho & Ottonibus, Chriſtianam religionem interpretantes, totam Herciniam in amœnis & irriguis vallibus, à quibus cœnobiorum nomina ſunt, occupavere. Qui nunc divitijs & opibus ita crevere, ut regibus & principibus non inferiores ſint: ſeu luxum, ſeu arma conſideres. Multi ex his, ut divitijs & urbibus aucti fuiſſent, & ut illis dinaſtina conjungerent, excuſſo religionis ſeverioris jugo, abjectoque cucullo, quem adhuc ſtatis anni temporibus ferunt, licentioris vitæ habitu populariter vivere cœperunt.

Cuditur adhuc apud Francos numi genus (apud quos Burcardus & Kylianus Britanni, à qua religio ortum habuit, docuerant) quod à Druidum nomine Druydenſus dicitur.

Magna profectò Græcis nunc & ſempiterna nobis gratia habenda eſt: qui populum olim efferum, & quem nulla arma domare unquam potuerunt: hunc illi religione & vitæ ſanctitate ad mitiora ſtudia & ingenia converterunt: & qui primum in nemoribus & ſylvis vagi, jam per illas in cœtum & ſocietatem congregati clariſſimo imperio, ſanctis legibus, & optimis moribus probè degunt.

Cæterùm ſylva ipſa trans Viſtulam *Viſontes* (quo-

tes (quorum venatio, ut in Germania dicemus, glorioſa) & *Uros* habet: ſed in *Moſovia* tantùm finibus, à qua Imperator Fridericus Tertius maternum genus duxit. Montes etiam, in Friderici Saxoniæ Principis terra, qui Veſuvium & Æthnam ſempiternis ignibus imitantur.

Illud autem in ejus nemoris montibus, (qui ab Alpibus, ut diximus, per Germaniam & Sarmatiam perpetuo dorſo in Carpathum usque excurrunt) mirâ naturæ providentiâ accidit: ut flumina à media illorum ſpina decidentia, hinc in Oceanum & ſinum *Codanum* à Gothis accolis dictum præcipitentur: hinc per Danubium in Pontum ſe exolvant: tantæ terræ ſæpiùs anguſtia, ut quædam arces & ruſticorum caſulæ, dum imbres ſuſcipiunt, in diverſa maria (ſicut in Apennino fit) ab uno tecto transmittantur.

Karolus Magnus, dum apud Francos ageret, pulcherrimum facinus (Herculem & Xerxem, æmulaturus) animo agitaverat: dum perſuaſum ſibi fuerat, poſſe percommodè de *Rheno* in *Danubium* navigare: & perinde ab *Euxino* in externum *Oceanum* copias trajicere: ſi in *Regneſum* & *Almonum* fluvios, qui decem millibus tantū diſtant, ejuſmodi foſſa duceretur, quæ eſſet navium capax. Confeſtim Rex, cum omnium militum multitudine in eo labore totū autumni tempus conſumpſit. Ductaque eſt foſſa, cujus veſtigia adhuc cernimus, duorum millium paſſuum longitudine, & tricentorum pe-

dum

pedum latitudine. Sed in vanum labor omnis ceſſit. Nam propter juges pluvias, & terra quia ſabuloſa erat, opus fieri non pouit: quantum enim terræ à militibus interdiu egeſtum erat, tantum noctibus, humo iterum relabente, ſubſidebat. Acceſſit ad tam pulcherrimi operis retardationem omnimoda & ultima Saxonum defectio.

Hac igitur ſylvæ digeſtione, definita ejus quidem longitudo in Europæ finibus, à *Moſa* Galliæ fluvio in *Tanais* usque *fontes* accipienda eſt: latitudine ejus ab Alpibus in Oceanum fermè Germanicum porrectâ (Miliarium, ſi quis rem curioſiùs inquirere velit, ex ſupputatione cœleſtium circulorum & graduū colligat) in quo tractu, hoc eſt, ſeptentrionali, tres nobiliſſimas, gentes *Suevos*, *Francos*, & *Bemos*, ſylva ſuis ſaltibus claudit. Moribus tamen & linguâ, religioneque differentes.

Regiones ipſæ admodum lætæ & optimæ, perennibusque fontibus & fluminibus impeditæ. Gentes ipſæ pugnaces regum & Imperatorum noſtrorum parentes & nutrices: facilèque geſtarum rerum gloriâ hodiè inter cæteros Germaniæ populos & principes. Ipſæ per Hercyniam & ejus colles, in marem Theſſalicorū, tempe undique circumſeptæ, intus glebulentæ vini & frugum feraces. De quibus in Germania noſtra illuſtrata, quæ ad Topographiam attinère viſa ſunt, diffuſius ſcripſimus.

FINIS.

INDEX OMNIUM QUÆ IN PRÆCEDENTIBUS LIBELLIS CONTINENTER TAM NOminum quam rerum memorandarum copioſiſſimus.

ABach olim Abudiacū 664
Abbatum Germaniæ penſitationes unde 156
Abensberg olim Abuſina 664
Abgazari & Abgazelli Gazarorum gens 699
Abnobæ 419
Abnoba & Abnova mons 231
Abnobÿ montes Herciniÿ ſaltus pars 575
Abnobi montes varia ſortiuntur nomina 703
Abnobum Hercynia ſylva cōplectitur 161
Abnovæ vocabulum quid ſignificet 231
Abraham quādo natus 424. *quando mortuus* 427
Abudiacum Danubianū hodie Abach 664
Abudiacum hodie Happing 665
Abuſiacum hodie Füſſen 663
Abuſina hodie Abensberg 664
Academias apud Germanos rex Ingævon inſtituit 425
Ach olim Coriovalum 673
Achora civitas 358
Acies cuneata 461
Aciminceum 26
Acinco 25
Acronii lacus nomenclatura 228
Acronius ſive Acronius lacus 244. 245
Actacotiorum bellica virtus 133. *in Britanniam profectio* 133
Actuantici qui nam ſint 726
Adalgiſus regno exuitur 168
Adalunga cella 119
Adelger, rex Germanorum 430
Adem regio 717
Adem olim Ozelis 717
Adologarius, rex Germanorum 340
Adranus fluvius 339. 707. 677
Ad ſtatuas locus 25
Aduatici quinam ſint 726. *unde prognati* 37
Aduaticorum oppidum quomodo à Cæſare deſcribatur 726
Adulæ mons 417. 662. 704. 735
Adulterÿ pœna varia apud gentes 513. *Germanos veteres* 5. 512. *Lacedæmones* 513. *Saxones* 110

Aeginetæ error de ſuccini origine 638
Aegræ fluvii ortus & cum Albi confluentia 686
Aegyptij furta legibus inulta relinquebant 496. quæ ſtipendia militibus dederint 497
Aegyptiorũ ſepulchra 553
Aegypti provinciæ 30
Aemathij unde 415
Aemilia 29
Aemilianus à Germanis victus 596
Aeni & Danubij confluentia ubi 665
Aenus fluvius terminat Vindeliciam 662. 663
Aeolia hodie Eolia 716
Aequinoctium 24
Aeris metalla in Germania quando reperta 450. 455
Aeſtij Suevi in litore Oceani (598
Aeſtiones populi 4
Aethiopibus cutis qualis 444
Aethiopum monumenta & ſepulchra 553 (716
Aetholia hodie Deſpotatus
Aetuatiorum vallis 418
Affinitatis nomẽ apud Germanos latiſſimè ſpargitur 522
Afra 159
Africa ab Armoricæ gentibus vaſtata 133
Africanus poſterior transfugas beſtijs obiecit 464
Agamemnon filiã imolat 473 601
Agaunenſe monaſterium 253
Agaunũ 247. eius deſcriptio 252. 253
Agentes populi 19
Ager occupatorius 550
Ageſilaus quem ignem clarius viderit 547
Agilimundus ſubregalis 121
Agilolfingorum familia 166
Agilo ſtabuli tribunus 77
Agis fœneratorum tabulas concremat 547
Agran olim Vimunibria 667
Agricultura veterũ Germanorum 549. 550. 551
Agri Decumates unde nominati 571. paſcui apud Germanos uſitati 552
Aggrippa Vbios ad ripam ulteriorem traduxit 672
Agrippina Auguſta 335 apud Vbios nata 568. Claudij Cæſaris uxor 41
Agrippina Colonia à Francis expugnata 60. 61 Germaniæ ſecundæ caput 335. 336. hodie Collen 672. unde dicta 568. ſub Nemetis 567. Vbiorum civitas 18
Agrippinenſes debellantur à Batavis 335. pudet Germanicæ originis 335. 336
Agrippinenſium cohortes in vico Marcoduro cæſæ 338 primordia 41
Agrippinenſis pons 230
Agrorum apud Alemannos elocationes 169
Agrorum ratio apud Germanos veteres 550. 551
Agros per ſtrigas & ſcamna dividere 550
Agtſtein unde ſuccinum appellatum

pellatum 636
Aix olim Sextias vocabāt 591
Alabenſe oppidum 234
Alambater hodie Diu 717
Alani populi 65. 696. ab Hunnis ſubacti 200. ex qua gente orti 700. gens Gothica 690. in Hiſpaniā irrumpunt 49. unde emigrarint 696
Ala nova 24
Alaricus agros petit 104
Alba Græca Taurunū 709
Albania hodie Comaniæ pars 716. olim Macedonia 715
Albedo aquæ unde 655
Alberſtadia urbs 743
Albertus Marchio Boruſſos ad pietatis formā reducit 476
Albingorū multitudo in Brabantiam proficiſcitur 141
Albion hodie Britannia 609
Albis fluvius 215. 613. in Hemunduris oritur 688 quos amnes recipiat 710
Alboinus Langobardorū Rex Italiam intrat 604. ex craneo Chunimundi regis poculum facit 130
Album caſtrum 697
Albusburgus hodie Vueiſſenburg in Noricis 713. olim Alcimoens 663
Alcimoens VVerd, vel Eyſtavia aut Albusburgus 663
Alcinoi culina 196
Alcin vocant Naharvali Caſtorem & Pollucem 621
Aleæ Germani dediti 541
Alemanniæ vocabulum Suevis attributum 599
Alemannia 2. nova & Cisrhenana in nomen & ius Franciæ Germanicæ cedit 114. 117
Alemanniam à Boiaria Lyco flumine dirimi 118
Alemanniæ populi 110
Alemanni à Francis in ſervitutem redacti 66 à Valerio Probo vincuntur 8 arbores & Saltus adorant 162. difficulter Chriſtiani facti 226. exhauſtis Gallijs in Italiā tranſeunt 92 Francorum regibus Chriſtianiſsimis debent 226 Gotthorum clientes 155 munera Cæſaris in terram proijciunt 90 quatenus Francorum leges obſervarint 161 Romanis pacem vendunt 67 ubi primas ſedes in Germania fixerint 72 unde ſic dicti 433. 434
Alemannicus ducatus 119
Alemannis iugum impoſitum à Iuliano 82
Alemannorū apud Conſtantium dig. itas 76. bellum cum Conſtantino 75. bellum cum Burgundionibus 73. clades propè lacum Benacum 71. cum Francis ſimultas 152. & Germanorū differentia 73. in deos impietas 162. in Germaniam profectio 70. in transrhenanas provincias migratio 116. limites 152. 225. nomen quàm vetuſtum 71. nomen

unde natum 70. 71. *origo* 11. *pugna cũ Francis apud Tolbiacum infeliciſſima* 117. *pugna infelix cum Hilderico rege* 153. *pugna regibus coniunctis prope Argentinam contra Iulianum* 79. 80. 88. 235. *reges* 67. *ſub Valentiniano in Gallias irruptiones* 90. *victoria clara de Romanis ad lacum Brigantinum* 77
Alepum olim Epiphania 716
Aleſta 25
Alexander magnus Germanos ſollicitare non tentavit 596
Alexandro Babyloniã ingreſſuro corvi obſtrepunt 479
Alexia hodie Alſetum 714
Aligernus Gothorũ dux 162
Aliſo caſtellum 338
Aliſus hodie NeuBrandenburg, VViſmar vel Mollen 679
Allium magnetem debilitat 636
Allobroges 14. 705. *hodie Saphoios vocãt* 590. 714
Allobrogum tractus 254
Almeſuinda Alboini regis filia 605
Almengou in Vindelicia 434 *unde dicatur* 461
Almonus fluvius 713. *piſculentior cunctis in Germania* 708. *Danubiũ influit ibique foſſa Caroli magni* 707
Alni contingua fluminibus denigrant aquas 656
Alodia & Allodium 169
Alpes 29. *Albeſiai & Oeni vallis* 662. 704. *circa Salisburgiũ* 704. *Cottiæ* 29. 247. 254. *Curienſes* 662. *Graiæ* 254 *Griſonũ* 20. *Iuliæ quando permeabiles factæ* 28. *Pœninæ* 247. 254. *ſummæ* 245. *Voſaginæ* 17
Alſa fluvius 16
Alſatiæ deſcriptio 16. *nomenclatura* 263. *vocabulum recens* 287
Alſatiam olim Tribochi inhabitarunt 38. 669
Alſatici Imperiales 184
Alſatienſis pagus 287
Alſatienſium cum ſuis primatibus pax 183
Alſatij qui 567
Alta palus regio 673
Alta Rhetia arx 419
Alta ripa 17. 264. 269
Altadis Aſſyriorum rex 428
Altenburg olim Attilia 664
Altino 25
Altinus comes Conſtantini Imperatoris 76
Alman Hercules 435
Altsuiler vicus 276
Alſetum olim Alexia 714
Alutas fluvius 709
Amadoci populi 696
Amalberga 164
Amalchium mare 625
Amantinorũ ſtrages 26. 28
Amaſius ſeu Amaſia fluvius 678. 709. 728.
Amaxobij populi 695

Ambiani

Ambiani 114 *hodie Amiens* 714
Ambiatis vicus 335
Ambigatus rex 143. 556
Amberbacenſe cœnobiũ 743
Amberga urbs 684
Ambracia hodie Larta 716
Ambra citrina & griſca 637 *quomodo ſuccino conveniat* 636
Ambra hodie Amper 664
Ambrones 34. 35
Amelberga Toringorum regina 101
Amerſvvilerium opidũ 352
Amicitia coniugum quibus conciliatur 520
Amicitia & inimicitia hæreditaria apud Germanos 524.
Amiens olim Ambiani 714
Amiſus & Amiſia fluvius 215. 234. 687. *corruptè die VVeſer* 581 *ubi inmare labitur* 682
Ammianus fautor pietatis Chriſtianæ 87
Ampra olim Ambra 664
Anarpi populi 683
Anaſſus fluvius 665
Anchis Arnulphi filius 346
Anconis deſcriptio 192
Andegavia à Nortmannis incenſa 338
Andelacha fluvius 232
Andernach olim Antiniacũ 672
Anemophis Hebræorum infantes necare iubet 430
Angarorum auxilio Zuentebaldus ab Arnulpho Imper. victus 142
Angermund olim Virunum 680
Angermundum unde dictũ 580
Angillorum Suevorum gens maxima 681
Anglia à Suevis occupata & inde nominata 681 *olim Britannia Inſula* 715
Angliæ nomen & alia de hac regione 609
Anglica lingua Saxonica 609
Angli 3 *Suevi aquilonares* 598
Anglorum lingua à Gallica parum diverſa 210
Anglos Saxonum in Britanniam migratio 136
Angra fluvius 707
Angræ & Rheni confluentia 677
Angrivarij populi 3. 44. 220 *Bructeros expulerunt* 579 *terram occupant* 688 *lato aggere dirimebantur à Cheruſcis* 683 *Stertinio ſe dedũt* 595 *ubi ſedem habuerint* 579
Angrivariorum dux quis hodie 681
Anhaldinenſis comitatus 584
Aniſus fluvius 23
Anna fluvius 691. 711
Annales veterum Germanorum quales 422
Anni diſcriminatio apud Germanos 548 *tria tempora* 551
Annii Beroſi interpretis ſomnia 70

Annoninus hiſtoricus taxatur 50
Annonorium 29
Anſegiſus abbas legũ Francicarum ſcriptor 15[illegible].346
Anshelmi nomenclatura 345
Anſibarij patria à Chaucis exuti 62
Anſibariorum bellum cum Chaucis 7 *reliquiæ* 62
Anſuarij victi ac debellati à Iuliano 63
Antenacum opidũ 18. 264 339
Antenacum deſtructum ab Attila 111
Anteſignani Germanorum 460
Antharius Langobardorum rex 605
Anthemij mors 129
Antiphanis dictum de bonis moribus 515
Antonij res geſtæ contra Marcomannos 126
Apenninus Italiã dividit 562
Aphricæ provinciæ 30
Aphrica hodie Barbaria 716
Aphricanus Maximus multa millia ſcortorũ caſtris expellit 469
Apocopa hodie Melinda 717
Apollinis imago 611
Appij forum 323
Apollinaris locus 13
Apollonius Tyaneus 207
Aprorum biantium formæ in galeis 629
Apulia 29
Aquæ ordeaceæ vis 533
Aqua alba unde 655 *Danubij qualis* 420 *luna unde* 656 *marina an congelari poſſit* 625 *nigra unde* 656 *viridis unde* 656
Aquasgranum 180
Aquas Sextias hodie Aix vocant 591
Aquenſe palatiũ 113. 138
Aquilæ volatus in auſpicijs 479
Aquila aurea Perſarum ſigna bellica 462 *Tarquinio regnum ominabatur* 479
Aquila volarat proverbium ibid.
Aquitania depopulata à Nortmannis 138 *occupata à Gallis* 105
Arabia 30
Arabia Græcis εὐδαίμων 630
Arabia felix hodie Leaman 717
Arabon fluvius 709
Arabonis & Danubij confluentia 667
Aræ dijs conſecratæ quales Germanis & alijs nationibus 473
Aræ Flaviæ Nordling vel Heydenheim 663
Ara fluvius 706
